

BR118
.H524
1851
c.1

1080044600

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

&#4C&#9H

21

FLORES

DOCTORUM.

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FLORES DOCTORUM

SEU

PROMPTUARIUM MANUALE AUCTORITATUM

SANCTORUM ECCLESIÆ PATRUM

ALIORUMQUE DOCTORUM,

JUXTA MATERIARUM ORDINEM CONGESTUM.

OPUS SANE UTILISSIMUM

SACERDOTIBUS QUIBUSCUMQUE

SED PRÆSERTIM

JUVENIBUS CLERICIS

VIAM PARANTIBUS

AD SACRAM VERBI DEI PRÆDICATIONEM

AUCTORE

THOMA HIBERNICO.

IN LUCEM PRODIT CURA ET OPERA

P. J. B. Sacerdotis O. M. S. F.

AC FACULTATE

EXMI. ET RMI. D. D. ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS.

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO DE NUEVO LEON

TARRACONÆ

TYPIS FRANCISCI ARIS ET SOCII.

ANNO MDCCCLI.

37546

110435

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
FONDO BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO DE NUEVO LEON

ANIMARUM PASTORIBUS

SACRI VERBI DEI PRÆCONIBUS

ALIISQUE PRESBYTERIS

TYPOGRAPHUS TARRACONENSIS.

Inter tremenda sacerdotum, ac in primis animarum rectorum munia, præcipuum esse lateri oportet dispensationem verbi Dei. Evangelii nimirum prædicatione christiana religio per totum quam latè patet orbem fundata est, simulque eversa superstitionis et idololatriæ nefanda jura. Hinc totis viribus Vos incumbere debetis ut ovibus quas Æternus Pastor Vestræ commisit solicitudini panem cœlestis doctrinæ frangatis.

Ast ¿ubi ad rite obeundum excelsum hocce ministerium melius quam in scriptis sanctorum Ecclesiæ Patrum invenire? Hi etenim utpote proximiores ipsis fontibus, nempe Apostolis verbi Dei præconibus, puriora sacri eloquii fluenta in libros suos et conciones, quas ut plurimum Homilias vocabant, inde derivarunt, quemmadmodum poæta canit

« PURIUS IN IPSO FONTE BIBUNTUR AQUÆ. »

Haud igitur obliteranda vel contemnenda assidua tantorum virorum lectio, qui principes mérito dicuntur sacræ eloquentiæ; nam si aliunde Vos, si ab istis ad profanos exulatis, non jam

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

immortalis animæ causam agetis, non pro æternitatis beatæ domo perorabitis, non quæ civibus religio, qui mores, quæ publica honestas servanda est docebitis, sed auribus blandiemini, satiabitis intellectum sed cor intactum relinquetis, loquemini splendida, sublimia, admirabilia sed spiritu vacua et quæ præter folia nihil fructus ostendunt; uno verbo, eritis «*æs sonans*, ut loquitur apostolus, *et cymbalum tinniens*.»

Sed ¿quisnam, dicet aliquis, immensa et prope infinita Patrum scripta, non modo in integrum legere, sed nec per summa capita et oscitanter eorum conceptus et effata colligere valebit?

Res est plane difficilis, imó impossibilis: sed non aliquando defuerunt, Deo sic in bonum utilitatemque Ecclesiæ disponente, viri ilustres omnique laude digni qui, nec temporis angustia, nec otii defectu, nec remissa juvandi voluntate præpediti eo conatus suos et studium collimarunt ut ex omnibus quæ legebant succum et medullam sugerent, seu veluti manipulum contexerent lectissimorum florum, et libros quos *Florilegia*, *Polyanthea Sylva* adpellarunt summo studio ac infinito labore pòsteris componere aggrederentur.

Hujus generis est quem Vobis, spectatissimi DD. vovendum fidentissime nitimur. Hunc non solum ramusculum sed hortum pulcherrimis simul ac innumeris eloquentiæ floribus vernantem, ac frugiferis consitum arboribus appellare fas est. Quo enim ævo librum Thomæ Hibernici seu Palmerstonentis, Doctoris sorbonici, eximii Patrum scriptorum insectatoris, sapientes laudibus non affecerunt, encomiis non exornarunt, non maxime commendarunt, et concionatoribus præsertim valde utilem non conclamarunt ¿Cui *Flores Doctorum* ignoti,

vel qui eorum suaviolentia non recreati? Hujus rei testimonium offerunt evidentissimum innumeræ propè editiones catholicæ et acatholicæ Parisiis, Lugduni, Placentiæ, Venetiis, Coloniæ, et Viennæ iterum atque iterum factæ; ita ut videatur neminem tunc potuisse sacram verbi Dei prædicationem arripere quin Hibernici librum velut optimam sacri ministerii tèsseram secum afferret. Et quid mirum si Auctor in suo libro ut excellentissimi ingenii vir, cum jam sacræ solitudini vitam omnem dedisset, facultate liber et vacui temporis diligenter usus scripta Patrum nocturna versavit manu versavit diurna, et multo plura quam exigi poterat sapienti meditatione et accurata diligentia congessit?

Quæ cum ita sint, et in memoriam revocaremus hac misera nostra tempestate nullum pene fructum ab concionibus legi, tum quia corda mortalium luto philosophici hujus indiferentismi insordescunt, tum maximè quod vix à modernis prædicatoribus Scripturarum et Patrum testimonia citentur, quo fit ut sermones æstimentur magis ut verbum hominis quam Dei; librum hunc statuimus prælo moderno mandare non prius non auditis virorum piorum votis et consiliis, Vobisque dicare et offerre qui laboratis in vinea Domini sabaoth.

¿Parumne videbitur munus quia molis exiguæ? ¿aut spernendum quasi hac nostra ætate delicatis auribus ingratum? Absit ut à vestra scientia et pietate talem sperem repultam. Vos siquidem non latet Patrum esse testimonia quæ in opella ista continentur, breviora quidem sed tamen selecta, sed succi nativi plena grandibusque ideis referta. His Ecclesiæ luminaribus aut pares aut meliores

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

unquam extitisse fatendum est: his ergo utimini et vestrorum ad populum concionum magna erit laus.

Summopere interim gratulandum iis quibus in corde est eorum lectione animum pascere, et suam ipsorum facundia nutrire: hæc enim cum illis familiaritas Vobis orationis lumina et majestatem largietur; quodque est multo majus spiritum illorum et sanctimoniam afflabit. Sicuti qui in sole ambulat etiamsi nihil minus quærat, exceptis perpetuo radiis coloratur; et qui officinas pigmentorum odorumve frecuentat, ei etiam non sentienti adhæret suave nescio quid, et ipsum proximosque corroborat; ita qui sæpius ad cœlestes illos ac salutares Patrum effatus et sententias redit paulatim eodem cogitandi dicendique modo imbuitur, similique spiritu et confirmatur ipse, et aliis se audientibus eumdem inhalat.

Nunc ad æconomiam operis deveniamus. Ipsa erit juxta editionem coloniensem anni 1616 in qua nil vel puritatis orthodoxiæ, vel correctionis typographicæ desideratur. Post opus completum addemus nonnullos titulos diversarum materiarum qui in Hibernico desunt ut opus evadat perfectum Prædicatoribus promtuarium. Indicem titulorum adjiciemus: ac postremo utilissimum elenchum collocabimus homiliarum, orationum, concionum SS. Patrum in præcipuis anni diebus sive dominicis sive festivis qui ex prisca rituum sacrorum lege *primæ* aut *secundæ* classis dicuntur, expresso librorum, capitum et homiliarum numero.

Valete

VV. DD. RR.

ADDICTISSIMI ET HUMILLIMI,
Franciscus Aris et Socii.

ADMODUM REVERENDO, DOCTRINA VIRTUTEQUE CUMULATISSIMO VIRO AC DOMINO GUALTHERO XYLANDRO, LIBERALIUM ARTIUM ET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESORI, GIMNASII MONTANI APUD AGRIPINENS. REGENTI, ÆDIS METROPOLITANÆ COLONIENSIS PRESBYTERO CANONICO, DOMINO AC MECÆNATI SUO PLURIMUM COLENDO.

Inter cæteros, admodum Reverende, doctrina virtuteque cumulatissime Domine ac Mœcenas, qui de re tum literaria, tum Christiana præclare meriti sunt, non postremas tenere videntur hii, qui ingenti studio florilegia, polyantheas, sententiarum, exemplorumve farragines collegerunt, huc maturo delectu ex optimis quibusque optima congesserunt, et magno communis boni amore ad posteritatem transmiserunt. Multa boni oratores, Philosophi, sancti Patres, ad vitam honeste et pie instituendam et commentati sunt, et post se reliquerunt; sed pauci ea multa legere; pauciores memoria retinere; paucissimi quæ meliora, et ad institutum quodque accomodatiora deligere possunt. Omnibus his medentur, qui ubi improbo labore omnia legerunt, et excusserunt, maturo delectu selectiora seligunt, et in locos communes conjiciunt. Atque ego ut horum nulli laudem suam derogo; ita Thomam Hybernicum maxime probari animadverto, quod summo et studio et judicio, quæ non modo ad vitam pie et Christiane instituendam; sed et ad orthodoxam avitam religionem confirmandam faciunt, congesserit, et ex sanctissimorum Patrum monumentis,

Floriveris ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia sic iidem decerpserit aurea dicta.

Animadvertere hoc ante me non modo qui eodem mecum in religione sensu fuere: sed et hostes nostræ religionis, itaque ut illi non minore religionis commodo, quam amore hunc librum et diligenter et fideliter jam olim cudere, et iterum ac sæpius recudere: sic hi suo illum more orbi obtruserunt; suo, inquam,

more mutilum, depravatum, adulterinis adjectionibus oneratum, talem omnino, qualis ex Calvinistarum officina prodire potuit; magis mutatum, quam Hector ille Virgilianus,

Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, etc.
——erat mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillei,

ut jam non Thomam Hybernicum, sed Calvini spiritum; non flores, sed venena agnosceres. Quo id fine fecerint, nemo tam naris obesæ est homo, qui non advertat: sanè non alio, quam ut nova sua commenta antiquorum Patrum nomine venditarent, et vino minimè vendibili speciosam hederam appenderent. Ac ne injuriam bonis illis viris ac fidis Typographis facere videar, ex multis ac propè infinitis unum vel alterum exemplum adducam, ut ex his, quomodo reliqua affecta sint innoteseat. Videantur modo tituli, *Antichristus, Confessio, Ecclesia, Eucharistia, Maria.* Bone Deus quanta in illis metamorphosis? quanta mutatio? In tit. *Antichristus* ea, quæ docent Antichristum tribus duntaxat annis et sex mensibus sæviturum, et sub finem quidem mundi, et non nisi ante defectionem et expletionem Romani Imperii, templum Hierosolymitanum reparaturum, et omnes veteris legis cærimonias restauraturum, aliaque ex quibus liquidum evadit Romanum Pontificem verum veræ Ecclesiæ caput, non esse Antichristum, omiserunt; et alia in locum substituerunt. In titulo, *Confessio*, quæ Confessionem peccatorum sacerdoti faciendam omnino evincunt, expunxerunt; quæ de confessione Deo facienda agunt, assuerunt; quasi illud non sit necessarium, cum vera et concors omnium Patrum sententia utrumque conjungat. In tit. *Ecclesia* (ut non dicam de reliquis) ubi sunt aurea illa Chrysologi in favorem Romanæ Ecclesiæ verba; Quod stipiti rami, quod capiti membra, quod soli radii, quod fonti rivuli: hoc Apostolicæ sedis eminentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas ubique terrarum religio Christiana fundavit? In tit. *Eucharistia*, nihil intactum prope, immutatumque reliquerunt: In titul. *Maria*, præcipua ejus encomia, et quæ eam tanquam humani generis in cœlo post Christum patronam et advocatam invocandam esse docent, quæ noster Hybernicus studio Virginis Matris studiosissime collegit,

non attigerunt: alia quædam, quorum Hybernicus non meminerat, ex Epiphanio, quæ sanctus ille et eruditus pater disseruit contra Collyridianos, B. Virginem adorantes, sacrificiis prosequentes (qui honor soli Deo debitus) ac si contra orthodoxam B. Virginis invocationem facerent, diligenter atrexuerunt. O fidos interpretes! quid est esse plagiarium, si non hoc est? Hybernici nomen præfixerunt; Hybernicum in præfatione commendaverunt? in decursu, quæ Hybernicus collegit, suo arbitratu truncarunt, mutilarunt, loco moverunt; sua ipsorum substituerunt, ut sub Hybernici pii et Catholici doctoris nomine Calvinianum virus propagarent, et dum Catholicus lector Catholicos flores carpere sperat, hæreseos venenum imbiberet. Quis fidem illis in religione habeat, qui in talibus tam perfide agunt? At inquiet aliquis, Patrum illi sententias non suas ediderunt. Primum; non hoc ago, istud quæro, an illas Patrum sententias, quas Hybernicus noster collegit; an vero quas ipsi ad suum palatum collegerunt? Si non quas Hybernicus, sed quas ipsi; cur non suum, idest Calvinisticum, quam Hybernici nomen potius præfixerunt? Nimirum quod non poterant sub pelle leonina, hoc sub vulpina tentandum erat, et incauto lectori falso titulo fucus faciendus. Deinde, non tam sententias Patrum, quam verba, retulerunt; et ea duntaxat verba, quæ ipsorum commentis in speciem favere viderentur; quæ vero solide ista oppugnant, verissimeque expugnant, eorum vix meminere. Imitati sunt parentem suum Archicalvinistam illum, qui principem et auctorem nostræ religionis aggressus: Si filius, inquit, Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim; Quia Angelis suis mandavit de te, &c. Verba ille S. Prophetæ adducebat, non sententiam. Et illi verba forte Patrum (et utinam sincere verba,) non sententias adducunt. An autem verba illos Patrum juvent? Non magis quam Sathanam verba Prophetæ. Non magis Patrum verba fidem persuadent Calvinisticam; quam Prophetæ verba à Sathana allata Christo persuasere ruinam. Sed hæc latius persequi non est mei instituti.

Cum itaque advertissem, Reverende admodum Domine, versutiam illorum hominum et dolum malum; dolui sanè vehementer, pro eo ac debui plagiariis illis tantum licere, et artem Typographicam ad rei Christianæ non minus, quam litterariæ amplificationem á

Deo Opt. maxim. hominibus concessam, ad perniciem converti. Quare zelo, ut spero, pio motus hos flores pristinæ integritati restitutos sub prælum mittere, et Reverentiæ tuæ inscriptos nomini in lucem dare cœpi. Nam cum quærendus mihi patronus aliquis hujus operis esset, qui illud contra perfidorum illorum insultus tueri, et lectori veritatis amanti illorum perfidia merito suspectum suo nomine, seu númine gratius, et comendatius redderе posset; subito T. mihi sese obtulit R. cujus ea sunt in me merita, ut præterire eam non debuerim; ea pietas ac eruditio ut vel solo nomine seu fulmine adversarios prosternere possit. Patere igitur admodum Reverende Domine, hunc meum qualemcumque laborem luce clarissimi tui nominis illustratum divulgari, ut et meæ in T. R. observantiæ perpetuus sit iudex ac testis, et hoc quasi scuto præmunitus, publicum fidentius gratiusque aspiciat. Vale. Coloniæ ipso die Constantini 1606.—Reverend. D. V. addictissimus cliens.—*Bernardus Gualtheri.*

TYPOGRAPHUS CANDIDO LECTORI.

Anthologiam habes á nobis, candide Lector, vel ut vere dicam, non modo Theologiæ, sed etiam totius Philosophiæ thesaurum: ex quo tibi est integrum, cultum ingenii, morum elegantiam, et vitæ integritatem ac dignitatem colligere et eruere. Breve quidem opus, sed tamen tale, de quo tibi possis idem polliceri, quod Homerus jactat de Menelao;

PAUCA QUIDEM SED VALDÈ ARGUTÈ.

Hoc, quantulumcumque est, quod certe maximum est ex lectissimis Aucthoribus collegit sedulo Thomas Hybernicus, vir facundia et eruditione clarus: idipsum in capita, seu communes locos constrinxit, ordine Alphabetico et numerariis elementis in fronte cujusque gnômæ præfixis usus: ut vel obtuitu quoque primo Philologum alioqui laborantem et sæpe vagantem levaret. Quid autem nos hac recenti editione præstiterimus, lectio faciet tibi fidem, non nostra vel ambitiosa vel elaborata commentatio. Innumeri certe loci sunt et castigati et restituti. Id tantum monendus es sine ulla sententiarum, quas auctor collegit immutatione, sententiolas aliquas esse postea adjectas; quas, ne dolo malo, (ut in illa adulterina editione contigit, cujus in præfatione meminimus) id factum suspiceris asterisco notavimus. Bene vale.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

AUCTORES, EX QUIBUS HI FLORES SENTENTIÆVE EXCERPTÆ SUNT.

HEBRÆI VEL ÆGIPTII.

RABBI MOYSES ÆGYPTIUS.

ARABES.

AVICENNA.

CHRISTIANI GRÆCI THEOLOGI

DIONYTIUS AREOPAGITA
BASILIUS MAGNUS.
ORIGENES ADAMANTIUS.
CHRYSOSTOMUS.
DAMASCENUS.
GREGORIUS NAZIANZENUS

LATINI CHRISTIANI ET THEOLOGI.

HIERONYMUS.
AUGUSTINUS.
AMBROSIUS.
GREGORIUS MAGNUS.
CYPRIANUS.
HYLARIUS.
ISIDORUS.
MAXIMUS.
JOANNES CASSIANUS.
FULGENTIUS.
BERNARDUS.
CASSIODORUS.
RABANUS.
LEO MAGNUS.
BEDA PRESBYTER.
PROSPER.
AURELIUS.
BOETIUS.
RICHARDUS.
TERTULLIANUS.
HUGO VICTORINUS.
ALANUS DE RUPE.
ALCUINUS.
PETRUS BLESENSIS.
PETRUS CHRYSOLOGUS.
EFFRENUS DIACONUS.
AYMO.
METHODUS IN PRÆPUTIIS.
VALERIUS EPISCOPUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

NESTOR ABBAS.	LACTANTIUS.
INNOCENTIUS.	CÆSARIUS.
REMIGIUS.	PETRUS DAMIANUS.

AUCTORES HUMANITATIS GRÆCI ET LATINI.

DEMOSTHENES.	SENECA PHILOSOPHUS.
PLUTARCHUS.	SYDONIUS.
STOBÆUS.	VEGETIUS DE RE MILITARI.
PLINIUS.	
VAL. MAXIMUS.	AULUS GELLIUS, QUAM
M. T. CICERO.	IPSE GELLIUM VOCAT.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ABSTINENTIA.

1. Bonum est in cibo, cum gratiarum actione percipere quicquid Deus edendum præcepit. Abstinere autem ab aliquibus non quasi malis, sed quasi non necessariis, non est malum. *Aug. de difin. rectæ fidei.*

2. Non interest omnino scilicet ad veritatem, quid alimentorum vel quantum quis accipiat: dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus vivit, et personæ suæ, et pro valetudinis suæ necesitate, sed quanta facilitate et serenitate animi his valeat, quum oportet, vel necesse est carere. *Aug. in li. de quæsti. evang.*

3. Quam suave mihi subito factum est, á suavitatibus nugarum abstinere, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium est. Ejiciebas enim eas á me: tu verò summa suavitas intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini, omni luce clarior, et omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. *Aug.* 9 *confessionum.*

4. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant se aliter non posse. Melius enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate: tu quare extolleris de infirmitate? Utere cibis electis, pretiosis, quia sic consuevisti, aliter non potes: quia si consuetudinem mutas, ægrotas: conceditur tibi, utere superfluis, da pauperibus superflua. Utere preliosis, da pauperibus vilia. *Aug. de verb. domini c. 1. tractans illud. Vermis divitiarum superflua.*

5. Qui sic se á carnibus temperant, ut alias escas difficilioris præparationis et pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed imitari luxuriam. *Aug. in ser. de dominica. 4. in adventu.*

6. Abstinentia tua atque jejunium tuum eò magis Deo grata sunt, quò cum moribus sanctis offeruntur: ut quæ in aliis sunt umbracula vitiorum, in te sint

NESTOR ABBAS.	LACTANTIUS.
INNOCENTIUS.	CÆSARIUS.
REMIGIUS.	PETRUS DAMIANUS.

AUCTORES HUMANITATIS GRÆCI ET LATINI.

DEMOSTHENES.	SENECA PHILOSOPHUS.
PLUTARCHUS.	SYDONIUS.
STOBÆUS.	VEGETIUS DE RE MILITARI.
PLINIUS.	
VAL. MAXIMUS.	AULUS GELLIUS, QUAM
M. T. CICERO.	IPSE GELLIUM VOCAT.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ABSTINENTIA.

1. Bonum est in cibo, cum gratiarum actione percipere quicquid Deus edendum præcepit. Abstinere autem ab aliquibus non quasi malis, sed quasi non necessariis, non est malum. *Aug. de difin. rectæ fidei.*

2. Non interest omnino scilicet ad veritatem, quid alimentorum vel quantum quis accipiat: dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus vivit, et personæ suæ, et pro valetudinis suæ necesitate, sed quanta facilitate et serenitate animi his valeat, quum oportet, vel necesse est carere. *Aug. in li. de quæsti. evang.*

3. Quam suave mihi subito factum est, á suavitatibus nugarum abstinere, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium est. Ejiciebas enim eas á me: tu verò summa suavitas intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini, omni luce clarior, et omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. *Aug.* 9 *confessionum.*

4. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant se aliter non posse. Melius enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate: tu quare extolleris de infirmitate? Utere cibis electis, pretiosis, quia sic consuevisti, aliter non potes: quia si consuetudinem mutas, ægrotas: conceditur tibi, utere superfluis, da pauperibus superflua. Utere preliosis, da pauperibus vilia. *Aug. de verb. domini c. 1. tractans illud. Vermis divitiarum superflua.*

5. Qui sic se á carnibus temperant, ut alias escas difficilioris præparationis et pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed imitari luxuriam. *Aug. in ser. de dominica. 4. in adventu.*

6. Abstinentia tua atque jejunium tuum eò magis Deo grata sunt, quò cum moribus sanctis offeruntur: ut quæ in aliis sunt umbracula vitiorum, in te sint

ornamenta virtutum. *Hie. in epi. ad Dem. virginem.*

7. Nonnulli vitam pudicam appetentes, in medio itinere corruerunt, dum solam abstinentiam carnium putant, et leguminibus onerant stomachum, quæ moderatè parcéque innoxia sunt: et ut quod sentio, loquar, nihil sic inflammat córpora, et titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus victusque convulsus. *Hie. in epi. ad Furiam.*

8. Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis voluptas, sine enim carne et vino citò frigel Venus: et á patre Libero, ad inconcessam Venerem gradus est proximus intemperantiæ. *Hie. in quadam epist.*

9. Modicus ac temperatus cibus et carni et animæ utilis est. *Hie. ad Rusticum monachum.*

10. Ante annos robustæ ætatis periculosa est teneris abstinentia gravis. *Hie. ad Lætam.*

11. Quid prodest tenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia? Quid virtutis habet vinum non bibere, et ira et odio inebriari? *Hie. ad Celantiam.*

12. Abstinentiæ virtus nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, cuantum valet, aut valde inordinata est, si atterit plus, quàm valet. *Greg. lib. 20. moral.*

13. Per abstinentiam carnis vitia extinguenda sunt non caro. Sic necesse est, ut artem continentiæ quisque teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Sæpe enim dum in illa hostem insequimur, etiam civem quem diligimus trucidamus, et sæpe dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. *Greg. lib. 30. moral.*

14. In abstinentia discretio servanda est.

15. Eisdem alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt, et cúm virtus alitur, plerumque vires vitiis augmentantur: quum verò inmensa abstinentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. *Ibidem.*

16. Incassum per abstinentiam corpus atteritur,

si inordinatis moribus dimissa mens vitiis dissipatur. *Greg. in pastoral.*

17. Qui á paradisi gaudiis per cibum cecidimus: ad hæc in quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. *Greg. in homil.*

18. Plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. *Greg. in hom. et 30. mor.*

19. Per Simonem, qui signantur, nisi abstinentes, qui foris carnem afficiunt, interius tamen fructum abstinentiæ non acquirunt? Crucem igitur Domini Simon in angaria portat: quia cum ad bonum opus sine bona voluntate ducitur, rem bonam sine fructu operatur. Simon ergo crucem portat, sed in cruce non moritur: quia abstinentes exterius per abstinentiam corpus afficiunt, sed interius per desiderium mundo vivunt. *Greg. super Evang. part. 5.*

20. Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando et á licitis caute restringit. *Greg. 5 lib. mora.*

21. Abstinentia est, quando quis pro amore Dei et salute propria, non ab illicitis tantum, imo interdum et á licitis atque concessis se cohibet. *Ibidem.*

22. Abstinentia est, quæ edendi horam non prævenit, ut fecit Jonathas in favo mellis: non lautiora quærit edere, ut Israelitæ in deserto: non accuratius parere, ut filii Eli in Silo; non ad superfluitatem, ut Sodomitæ, non vile quodlibet, ut Esau edulium in fame concupivit. *Greg. in homil.*

23. Chorda in cithara si minus tenditur, non sonat: quia nimirum tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, ut ad culpam caro non superbiat: et inde ad effectum rectitudinis in operatione subsistat. *Greg. 15. mor. super illud: Versa est in luctum cithara mea.*

24. Magnus discretionis labor est exactori, et aliquid impendere, et aliquid denegare: et non dando gloriam restringere, et dando naturam nutrire. *Greg. lib. 30. mora.*

25. Cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, á quibusdam et etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debet et concessa, et se reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquisse. *Greg. ho.* 35 *super evang.*

26. Sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos necesitati jejunandi subdamus, ut jam non devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus. *Prosper lib.* 2 *de vit. contem.*

27. Qui cibis abstinent, et mala agunt, demones imitantur, quibus culpa adest, et cibus deest. *Isidor. sup. Amos. prophet.*

28. Ciborum saturitas carnis luxuriam suscitat: edacitatis vitio crescit carnis tentatio. Saturitati semper libido adjuncta est. At contra, jejunio libido restringitur, jejunio luxuria superatur. *Isid.* 2 *lib. soliloqui.*

29. Nihil sic jucundum est, ut cibus bene digestus ac decoctus. Nihil sic ad salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, ut moderata refectio. Sufficientia quippe cum nutrimento et sospitate, simul etiam procreat voluptatem, exundantia verò morbum facit, et molestias ingerit, et ægritudines generat. Quod etiam facit fames: hoc etiam facit plenitudo ciborum, magis autem pejora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, et liberat ex hac vita pœnali: excessus verò ciborum consumit et putrescere facit corpus humanum, et macerat ægritudine diuturna, et tunc eum morte crudeli consumit. *Chrys. sup. ep. ad heb. sermo 29.*

30. * Abstinemus magis propter sanitatem quam propter beatitudinem. *Idem super Mat. hom.* 31.

31. Moderantia est, nimium ciborum appelitum rationis imperio revocare. *Hug. de. S. Victore.*

32. Semper virtuti cibus jejunium fuit, de abstinentia quoque prodeunt castæ cogitationes, rationabiles virtutes, salubria consilia, et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, et virtutibus

spiritus innovatur. *Leo papa in ser. de jejunio de ei. mensis.*

33. Melior est rationabilis quotidiana cum moderatione refectio, quàm per intervalla arduum longunque jejunium. Novit immoderata inedia non solum mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficatiam reddere lassitudine corporis enervatam. *Joan. Cassian. de instit. monachor. li. 5.*

34. Ipsis enim fit gravior consuetudo subtracti cibi, qui se escis aliis nesciunt consolari. *Cas. super psal.* 130.

35. Diruptum ganea stomachum nulla sarcire re melius, quàm parsimonia solet. *Cas. in quadam. epis.*

36. Multis tormentum est vino carere, et prima luce excitari. Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda. *Seneca in epist.* 75.

37. Molestum est iniquis carere assuetis voluptatibus, abstinere cibo, silire, esurire, hæc primo abstinentiæ gravia sunt, deinde cupiditas relanguescit. Ipsis per se cupiditatibus fatigatis ac deficientibus ante morsus est stomachus, inde quibus fuit aviditas cibus odium est, desideria ipsa moriuntur. *Se.* 39 *ep.*

Vide etiam in tit. Caro, numero 7 et 11. In titulo, Conjugium, numero 6. In titulo, Consuetudo, numero 3 In titulo, Discretio, num. 13 et 14. In titulo, Eleemosyna, num. 11. In titulo, Gula, Jejunium, et Infirmitas num. 2. In titulo, Servitium num. 3 et 11. in titulo Sobrietas et Temperantia, per totum.

ABUSIO.

1 Magna abusio, parcitas putatur avaritia, sobrietas austeritas creditur silentium tristitia reputatur. Econtrà, remissio discretio creditur, tristitia silentium reputatur. Loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, molities vestimentorum et equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia. *Bern. in apolog.*

2. Magna abusio est, ut corpus induatur, et contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. *Ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Mira abusio, domus ardet, ignis instat á tergo, et fugienti prohibetur egredi, et hoc ab his, qui in incendio positi sunt. *Bern. in epist.*

4. * Cæco lumen, surdo sermonem, sapientiam bruto offerre, labor irritus. *Ciprian.*

5. Duodecim sunt abusiones claustri, quibus tota religionis summa corrumpitur: scilicet, prælatus negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, tumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreverentia juxta altare. *Hug. l. 2 de claust. anima.*

6. * Inter abusiones hujus sæculi sola major est senis obstinatio. *Ibidem.*

7. Duodecim sunt abusiones sæculi, scilicet sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedientia, dives sine eleemosyna, fœmina sine pudicitia, dominus sine virtute, Christianus contentiosus, pauper superbus, rex iniquus, episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege. *Augu. de 12 abusio.*

8. Ridiculosa res est, aut magis periculosa, speculator cæcus, doctor inscius, præcursor claudus, prælatus negligens, præco mutus. *Gilbert.*

Vide etiam in titulo, Caro, num. 15. In titulo, Prælatio, num. 62 et 44.

ACCEPTIO PERSONARUM.

1. Si hanc distantiam sedendi et standi, ad honores ecclesiasticos referamus, non est putandum leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat, eligi divitem ad sedem honoris ecclesiæ, contemplo paupere instructiore et sanctiore? *Aug. et est in glosa. Jac. 2. super illud: frat. mei nolite in personar. acceptione, etc.*

2. Absit Domine, ut in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles: quando potius infirma mundi elegisti, ut confunderes fortia. *Augu. in quodam ser.*

3. Inter omnia peccata sacerdotum est maximum quod non causas, sed personas considerant, et despecto justo paupere, injustos divites honorant. *Amb. sup. Malach.*

4. Non sanguinis nectitudo, sed virtutis cognatio proximos facit. *Amb. ibi.*

5. Quicunque consanguinitate aut amicitia, vel econverso hostili odio vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium Dei Christi, qui est justitia. *Hie. in originali super Amos.*

6. Multa nos facere cogit affectus, dum propinquitatem respicimus corporum, et corporis et animæ offendimus Creatorem. *Hier. in epis. ad. Fabiol.*

7. Nec bonis adversariorum si honestum quid habuerint detrahendum, nec amicorum laudanda sunt vitia, et unumquodque non personarum, sed rerum pondere judicandum est. *Hier. ad Panmachium.*

8. Personam hominis accipere, est hominem non quia homo, sed propter aliquid quod circa ipsum est honorare. *Gregor. in ho. et mor.*

9. Judicare digné de subditis nequeunt, qui in subditorum causis, non merita, sed odium vel gratiam consequuntur. *Gre. in hom.*

10. Judices iniqui errant á veritate sententiæ, dum intendunt qualitatem personæ, et exulcerant sæpe justos, dum improbè defendunt iniquos. *Isid. 3 de sum. bono.*

11. Dives cito muneribus corrumpit judicium, pauper autem dum non habet quid offerat, non solum, audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. *Isid. ibidem.*

12. Acceptio personæ, est quædam fatua reverentia exhibita alicui, non causa debita, sed propter timorem vel utilitatem. *Hugo.*

13. Vos non attenditis merita causarum, sed personarum, non jura, sed munera, non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet, non quod sentiat, sed quod mens cupiat, non quod liceat, sed quod

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

libeat, nunquam in vobis est ita simplex oculus, ut totum corpus sit lucidum, sed aliquid semper admitatis fermenti, quo totam massam corrumpatis. *Inn. li. 2 de vilitate conditionis humanæ.*

14. Pauperum causam cum mora negligitis, divitum causam cum instantia promovetis. In illis rigorem ostenditis, in istis ex mansuetudine dispensatis. Illos cum difficultate respicitis, istos cum facinore tractatis. Illos negligenter auditis, istos subtiliter auscultatis. *Ibidem.*

15. Si forte pauperum causam suscipitis, illos remisse fovetis, cum autem divitum causam suscipitis illos pertinaciter adjuvatis, pauperes despicitis, divites honoratis, istis reverenter assurgitis, illis despicabiliter communicatis. *Ibidem.*

16. Clamat pauper, et nullus exaudit, loquitur dives, et quilibet applaudit, dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducunt. Pauper loculus est, et dicunt quis est hic? et si offenderit, subvertent eum, clamat vim patiens, et nullus exaudit, vociferatur, et non est qui judicet. Diviti dicunt, tu sede hic bene, pauperi verò, tu sta illic vel sede sub scabello pedum meorum. *Ibid.*

Vide etiam in tit. Electio, num. 1. in tit. Eleemosyna num. 54. in tit. Gloria æterna, num. 21. in tit. Judex, num. 11, 31, 35, 40. in tit. Pietas num. 8.

ACEDIA.

1. Acedia, est de virtutum laudabili exercitio utriusque hominis languida dejectio. *Gre. in ho.*

2. Acedia, est animi quidam languor, quum legere non libet, orare non delectat, meditationes solicite non sentiuntur. *Bern. in epi.*

3. Quum te acedia vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere atque desistere á studio spirituali: sed juvantis require manum, trahi te post eum obsecrans. *Bern. ibid.*

4. Acedia, est quidam animi torpor, quo quis ne-

gligit aliqua bona inchoare, aut fastidit perficere. *Ber. in ser.*

5. O homo imprudens, millia millium ministrant ei, et decies centena millia adsistunt ei, et tu sedere præsumis? *Ber. ibid.*

6. Vult et non vult piger: pigri vocabulo denotatur qui vult regnare cum Deo, et non laborare pro Deo. Delectant præmia quum pollicentur: deterrent certamina quum jubentur. *Beda sup. Prov. li. 2.*

7. Non dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio et desidia torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur. *Leo papa ser. de apparitione.*

8. Acedia circa horam sextam maxime monachum inquietat, ut quædam febris ingruens tempore præstituto, ardentissimos æstus accensionum suarum solitis ac statutis horis animæ inferens ægrotanti. *Joan. Cas. lib. 10 de institutio. monachor.*

9. Experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. *Idem in eodem lib.*

10. Acedia est solitariis magis experta, et in eremo commorantibus infestior hostis ac frequens. *Idem in eod.*

11. Torpor et ignavia dicunt: si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris. Si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si pro te latis vigiliis psalmorum censum persolvis, insaniam capitis acquiris. Si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis? *Aug. in lib. de conflicta vitiorum, et virtutum 9.*

12. Pigritia, est animi inertia vel faligatio, qua quis bonum inchoatum consummare fastidit. *Tullius de Tusculan. quæst.*

13. Luxurioso frugalitas pœna est, pigro supplicii loco labor est, desidioso studere, torqueri est. *Sene. epistol. 72.*

14. Non putant desidiosi posse fieri quicquam, quod facere non possunt, ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Nam hæc, ad quæ imbecilles sumus, dura atque intoleranda credimus; tormenta re-

putantes, vino carere, aut prima luce excitari, non ista difficilia sunt, sed nos fluidi et enerves sumus. *Ibid.*

15. Malè mihi esse malo, quàm moliter. Si mollis es, paulatim effœminatur animus, atque in similitudinem otii sui et pigritiæ, in qua jacet, solvitur, dormio minimum, et brevísimo somno utor, satis est mihi vigilare desiisse. Aliquando me dormisse scio, aliquando suspicor. *Sen. 53. ep.*

16. Nihil agere, semper infelici est optimum. *Sen. in prov.*

ADJUTORIUM.

1. Homines omnes æque diligendi sunt, sed omnibus si prodesse non possis, his potissimum subveniendum est, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictis, tibi quasi quadam sorte uniuntur. *Aug. de doctrina christiana lib. 1.*

2. Hæc lex est divinæ providentiæ, ut nemo á superioribus adjuvetur ad cognoscendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adivuerit. *Augu. de vera relig.*

3. Justum consilium est, ut qui se à potentiori vult adjuvari, adjuvet et inferiorem, si est ipse potentior. *Augu. de ser. in monte. lib. 1.*

4. Nihil sic probat amicum, sicut onera amici portare. *Augu. de ver. apostoli. 120.*

5. Eleganter dictum est, cum quis in puteum cecidisset, et aqua eum suffocaret, accessit alius, et eo viso admirans ait, quomodo huc cecidisti? Obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim, quæras. *Aug. in quadam ep. ad Hier.*

6. Non facile inveniuntur in adversitate præsidia quæ non fuerunt in pace quæsita. *August. in serm.*

7. Necessitates aliorum quantum possumus, juvemus, et plus interdum, quam possumus. Nihil tam secundum naturam est, quam juvare consortem naturæ. *Ambr. de offic.*

8. Si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum. *Ambr. de offi. lib. 3.*

9. * Illis favemus sæpius, á quibus referendæ gratiæ vicem speramus. *Ibidem.*

10. Vult enim Deus unumquemque alterius angustias, ut proprias sentire, et quomodo sibi in tali tribulatione, si esset, subveniri cuperet, ita ipse alteri propter Deum subvenire non postponat. *Hie. in epi.*

11. Impudens postulatio tempore necessitatis et angustiæ ab eo quærere auxilium, quem in prosperitate contempseris. *Hiero. sup.*

12. Habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si non apud eum, sicut valet, pro pauperibus intercedat. *Hier. lib. 1. super illud: In tempore afflictionis dicet, surge &c.*

13. Habens intellectum, curet omnino ne taceat, habens rerum affluentiam, á misericordia non torpescat, habens artem qua regitur, usum illius cum proximo partiatur, habens loquendi locum apud divitem, pro pauperibus intercedat: talenti enim nomine cuilibet reputabitur, quod etiam minimum accepit. *Greg. in quadam ho. super parabolam talentor. 1. 2.*

14. Qui potest emendare et negligit, participem se procul dubio constituit: qui alterius bonum adjuvat, suum facit. *Greg. in regi.*

15. Minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius, ea quæ sunt sibi necessaria, partitur. *Gre. in ho.*

16. * Adjuvare imbecillem charitatis est, adjuvare velle potentem, elationis. *Greg. 7 mor.*

17. Tunc amor tuus ad te ipsum temperans erit, et justus, si quod propriis subtrahitur voluptatibus, fratris necessitatibus non negetur: sic amor socialis efficitur, quum in commune protrahitur. *Ber. de diligendo Deo.*

18. Oleum pietatis et miserationis unguentum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quantò copiotiùs in fraternas necessitates effunditur, tantò donis potioribus augmentatur. *Cas. in quadam epist.*

19. Age sic aliud, ut tuum non obliviscaris negotium: amicis ita enim prodesse debemus, ut nobis non noceamus. *Ibid.*

20. Quid tibi fidelissime opus sunt arma, qui habere talia probaris auxilia? ipse enim pro te pugnat, cui nullus resistit, ipse insequitur, quem nullus declinat. *Cas. super psal. 55.*

21. Gratum debet esse subsidium, cujus solutum magis solventi crescit in commodum, quam suscipienti proficiat in augmentum: et quod dantem juvat et accipientem pro temporis necessitate lætificat: ut sic in una mercatione, quod raro solet emergere, uterque videatur desiderata commoda percepisse. *Cas. in quadam epist.*

22. * Nullius ope indigere se putat, qui alteri suam negat. *Lactant. lib. 6.*

23. Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium. *Aure. in quodam ser.*

23. Homini jucundo et probo miserrimum est, si eum adjuvare oportet, quem non juvat. *Sen. de benefic.*

24. Habet in adversis auxilia, qui in prosperis commodat. *Senec. in prov.*

25. Qui succurrere perituro potest, quum non occurrit, occidit. *Ibid.*

26. Nemo non quum alteri prodest, sibi profuit, virtutum omnium pretium in ipsis est, rectè fecisse, facti merces est. *Senec. 82. epist.*

27. Succurrere paupertati amicorum stude, imo potius occurre. *Ibidem.*

28. Pœnam á quo mereueris, frustra petis auxilium. Ab alio expecta, alteri quod feceris. *Sen. c. 43.*

29. * Alteri vivas oportet si tibi vis vivere. *Id. de ira.*

30. Homo in adjutorium mutuum generatus est *Tullius de amicitia.*

31. Fructus ingenii et virtutis omnisque; præstantiæ tunc maximus capitur, quum in proximum quemque confertur. *Idem 1. Off.*

32. * Homines hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint.

Vide etiam in tit. Desperatio num. 7. in tit. Dilectio num. 7. in tit. Misericordia num. 4. in tit. Tribulatio num. 8.

ADVENTUS DOMINI.

1. Nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla causa est medicinæ. Venit ergo de cœlo magnus medicus, quia per totum ubique jacebat ægrotus. Genus ergo humanum totum perierat, ex quo peccavit unus, in quo totum erat, ideo venit unus sine peccato, qui salvos faceret omnes sine peccato. Non enim eum de cœlo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt. *Aug. sup. Joan. & in glos. 1 Timoth. 5.*

2. Pater et filius et spiritus veniunt ad nos, dum venimus ad eos: veniunt subveniendo, veniunt illuminando: veniunt obediendo: venimus metuendo, veniunt implendo, venimus capiendo. *Aug. sup. Joannem.*

3. Hoc tempus non sine causa Domini adventus vocatur, ideo enim sancti patres celebrare cœperunt adventum, ut se unusquisque præparet fidelis et emendet, ut digné Dei sui nativitatem valeat celebrare. *Amb. sup. Lucam.*

4. Ille justus venit ad nos peccatores, ut ex peccatoribus faceret justos: pius venit ad impios, ut nos pios: humilis venit ad superbus, ut ex superbis faceret humiles. *Amb. ibid.*

5. Non prius veniet Dominus, quam regni Romani defectio fiat, et appareat Antichristus, qui interficiat sanctos, reddita Romanis libertate sub suo tantum nomine. *Amb. sup. 1. Tessa. 1.*

6. Signum adventus Dominici est, in toto orbe

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

evangelium prædicari, ut nullus sit excusabilis, quod aut jam completum est, aut in brevi credo complendum, non enim puto aliquam remansisse gentem quæ Christi nomen ignoret. *Hie. super Matth.*

7. Dignum est fratres ut tota devotione Domini celebremus adventum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione, nec solum cogitemus adventum quo venit et quare, quia salvum faceret quod perierat, sed et illum nihilominus quo veniet, et assumet nos ad seipsum; ut circa hos duos adventus jugi meditatione versemur, ruminantes in cordibus nostris quantum in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo. *Ber. in ser. de adventu.*

8. Venio ut errantes corrigam, et infirmantes adjuvem, et dubitantes in fide confirmem, et bene agentium fructibus perfectis quasi suavissimis pascar, et certantes ab hostium defendam insidiis, et victores hostium, perpetuæ visionis meæ corona munerem. *Beda sup. cantica li. 3 sup. illud: Veni in ortum meum.*

Vide etiam in tit. Antichristus num. 10 et 12. in tit. Incarnatio et in titulo Judex. num 3, 4, 12, 13, 17, 20, 21, 25, 26, 28. in tit. Mors num. 9. in tit. Resurrectio num. 8 et 10.

ADULATIO.

1. Adulatio est fallaci laude seduccio. *Aug. super Psal.*

2. Duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium, et adulantium: sed plus persequitur lingua adulatoris, quám manus persequentis. *Aug. super Ps. 59.*

3. Falsa laus adulatoris et simulata dilectio mentes à rigore veritatis emollit. *Aug. ibi.*

4. Sicut sumenda sunt amara salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. *August. de doctrina Christian.*

5. Sicut adulantes amici pervertunt, sic inimici

litigantes plerumque corrigunt. *Aug. 9. l. confessio.*

6. Adulantium linguæ ligant homines in peccatis, delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator. *Aug. super Psal. 9.*

7. Magis optabo á quolibet reprehendi, quam ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Laudator vero errat et confirmat errorem. *Aug. 2. de Trinit.*

8. Adulatio falax, crudelis est.

9. Emolliri adulantibus non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignaviæ videtur. *Amb. li. 1 de offic.*

10. Beata mens, quæ nec adulatur aliquando, nec adulanti credit, quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur, denique nec malum facit; aliquando nec patitur. *Hieron. in ep. ad Demetriad.*

11. Isto maxime tempore regnat vitium adulationis, quodque est gravissimum: quia humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur, et ita fit, ut qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus reputetur. *Hier. ad Celantiam.*

12. Rumusculos et gulosos et palpantes adulatores quasi hostes fuge. *Hier. ibi.*

13. Natali ducimur malo, et adulatoribus nostris libenter favemus, et quamquam respondeamus nos indignos, et calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem suam anima intrinsecus lætatur. *Hier. in ep. 121. ad Sabinianum.*

14. Nihil est quod tam facilè corrumpat mentes hominum, sicut adulatio, plus enim nocet lingua adulatoris, quám gladius persecutoris. *Hier. sup. Psal.*

15. Non sic adulandum est principibus, ut sanctarum Scripturarum veritas negligatur, nec generalis increpatio, maius personæ iniuria est. *Hier. sup. Isa. lib. 7.*

16. Ne credas laudatoribus tuis, imò irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui quum te adulationibus foverint, et quum te impotentem mentis effecerint, si subito respexeris, deprehendes post te

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

colla incurvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. *Hier. in ep. ad Rusticum monachum.*

17. Nos ad patriam festinantes, mortiferos Sirenarum cantus surda aure transire debemus. *Hier. in quadam epist.*

18. Impinguat caput oleum peccatoris, quum demulcet mentem favor adulantis. *Gregor. ho.* 12. *super Evang.*

19. Quisquis malè viventibus adulatur, pulvillum sub capite jacentis ponit: ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fulcitus laude quiescat. *Greg. super Eze. hom. 11.*

20. Adulatio si ad tempus patienter suscipitur, augetur, et paulisper demulcet animum, ut angore suæ certitudinis inolescat in dilectione sermonis: sed ne crescere valeat, statim quum fit, fine mora finienda est. *Greg. ibi. super Ezech.*

21. Qui auditis blanditiis in altum se extollit, quid aliud, quam aurum reprobum fuit, quod fornax igne consumpsit? *Gregor. ibi.*

22. Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *Bern. super Cant.*

23. Adulator omnis virtutis inimicus est, et quasi clavum figit in oculo illius, cum quo sermonem conferit: eoque magis cavendus est, quo sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, et modicum illud luminis, quod adesse videbatur, extinguat. *Chrysost. in Policratico de vestigiis philos. lib.* 3.

24. Sicut finis Oratoris est, dictione persuasisse, et Medici, medicina curasse: sic adulatoris est finis, suaviloquio decepisse. *Chrys.*

25. Adulari est seductorum.

26. Cum aliquis actus moribus populi, ut placeat eis, quibus aures pruriunt, loquitur quæ gratanter accipiant, loquitur quæ vicina sunt voluptati, talis magister consuit cervicalia sub omni cubito manus. *Orig. 3. ho. super Ezech.*

27. Qui ad voluntatem meditata deportant, et illa semper inquirunt, quæ delectent potius audientes, quam convertant á vitiis, faciunt velamina super caput. *Orig. ibi.*

28. Ipsa peccati nutrix adulatio: quæ sicut oleum flammis in culpa ardentibus solet administrare fomentum. *Beda super Lucam lib.* 2.

29. Adulator est, qui tacet et dat consensum, ne offendat illum, quem credit habere propitium. *Ibidem.*

30. Adulator amicus in obsequio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad adversa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana difficilis ad honesta. *Hugo. de san. Vict.*

31. Oleum peccatoris, est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus et blandimentis nostras mentes velut olei pinguedo, libenter ingrediens, rigorem veritatis emollit, et ad noxias cogitationes amoris ficti, vel potius ostentationis perducit. *Cassio. super illud psalm. Oleum peccat. non imping.*

32. Ficti adulatores quum cœnas divitum captant nihil prius meditantur, quam illud quod putant gratissimum auditoribus fore, nam nec aliter impetrabunt quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint. *Cassiod. in quadam ep.*

33. Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus, salve dicit, prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos et graves, hæc sagitta leviter volat, et cito infigitur. *Cassiod. in quadam ep.*

34. Vitiis semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus verò austera et fortia sunt amica. *Pet. crysol. in quodam serm.*

35. Eliminat á palatiis adulatio veritatem, illi soli in magistratum gratiam admittuntur, qui palpant blanditiis, et aures famæ bibulas, calice Babylonis inebriant. Benè cum magistratibus ageretur, si scirent inter adulationem et laudem distinguere. Sed cæca

laudis ambitio plus credens alii de seipso, quam sibi, utrumque recipit indistincte ampliant eos beneficiis, quos torquere debuerunt, et à presuntione adulandi suppliciis deterrere. Mordacissimus detractor in absentia nihil principaliter proponit, nisi quod placere existimat. Verba oris ejus, iniquitas et dolus. Cum enim sal correctionis in omni sacrificio acceptetur à Domino mel in omni sacrificio reprobatur. *Pet. crys. in quadam ep.*

36. Hujus pestis pestilentia perculiunt principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falsitatis. Hi sunt, qui magniloqua, commendationis tuba in divitum auribus citharizant, qui mellicæ adulationis favos foras eructant, qui ut emungant munera, caput divitis oleo adulationis inungunt, prælatorum auribus pulvinaria laudum subjiciunt, qui ab eorum palliis aut fictitium pulverem excutiunt aut vestem ficticiè deplumant implumem. *Alanus de complanctu, sive de conquestu naturæ.*

37. Isti penes munera, laudes, penes dona, favores, penes pretium, præconia famæ blandimentis constituunt. *Alanus ibid.*

38. Quid ergo adulationis unctio, nisi domorum emunctio? Quid commendationis allusio, nisi prælatorum delusio? Quid laudis arrisio, nisi eorundem derisio? *Alanus ibid.*

39. Adulatores à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam amplo dissensionis intervallo diffibulant, plerumque enim exterius plausibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoria derisione defraudant, foris vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo, foris adulationis mellicos compluunt imbres, intus detractionis evomunt tempestates. *Alanus ibid.*

40. Diogenes Syracusis cum olera ei lavanti Aristippus dixisset, si Dionysio adulari velles, ista non ederes: imo inquit, si tu ista edere velles, Dionysio non adulaveris, hæc veridicus veritatis annuntiator, malens oleribus sustentari, quam magistratibus adulari.

Valer. maxim. li. 4. de moderatio. rom.

41. A turba quantum potes te separa, ne adulatoribus latus præbeas. Artifices sunt ad capiendos superiores, par illis etiam si bene caveris, non eris. Sed mihi crede, si capieris; ipse te trades. Habent hoc in se naturaliter blanditiæ, etiam quum rejiciuntur, placent, sæpe exclusæ novissime recipiuntur, hoc enim ipsum imputunt quod repellunt, et subjici quidem nec contumelia possunt. *Seneca de tusc. quæstio. lib. 8.*

42. Cito nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos. Non sumus modica laudatione contenti, quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus, optimos nos esse et sanctissimos affirmantibus assentimur, cum sciamus sæpe illos mentiri. Adeo quoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria tamen maximè facimus. *Seneca 60 epist.*

43. Alexander cum in obsidione cujusdam urbis circuisset muros, ictu sagittæ percussus, cum represso sanguine sicci vulneris dolor crescerel, et crus obstupuisset, coactus absistere: omnes inquit, jurant me esse filium Jovis, sed vulnus hoc hominem me esse clamat. Idem nos faciamus, dicamusque: Vos quidem dicitis me esse prudentem, ego autem video quam multa inutilia concupiscam, nocitura optem. *Seneca ibi.*

44. Intus teipsum considera, non qualis sis aliis credas. Plerumque boni inepti et inertes vocantur: mihi continget iste derisus. Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, et ad honesta vadenti contineudus est iste contemptus. *Senc. 77 epist.*

45. Adulatio apertis et propitiis auribus recipitur, in præcordia ima descendit, venit ad me pro amico blandus inimicus. *Senec. 45 epist.*

46. O te felicem hominem, si nihil habes, propter quod quisquam tibi mentiatur, nisi quum jam etiam causa sublata est, mentitur, consuetudinis causa, adu-

lator blandus consilium dabit, quod deliberanti gratius fore suspicabitur. Cassæ fidei sunt qui jugiter blandiuntur. *Senec. 81 epist.*

47. ¡Adulatio quam similis est amicitiæ! non imitatur tantum illam, sed vincit et præcedit, eo ipso gratiosos facit, quo lædit. Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur, in his magno periculo erramus. *Sen. in ep.*

48. Monstrato tibi cujus rei inopia laborant magna fastidia, quid omnia possidentibus desit, unum scilicet verum dicat, dum nemo ex animi sui sententia dicit et suadet: sed adulandi certamen est unum amicorum omnium officium. *Sen. in ep.*

49. Malum hominem blandè loquentem, agnosce tuum laqueum esse. Habet enim suum venenum blanda oratio. Diogenes cuidam laudanti dixit: Adulator desine utrumque facere, nihil proficis, cum te intelligam. *Sen. in ep.*

Vide etiam in tit. Amicitia, 65. 86. Correctio, 12. 54. Error, 2. Laus, 1, 19. Prædicatio 13. Veritas 9. 10. Christus 13.

ADVOCATI.

1. Non ideò debet judex vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit advocatus justum patrocinium, aut peritus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur, isti ex una consistunt. *Aug. in ep. ad Maced.*

2. Nihil impudentius arrogantia advocatorum, qui garrulitatem, autoritatem putant, et parati ad lites, in subjectos tumida intonant. *Aug. in quodam serm.*

3. Justè advocato dicitur: Redde quod accepisti: quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppresisti, de falsitate vicisti. *Amb. in serm.*

4. Justus advocatus á nullo injustas causas accipit, nec verba dare pro justitia sustinet. *Greg. super Ezech.*

5. Verbosum advocatum et studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud, quam justitiæ hostem reputes. *Bern. de consid.*

6. Hi sunt, qui docuerunt linguas loqui grandia, quum operantur exigua larguissimi promissores, paucissimi exhibitores, diserti adversus justitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt, ut faciant malum, bene autem facere nesciunt. *Bern. ibi.*

7. Verbosus advocatus, aut rumpetur, aut loquetur, plenus est sermonibus, coarctatus est spiritus uteri sui, esurit et sitit auditores, quibus jactitet vanitates: et habita oportunitate loquendi, si de literis agitur, nova proferi et vetera, volant sententiæ, resonant verba ampullosa, interrogantem prævenit, et quærenti non respondet. *Bern. ibi.*

8. Miror namque quomodo religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes advocatorum, et pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis. Nihil enim ita absque labore manifestam facit veritatem, sicut brevis et pura narratio. Præscinde ergo linguas vaniloquas, et labia dolosa claude. Hi sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti adversus justitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt, ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum. *Bern. ad Eug. pap. li. 1. cap. 9.*

9. Ranæ significant clamosas advocatorum allegationes, quæ inani et inflata modulatione velut ranarum somis et cantibus mundo deceptionis fabulas intulerunt. Ad nihil enim aliud utiles, nisi quod sonum vocis improbis et importunis clamoribus reddunt. *Orig. sup. illud Exod. 8. Percutiam omnes terminos tuos ranis.*

10. Antiqui forensem eloquentiam, caninam facundiam nuncupabant, eò quod causidici in certaminibus causarum, omissis, quæ agunt, veluti canes alterutrum lacerant. *Isid. 3. de sum. bon.*

11. Irritare, á canibus tractum est, quorum latratibus resonat plurimum. *Sidon.*

12. Hi sunt, qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, atrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes. *Cass. super illud psal. 75. Irritat adversarius nomen tuum.*

13. Hi sunt, qui negant civitatibus inducias, mercatoribus nundinas, emptoribus mensuras, reverentiam clericis, originem nobilibus, locum prioribus, cunctis jura, distinctis privilegia, quibus nullum genus hominum, ordinum, temporum cordi est. *Cass. ibi.*

14. Hi sunt in conviviis scurræ, in exactionibus harpyiæ, in collocutionibus bestiæ, in quæstionibus statuæ ad intelligendum saxei, ad judicandum lignei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facecias ursi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, et ad consumendum minotauri. *Cassiod.*

15. Hi sunt, quorum si nares afflaverit cujusquam rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic oculos Argi, et manus Briarei, et sphyngarum ungues cum eo, et perjuria Laomedontis, et Ulyssis argutias, et Sinonis fallacias, et fidem Polymnestoris, et pietatem pigri Leonis adhiberi. *Cassiod. ibid.*

16. Quomodo inter armatos, argutos, tumultuosos, virtute, numero, contubernio poterit ex æquo et bono solvi inermis, abjectus, peregrinus, pauper, audiri? ubi est gurges de sutoribus fabularum, de concinnatoribus carminum, de publicatoribus sinistrarum opinionum, qui cum non habeant opera pro pomis, spargunt verba pro folliis, et cum non adsit medula sensuum, abundant spuma verborum. *Cas. ib.*

17. Apud causidicos etiam ipsum silentium venale est, ac lingua eorum damnifica, nisi funibus argenteis ligetur. *Cass. ibi.*

19. Si quis armatur pecunia, tamquam loricis argenteis, torrentis impetum Tuliani, fulgur incursus Hectorei, robur virtutis Herculeæ, versipelles Ulyssis vilipendit astutias. In tantum enim habendi fames incanduit, ut Dialecticæ muta sit subtilitas, Retoricæ languescat civilitas, ubi numorum perorat pluralitas. *Alan. de conquest. nat.*

20. Si in aurem judicis vel advocati susurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, musa Virgilii, voce pecuniæ suffocantur. Quid plura? Ubi numus loquitur, Tulliani eloqui tuba raucescit: ubi numus militat, Hectoreæ militiæ fulgura compescuntur: ubi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea: numus vincit, numus regnat, numus imperat universis. *Alan. ibi.*

21. Nunquam deerit multiplex conventus falsorum; si tantum præsentia fuerit numorum. *Alan. ibi.*

22. Postquam commoditas quædam parva virtutis imitatrix sine rationabili officio dicendi copiam consecuta est, tunc ingenio freta, malitia pervertere urbes, ac vitas hominum labefactare consuevit. *Tull. in pro. log. Rhetor.*

23. Sæpe causas tantum differunt, quod litigantibus plus quam totum auferunt, quia major est expensarum sumptus, quam sententiæ fructus: nec terminantur negotia pauperum cepta, quousque eorum marsupia sint evacuata, cum tamen scriptum sit: Gratis accepistis, gratis date. Ipsi vero nec gratiam gratis dant, nec justitiam juste reddunt. Lucrum in arca damnum in conscientia. Sed quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. *Innoc. de vilitate conditionis humanæ.*

Vide etiam in tit. Adjutorium 13, 15. in tit. Consilium, 7. in tit. Eloquentia, in tit. Judex, 11, 29. in tit. Loquacitas, 6, 9. in tit. Tribulatio. 1, 16.

AMBITIO.

1. Noluit Christus regnum terrenum cum superbia quæ cathedra pestilentiæ ideo recte dicitur, quia non fere quisquam est, qui careat amori dominandi, et humanam non appetat gloriam. *Aug. sup. psalm.*

2. Quoties hominibus præesse desidero, toties Deo

meo præire contendo. *Aug. ib.*

3. Ambitio possidet omnium virtutum præmia. *Id.*

4. Ærugo mentis est appetentia dignitatum, si in his suprema spes vitæ præsentis locetur. Resipiscat unusquisque furore secularium dignitatum et cupiditatum, quæ mentem animumque perturbant, ut compos sui esse non possit. *Amb. super Luc. li. 5.*

5. Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda est consolatricula dignitatum: et sæpe quos vita nulla delectat, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos, habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, et ut dominetur, aliis prius servit, curvatur obsequio, ut honore donetur, et dum vult esse sublimior, fit remissior. *Amb. ibi.*

6. Prope omnium criminum fontes, hæc tria monstrantur esse genera vitiorum; scilicet gula, jactantia et ambitio. Causæ autem cupiditatis sunt, carnis delectatio, spes gulæ, et aviditas potentiæ. *Ibidem.*

7. Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus, nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius, interius in profunda descendat? *Gre. in reg.*

8. Ordinate ad ordines accedendum est, nam causam appetit qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta ascensum quærit. *Greg. ibi.*

9. Quisquis sacerdotium non ad elationis culpam, sed ad utilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo quidem subiturus onere metiatur, ut et impar abstineat, et ad id cum metu cui se sufficere existimat accedat. *Greg. ibi.*

10. Locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus. Virtutibus ergo pollens coactus ad regimen veniat. *Gre. in past.*

11. Sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui præsidet, occupationis onus libenti necesse est animo subvenire. *Gre. in reg.*

12. Multi non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si et se sentirent onere gravari, metuerent, nec cum tanto labore et periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero quia sola attenditur gloria, et non pœna, purum esse clericum erubescitur in ecclesia, sese viles æstimant, et inquilinos, qui quocumque eminentiori loco non fuerint sublimati. *Ber. in ep. ad hem. sen.*

13. An non limina Apostolorum amplius ambitio, quam devotio terit? an non vocibus ejus nostrum tota die resultat palatium? an non quæstionibus ejus tota legum canonumque disciplina insudat? an non spoliis ejus tota Italia inhiat inexplebili aviditate: non quod valde Romani curent, quo sine res terminentur, sed quia diligunt munera, sequuntur retributiones, nude nuda loquar, non detego verenda, sed inverecunda confuto. *Bern. de consid. ad Eug. lib. 3.*

14. O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques? omnibus places, nil acrius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. *Bern. de conf. li. 3. De cruce diaboli et mundi agit.*

15. Ambitio futile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans. *Bern. in quodam serm.*

16. Potestatis ambitio angelum felicitate angelica privavit, scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat non mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. *Bern. in quodam serm.*

17. Ambitio furoris causa. *Bern. Ep. 126.*

18. Omnis adeundi honoris ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potius, quam judicaturos, hi qui præesse volunt populis, cogitarent. *Orig. super ep. ad Rom.*

19. Ambitio est quædam Simia charitatis, charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur

omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate: utraque omnia credit, omnia sperat, sed longe dissimili modo. *Pet. Rav. in ser.*

20. Ambitiosus semper est pavidus, semper attentus ne dicat quod displiceat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur, cunctos honorat, universis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit et amplexatur, applaudit et adulatur. Unde novit istud poeticum: Et si nullus erit pulvis, pulverem tamen excute nullum. *Innoc. de vilitate conditionis humanæ.*

21. Ambitiosus promptus et fervidus, ubi placere cognoverit, remissus et tepidus ubi putaverit displicere. Improbat mala, detestatur iniqua, sed alia cum aliis probat et improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus, ut á singulis approbetur. Sed ecce gravem intra se sustinet pugnam difficilemque conflictum, dum iniquitas pulsat animam, ambitio continet manum, et quod illa suggerit, hæc fieri non permittit. Colludunt ad invicem mater et filia, iniquitas et ambitio, hæc vendicat sibi publicum, illa secretum. *Ibidem.*

22. Ambitiosus statim ut est ad honorem promotus, in superbiam extollitur, in jactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse, præsumit se meliorem, quia cernit se superiorem: priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præseps, molestus, arrogans, gravis et importunus. *Inno. ibi.*

23. Ambitio multos mortales falsos fieri coegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare, magisque vultum quam ingenium bonum habere. Est autem in hoc genere hoc molestum,

quod in magnanimis et munificis sæpius incidit potentiæ cupiditas. *Tull. in Rhetorica.*

24. Dulcedine gloriæ gloriosum Alexandri pectus insatiabilis laudis amor accepit, qui Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti præceptoris sui innumerabiles mundos esse referenti ¡hen me, inquit, miserum, qui ne uno quidem adhuc sum potitus! Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit. *Val. Ma. lib. 1.*

25. Gravissimum genus egestatis, in divitiis inopia. Relinque ambitionem, timida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum: tam solicita, ne quemquam ante se videat, quam ne se, laborat invidia. Vides autem quàm miser sit is cui invidetur et invidet, et acrior est cupiditas, quo illam amplioris rei spes evocat. *Sene. 88. epistola.*

26. Æquè ambitio non patitur quemquàm in ea mensura beatorum conquiescere, qua quondam fuit ejus impudens votum: nemo agit de tribunatu gratias, sed conqueritur quòd non est ad prætoram usque perductus. Si desit consulatus, nec hoc quidem sufficit, si unus est ultra, cupiditas enim non unde venerit respicit, sed quò tendit. *Sen. in ep.*

27. Nunquàm improbæ spei quod datur satis est, omnia meruisse se existimat, nec satis pretio æstimatum putat. Majora enim cupimus, quo majora venerint, intentióque concitatio est. Ambitio sive cupiditas in magnarum opum congestu collocata, ut flammæ infinita vis acrior est, quo ex majore incendio emicuit. *Sen. de ben.*

28. Sic est de ambitione, quomodo de amica conqueruntur homines. Si verum affectum inspicias, non odiunt, sed litigant. Videbis voluntariam esse illis in eo moram, quòd ægre ferre ipsos et misere loquuntur, peccatores enim conqueruntur de molestiis amicæ, nec tamen dimittunt, et ambitionis, nec tamen eam dimittunt. *Sene. 23. epi.*

Vide etiam tit. cupiditas, núm. 28, 29. in tit. discretio núm. 6. in tit. gloria vana, núm. 23, 25, 31, 33, 34. in tit. honor pax, núm. 16. in tit. prælatio, núm. 26, 29, 31, 38, 60, 61, 77 et 78.

AMICITIA.

1. Nescio utrum christianæ amicitiæ putandæ sint, in quibus magis valet vulgare proverbium : Obsequium amicos, veritas odium parit, quàm ecclesiasticum: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. *Aug. in epist. ad Hieron.*

2. Si voluntatem Dei quisque nosse desiderat, fiat amicus Deo, quia si voluntatem hominis, nosse quisquam vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam derideren; non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus. *Aug. contra Manich. li. 1.*

3. Esto similis medico: medicus non amat ægrotantem, si non odit ægritudinem, ut liberet ægrotum, febrem persequitur. Nolite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros. *Augu. in quodam ser.*

4. Hæc est perfecta amicitia, qua potius potiora, et minus minora diligimus. Sapientem animam et perfectam talem diligat, qualem videt. Illam stultam, non talem, sed quia esse perfecta et sapiens potest, quia nec se ipsum debet quis stultum diligere: nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam, nec fiet quisquam qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est. *Augu. de vera relig.*

5. Nullius repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam, non ut statim recipiatur, sed ut recipiendus optetur, atque ita tractetur ut recipi possit. Illum enim in amicitiam recipere debemus, cui omnia nostra consilia refundere audeamus. *Aug. lib. 12. quæstionum.*

6. Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio. Nemo nisi per amicitiam cognoscitur, et ideo amicorum mala firmiter sustinemus, quia bona eorum nos delectant et tenent. *Aug. ib.*

7. Sicut amici adulantes pervertunt, sic inimici litigantes plerunque corrigunt. *Augu. 9. confessionum.*

8. Non omnis, qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat inimicus. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. *Aug. ib.*

9. Amicitia in malo esse non potest. *Aug. ad Consent.*

10. Sunt quidam amici amicitia mala, quæ nec amicitia dicenda est, quia mala conscientia facit. Sunt enim homines, qui pariter mala committunt, et ideó videntur sibi juncti quia conscientia mala ligati sunt. Excepta ista nefaria amicitia, est quedam amicitia carnalis per similitudinem habitandi, colloquendi, simul conversandi, ut tristetur unus, quum deseritur ab amico, cum quo solet colloqui et habere conjunctionem, conveniunt duo, ambulant secum triduo, et jam nolunt á se recedere, et ista quidem amicitia est honesta, sed est consuetudinis non rationis, habent enim illam et pecora. Duo equi manducant simul, desiderant se ad aliam diem præcedit unus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum, vix regitur á possessore, et tandiu se impetu suo provocat, quousque ad alium perveniat. Et est alia amicitia superior non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem, et mutuam benevolentiam in ista vita mortali, ac superius quicquid invenimus divinum esse, incipiat homo amare, et non amabit in homine, nisi Deum. *Augu. in quodam sermo.*

11. Amicitia pauperum certior, quam divitum. *Aug. lib. 1. de Amic.*

12. Amicus animæ dimidium. *Idem 3. Conf.*

13. Amicus vitæ medicamentum. *Id 6. de Civ. Dei.*

14. Solus est qui sine amico est. *Ibid.*

15. Amicitiæ venenum suspicio. *Idem.*

16. Amico laudanti credendum non est, sic ut nec inimico detrahenti. *Idem.*

17. Non enim propterea debes amare amicum ut aliquid tibi præstet, ut pecuniam vel aliquid commodi temporalis, non illum amas, sed id, quod tibi præstat: amicus gratis amandus est, propter se, non propter aliud. Si autem coarctat te amicitiæ regula, ut gratis diligas, quàm gratis amandus est Deus, qui jubet ut hominem diligas? Nihil delectabilius Deo. *Aug. ibidem.*

18. Solatium hujus vitæ est, ut habeas cui pectus

tuum aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur: facilis vox et communis, tuus sum totus, sed paucioris est effectus. *Amb. de offi. li. 3.*

19. Virtus est amicitia non quæstus, quia non pecunia paratur, sed gratia, nec concertatione benevolentiæ. Meliores amicitiæ sunt inopum plerumque, quàm divitum, et frequenter divites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. Non est vera amicitia, ubi est fallax adulatio. *Idem.*

20. Objurget amicus amicum, non jactantiæ studio, sed affectu charitatis, neque admonitio aspera sit, nec objurgatio contumeliosa. *Ambr. de offic. mon. lib. 3.*

21. Si quid vitii in amico cognoveris, corripe occulte: si non audierit, corripe palàm: errantem amicum corrige, incorrigentem animo deseras. *Ambr. ibi.*

22. Defer amico, ut æquali, nec te pudeat si prævenias amicum in officio. Amicitia enim superbiam nescit. Nam sicut amoris est deferre, ita qui odit, quæstiones movet, et qui amat, defert reverentiam. *Amb. ibi. de offi.*

23. Amicitia, quæ desinere potuit, namquam fuit vera. *Idem.*

24. Amicitia rerum omnium est vinculum. *Idem de fide rerum invis.*

25. Solem é mundo tollunt, qui tollunt amicitiam. *Idem de amic. c. 7.*

26. Vera illa amicitia est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantùm, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor et divinarum scripturarum conciliant studia. *Hiero. in epist. ad Paulin.*

27. Amicitia parem aut facit aut accipit. Ubi inæqualitas, et alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia quàm adulatio est. Unde et alibi legimus. Fit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precans, Serves, inquit, animæ dimidium meæ. *Hiero. super Mic. prophet.*

28. Delicata est amicitia, quæ amicorum felicitatem et divitias sequitur. *Hiero. ibi.*

29. Obsecro te, ne amicum qui diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur, pariter cum oculis, mente amittas. *Hiero. in epist. ad Ruffinum.*

30. In amicis non res quæritur, sed voluntas, quia et alterum ab amicis sæpe præbetur, alterum sola charitas tribuit Eadem velle et eadem nolle firma amicitia est. *Hiero. ad Demetriadem.*

31. De amicitia omnis tollenda est suspicio, et sic cum amico quasi cum altero sese loquendum. *Hiero. in epist.*

32. Cùm incautè malorum amicitiis jungimur, eorum culpis ligamur, ab illo, qui summè rectus est, eo ipso jam discrepat, quo malorum amicitiis vita nostra concordat. *Greg. in pastorali.*

33. Amicus animæ custos dicitur.

34. Philosophus sic inter hostes vivendum censuit, tanquam inter amicos, ac inter amicos, ac si in mediis hostibus viveretur. *Chrys. in Policratico lib. 3.*

35. Ubi amicitia permanet, nil facile creditur, nil facilè recipitur quod dissidium possit operari. Si verò semel inimicitia occupaverint animos, omnia, quæ sunt, quæ dicantur, quæ audiuntur, ita recipiuntur, ut ad majores proficiant inimicitias. *Chrys. super Matheum.*

36. Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat, nam citò deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissolvitur. *Isid. lib. 3. de sum. bono.*

37. Nonnunquàm accidit ut inter amicos aliqua redargutionis nutrita discordia majorem posteà charitatem pariuriat, utpote quum corriguntur ea, quæ displicere in amico videntur. *Isid. ibid.*

38. Amicitia et prosperas res dulciores facit, et adversas communione temperat, et leviores reddit, quia dum in tribulatione amici consolatio adjungitur, nec animus frangitur, et minus eadem patitur. *Isid. ibid.*

39. In prosperitate incerta est amicitia, nescitur enim utrum persona an felicitas diligatur. Sæpe enim

per simulationem colitur amicitia, ut qui non potuit apertè decipere, fraudulenter decipiat. *Isido. ibid.*

40. Sæpe propter honorem quorumdam mutantur et mores: et quos ante conglutinatos charitate habuerunt, postquàm ad culmen honoris veniunt, amicos habere despiciunt. *Isido. de summo bono.*

41. Necessitas amicum probat, et intimæ charitatis ardorem splendor exhibitæ subventionis elucidat. *Cassiodo. in quadam epi.*

42. Novæ dignitates veteres solent amicitias immutare. Creat enim cor novum et novos affectus novæ dignitatis concientia. Divites facti, paupertatis amicos, cum paupertate fastidiunt, ne quid penes eos de veteri videatur inopia recedisse. Semper enim apud indignos mores crescit cum potestate supercilium. *Cassio. ibidem.*

43. Qui verè amicus est, omni tempore diligit, nam eum tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. *Cassio. in epist.*

44. Amicitia tantò certior est, quantò vetustior: quia facile mutari non potest, quod per longa secula custoditur. *Cassio. in epist.*

45. Justum est enim ut qui amicus erat in prosperis, amicitias profiteatur in adversis. *Cas. ibid.*

46. Sine amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine quorum solatio, vivere esset mori. *Cassio. ibid.*

47. Amicus est, qui nobis usu vitæ similis pio ac fideli jungitur. *Cassio. super psal.*

48. Vera amicitia tantum inter bonos oritur, inter bonos profuit, inter optimos consummatur. *Cass. in ep.*

49. Tantum diligo inimicum qui mihi nihil facit mali, quantum amicum qui mihi nihil facit boni. *Ibidem.*

50. Chara est uxor, dulces liberi, jucundi amici, accepti affines: sed postea cognitis nulla benevolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat. *Val. lib. 1.*

51. Bias ita ajebat homines in usu amicitiæ versari, ut meminissent eam ad gravissimas inimicitias posse converti. Quod quidem dictum prima facie nimis fortasse callidum videtur, inimicumque simplicitati: quia præcipue familiaritas gaudet, sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, per quam utile reperietur. *Vale. maxi. lib. 7.*

52. Amicitia est divinarum humanarúmque rerum summa cum benevolentia consensio. *Tul. de ami.*

53. Itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni: cum his enim amicitia natura ipsa peperit, sed ea non satis habet firmitatis, nam in hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublata enim benevolentia, amicitiæ nomen tollitur, sed propinquitas manet. *Tul. de ami.*

54. Excepta sapientia nihil melius datum est homini á diis immortalibus amicitia. Quid enim dulcius, quam habere cum quo omnia audeas sic loqui ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes amicum, qui illis æque ac tu ipse gauderet? Adversas etiam ferre difficile esset, sine eo, qui illas gravius etiam quam tu ferret. *Tul. ibidem.*

55. Amicitia res plurimas continet, quocumque te verteris, præsto est, nullo loco excluditur, nunquam intempestiva, nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igne locis plurimis indigemus quam amicitia. Nam et secundas res splendidiores facit, et adversas partiens communicánsque leviores. *Ibidem.*

56. Amicitia absentes adsunt, egentes abundant, imbeciji valent, et quod difficilius dictu est, mortui vivunt. *Tul. ibidem.*

57. Si ex rerum natura amicitiæ conjunctionem demeris, nec domus ulla, nec urbs stare poterit, nec agricultura permanebit. Quanta etiam vis ejus sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma est civitas, quæ non dissidiis funditus possit everti? *Ibidem.*

58 Si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret, sed quia natura mutari non potest, idcirco veræ amicitiæ sempiternæ sunt. *Tul. de amic.*

59. Nulla est excusatio peccati, si amici causa pec-

caveris: nam cum consiliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si á virtute dececeris. *Ibidem.*

60. Hæc enim lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus. Turpis enim excusatio hæc est, et minime accipienda, tum in cæteris rebus, tum siquis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. *Ibidem.*

61. Præcipiendum est ergo bonis, ut si in hujuscemodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment se ita alligatos, ut ab amicis in rempublicam peccantibus non discedant. *Ibidem.*

62. Quis est, qui velit omnibus opibus circunfluere, atque in tanta rerum abundantia vivere, ut neque diligat quemquam, neque ab ullo diligatur? Hæc enim tyrannorum vita nimirum, in qua nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia. Solem igitur á mundo tollere videntur, qui amicitiam á vita tollunt. *Ibidem.*

63. Sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi, cujus generis magna penuria, et judicare difficile est, nisi sit expertum. Ideo verum est id quod dicitur, modios multos salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit. *Ibidem.*

64. Verus amicus nunquam reperietur. Est enim is qui est tanquam alter idem. Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, habere talem amicum nolunt, quales ipsi esse non possunt, et quæ ipsi non tribuunt amicis, hæc ab eis desiderant. *Tul. ibidem.*

65. Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat. Honores vero quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil esse levius existiment? Itaque cætera, quæ quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et hi, qui se ad rempublicam contulerunt, et hi, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et hi, qui suum negotium gerunt otiosi: postremo hi, qui se totos tradidere voluptatibus, sine amicitia vitam nullam esse sentiunt. *Tul. de ami.*

66. Cujus aures clausæ veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud proverbium Catonis: Multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos inimicos, qui dulces videntur, illos sæpe verum dicere hos vero nunquam. *Tul. de ami.*

67. Nulla hæc est amicitia, quum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum est paratus. *Tul. ibi.*

68. Qui fortunis alicujus inducti, amicitiam ejus secuti sunt, hi simul ac fortuna delapsa est, evolant omnes. Quum enim recessit ea res quæ fuit consuetudinis causa, nihil superest quare possint in amicitia teneri. *Tul. 2. rheto.*

69. Nam quem in amicitia perfidiosum cognoveris esse, eum nunquam potes inter inimicitias confidum posse habere. *Ibidem.*

70. Præclare scriptum est á Platone, non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici: atque ut placet Stoicis, quæ in terris giguntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se, alii aliis prodesse possent. *Tul. 1. de offi.*

71. Inter bonos viros ac Deum amicitia est conciliante virtute: amicitiam dico, imò necessitudo et similitudo. *Sen. rep. 3.*

72. Mihi defunctorum amicorum cogitatio dulcius est, habui enim illos tamquam amissurus, amisi tanquam habeam. *Ibid.*

73. Sunt qui effusius mœrent quia verentur ne dubium sit an amaverint. Sera judicia sui affectus quærunt. Si habemus alios amicos, male de his et meremur et existimamus, quia parum valent in unius elati solatium. Si non habemus, majorem injuriam ipsi nobis facimus quam á fortuna accepimus, illum unum abstulit, nos quemque non facimus, deinde nec unum quidem nimis amavit, qui plusquam unum amare non potuit. *Sene. 63. epi. ad Lucil.*

74. Post amicitiam credendum est, ante judican-

dum. Illi vero præpostere officia permiscent, qui cum amaverint, judicant, et non amant, cum judicaverint. Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit; quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Cum amico omnes cogitationes tuas misce, fidelem si putaveris, facies. *Sene. 1. epistola.*

75. Vera amicitia est, quam non spes, non timor, non utilitatis suæ cura avellit, multos tibi, qui non amicis, sed amicitia caruerunt· hoc non potest accidere, quum animos in societate honesta capiendi par voluntas trahit: sciunt enim ipsos omnia habere communia, et quidem magis adversa. *Seneca ibid.*

76. Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama: jucundius est amicum facere, quam habere, quomodo artifici jucundius est pingere, quam pinxisse. *Sen. in epistol. 6.*

77. Qui amicus est, amat: qui amat, non utique amicus est. Amicitia semper prodest, amor aliquando nocet. Non est quod amicum tantum vel in foro vel in curia quæras, si diligenter attenderis, domi invenies. Errat enim, qui amicum in atrio quærit, et in convivio probat: in pectore enim amicus non in atrio invenitur. *Se. 29. epist.*

78. Non sum amicus, nisi quicquid agitur ad rem pertinens, meum sit, consortium omnium rerum, inter nos facit amicitia: nec secundi quicquam singulis, nec adversi in commune vivitur, conversari cum amicis habentibus licet, et quidem quoties velis, quamdiu velis, amicus animo possidendus est. *Sene. 18. epist.*

79. Non potest quisquam bene degere, qui se tantum intuetur. Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Hæc societas diligenter et sancte observata, quæ nos homines hominibus miscet, et indicat aliquid esse commune jus generis humani. *Sene. 79. epist.*

80. Nihil æque ægrum reficit sicut amicorum affectus, non judico me mori, quum illos superstites relinquero: puto, inquam, me victurum, non cum illis, sed per illos. *Sene. 79. epist.*

81. Dissimilitudo morum, distantia vitæ, et ingenia contraria solvunt amicitiam. Amicitias probatas enixe expete, constanter retine, perenniter serva, inimicitias indictas exerce honeste, tarde crede, celeriter depone. *Sen. in extrema parte epistolarum.*

82. Omnes amicos habere operosum est: satis est inimicos non habere. *Sen. ibid.*

83. Nunquid amici novi anteponendi sunt veteribus, ut equis veteribus teneros anteponere solemus? Hæc indigna homini dubitatio est, vetustissima quoque debent esse suavissima in amicitia. *Sene. ibidem et Tul.*

84. Nullum habet majus malum occupatus homo, et bonis suis obsessus, quam quod amicos sibi putat, quibus non est, et quod beneficia sua efficacia judicat ad faciendum amicos, cum quidam quo plus debent, magis oderunt. *Sene. ibid.*

85. Qui se spectat, et propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat, quemadmodum cœpit, sic desinet: necesse est ut initia inter se et exitus congruant. Qui enim utilitatis causa adsumptus est, tandiu placebit, quandiu utilis fuerit, hunc florens amicorum turba circumsedit, circa eversos solitudo est, et veri amici fugiunt, ubi probantur. *Sene. 9. epis. ad Lucil.*

86. Negotiatio est non amicitia quæ ad commodum accedit, detrahit enim amicitiæ, qui illam parat ad bonos casus. *Seneca ibi in epist.*

87. Si aliquem amicum existimes, cui non tantum credis quantum tibi, vehementer erras, et non satis nosti vim veræ amicitiæ. *Seneca in epist. 3.*

88. Falsi amici pro consilio adulationem adferunt, et una est eorum contentio, quis blandissime fallat. *Sen. in extrema parte epist.*

89. Cum amicis breves rationes, longas amicitias, oportet habere. Principium amicitiæ, bene loqui: grande exordium inimicitiarum, maledicere: amicum prosperitas invenit, sed adversitas probat. *Sen. ibid.*

90. Amicos in secreto mone, palam autem lauda, vires tuas amici magis sentiant beneficiis, quam injuriis. *Seneca de mo.*

91. Amici vitia si feras, facis tua. Ita amicum habeas, ut inimicum putes, ita crede amico, ne sit inimico locus. *Seneca in proverb. phi.*

92. Nulla pusilla domus, quæ multos recipit amicos. Talem diligentiam exhibe in amicis comparands, ne incipias amare, quæ deinceps possis odisse. *Sen. ibi.*

93. Quanti tales amicos habere voluerunt et ipsi tales esse non possunt. Tu primum exhibe te bonum, et quære alterum similem tibi. *Ibidem.*

94. Amico mutuam roganti me pecuniamisi dedero, et amicum et pecuniam perdo. *Ibid.*

95. Coagulum amicitiæ, est cum bonis convivium. *Ibidem.*

96. Expedit jam probatos amicos amare, non amatos probare. *Theophr. ibid.*

97. Non opto ut eos, qui divites sunt, amicos habeam: amicus raro acquiritur, cito perditur. *Ibid.*

98. Ad emendationem sui unusquisque nostrum debet habere aut valde amicum, aut valde inimicum. *Diog. ibi.*

99. Diu deliberatos amicos elige, electi infideles esse poterunt, judicaque eos, in affectu non uno habeas merito. Amicos sequere, quos non pudeat elegisse, amici vitam tuam imputa gloriam. *Ibid.*

100. Theophrastus cum quidam diceret: Ille illius amicus est, cur ergo, inquit, illo divite pauper est? amicus non est, qui fortunæ particeps non est. *Ibid.*

101. Amicum blandum cave, cui amarum est, semper, quod fuerit dulce, fortunato amico vocatus, infortunato semper præsto sis. Bonus amicus læsus graviter irascitur. *Theoph.*

102. Optima medicina homini est homo, qui ejus remediatur adversis, qui ejus condescendit incommodis, qui gravia levigat, qui amici onera quasi juncto humero simul portat, nec enim verus amicus impatientius propriam injuriam sustinet, quam amici. *Petr. Blesen. in libello de amicitia.*

103. Amicitia est divitibus pro gratia, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute,

pro medicina ægrotis, pro vita mortuis. Est enim ejus, suavissimus fomes, sinceritas affectionum, mutua obsequia rerum honestarum, crebra collatio, parilitas voluntatum vigens et inviolabilis fides. Vera enim amicitia inter bonos tantum oriri solet, inter meliores proficere, inter optimos consummari. *Ibid.*

104. Quatuor sunt vitia, quibus præclarus honor amicitiæ sæpius obfuscatur, scilicet iracundia, instabilitas, suspicio, atque garrulitas. *Ibid.*

105. Si fidem amici experiri volueris, non ei prius tui cordis arcana committas, sed aliqua exteriora et modica, de quibus non magnum emergat dispendium, si fuerint revelata, et ea nihilominus sub ea cautione et admiratione terribili credas, ac si obesent prodita, et prodesent celata. *Pet. Bles. ibid.*

106. Vera amicitia eodem oculo respicit amicum divitem et mendicum, fortem ac debilem, sanum et ægrum, humilem ac sublimem. *Ibidem.*

107. Si videris hominem anxie appetentem quod per te præstare possis, si in hujusmodi rei obtentu ei aliquis præferatur, facile, quia tibi adhæserit, intentione patebit. Nam in hujusmodi casu nunc ex dejectione oculorum, nunc ex vultus adversione, nunc ex verbo subtristi, nunc ex risu ficto, nunc ex reverentia et obsequio negligentiore ambitiosæ mentis ægritudo poterit deprehendi. *Ibidem.*

108. Amicus non subito est publice objurgandus, donec ex turbatione recenti adhuc est inquietior æger. Ægri animus cauta dissimulatione levandus est, donec mentis nubilo serenato, auris pacatior verba blande monentis admittat. *Ibidem.*

109. Veteris amicitiæ vestigiis aliqua reverentia semper impendenda est, nisi eam enormitas reatus eliminet. Nullum quippe vitium ita contra naturam est, ut naturæ possit extrema delere vestigia. *Ibidem.*

110. Licet vera amicitia solum requirat affectum liberalem: tamen obsequium non excludit, sed eo potius illustratur, unde quidam dixit: Tantum diligo inimicum qui mihi nihil facit mali, sicut amicum, qui nihil facit boni. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Acceptio núm. 7. in tit. Adjutorium núm. 4, 18, 24. in tit. Adulatio núm. 2, 3. in tit. Amissio núm. 13, in tit. Consilium núm. 5. in tit. Dilectio núm. 21. in tit. Divitiæ núm. 22, 33. in tit. Fraternitas inimicitia, núm. 9, 11, 13. in tit. Prosperitas núm. 12, 28. in tit. Societas núm. 6. 7.

AMISSIO RERUM.

1. Potes aurum perdere et nolens, potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem, bonum verò quo verè bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis. *Augu. de ver. domini.*

2. Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. *Augu. in Enchirid.*

3. Magna consolatio in rerum amissione est, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse: ut dum unusquisque intuetur quod aliquando illa non habuit, dolorem temperet, quod amisit. *Greg. li. 3, moralium.*

4. Sine dolore amittitur, quicquid sine amore possidetur. Quæ verò ardenter diligimus habita, graviter suspiramus ablata. *Greg. 3. mor.*

5. Quanto minor in possesione commoditas, tanto minor in amisione dolor. *Idem in homilia.*

6. Cum gravi dolore amittuntur, quæ cum magno amore habentur, minus autem carendo dolemus, quæ minus possidendo diligimus. *Isid. 3. de sum. bon.*

7. Nihil perdit qui se habet. Circunspice ista, quæ nos agunt in insaniam, quæ cum plurimis lacrymis amittimus: scies enim non damnum in his molestum esse, sed opinionem damni, pecuniam minorem habebis, nempe et molestiam, gratiam minorem nempe et invidiam, scilet minorem habebis. *Sen. 83. epi.*

8. Pecuniam perdidisti, et illam quæ multos habet perdidisti, fortassis te illa perderet. O te felicem, si cum illa avaritiam perdidisti. Pecuniam perdidisti, antequam tu haberes, alius perdiderat, oculos perdidisti, quàm multis cupiditatibus vita incisa est. Liberos amisisti, stultus est, qui mortem mortalium deflet. Perierunt periturí, habebant illi cujus magis essent, quàm tui, apud te precariò morabantur, educandos tibi illos fortuna mandaverat, recepit illos non abstulit. *Sen. de reme. fortuitorum.*

9. Oculos perdidisti, habet et nox suas voluptates, non intelligis partem esse inocentiæ cæcitatem, huic oculi ad alterutrum monstrant, huic incæstum, huic domum quam concupisceret, huic urbem, irritamenta vitiorum, sunt duces scelerum. *Sene. ibid.*

10. Nudus existi, omnia perdidisti, sed cum omnibus perire potuisti. Cogitas quod perdideris, sed non quod evaseris. *Sen. ibid.*

11. Pecuniam perdidisti, eris nunc in via expeditior. Exoneravit te fortuna, si intelligis, et tutiore posuit loco. Damnum putas, remedium est. Deflens miserum te clamitas, quod opibus excusus es, tuo vitio ista tibi jactura tam tristis est. Non tam molestè ferres, si tanquam perditurus habuisses. *Sen. ibid.*

12. Uxorem bonam amisisti, utrum inveneras bonam, an feceras? Si inveneras, habere te posse aliam ex hoc intelligas. Si feceras bene tibi spera, res perit, salvus est artifex. *Senec. ibidem.*

13. Amicum perdidisti. Si unicum, erubesce. Quid in tanta tempestate ad unam anchoram stabas? Alium quære, et cum eum quæras, ubi invenias, quære inter liberales artes, inter certa et honesta officia, quære in laboribus, ad mensam res ista non quæritur. *Sen. ibid.*

14. Multa tibi posum ostendere, quæ acquisita acceptaque libertatem nobis extorserunt. Nos essemus nostri, si ista nostra non essent. *Sene. 61. epi.*

15. Id agamus, ut jucunda nobis amissorum fiat recordatio. Nemo libenter ad id redit, quod sine tormento cogitaturus non est. *Sene. 63. epi.*

16. Nullius rei amissio facilior est, quàm quæ desiderari amissa non potest. *Sene. epi. 4.*

17. Stilbon capta patria, amissis liberis, amissa uxore, cum ex incendio publico solus et tamen bea-

tus exiret, interroganti Demetrio, nunquid omnia perdidisset, respondit: nihil, inquid, perdidi, omnia mea mecum sunt, justitia, virtus, prudentia. Nihil bonum putare potuit, quod eripi posset. *Sene. epi. 1.*

18. Aspicere oportet, quod possis perdere dimissum; quod nescitur, non amittitur. Homo toties moritur, quoties amittit suos. *Seneca in prover.*

19. Bias omnibus amissis, omnia, inquit, mea bona mecum porto. Pectore enim illa gestabat, non humeris nec oculis videnda, sed animo æstimanda, quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari quæunt. *Val. max. lib. 1.*

AMOR.

1. Quid est amor, nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, et quod amatur?

2. Amari non nisi nota possunt.

3. Amare alium non potest, qui seipsum non amat.

4. Quæcumque amore possessa sunt, non sine dolore pereunt.

5. Non amatur quod propter se non amatur. *Aug. de uni. Bap.*

6. Amatur aliquando res bona non bono amore. *Aug. con. Manich.*

7. Sordes animi sunt, amor quarumlibet rerum præter animum et Deum, à quibus sordibus quantò quisque est purgatior, tantò verum facilius intuetur. *Aug. de util. cred.*

8. Nihil tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. *Aug. de mor. eccle. contra manich.*

9. Omnis creatura cum bona sit, et bene amari potest, et malè. Bene scilicet ordine constituto: male ordine perturbato. *Aug. de civi. Dei lib. 15.*

10. Duas civitates duo faciunt amores, Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi. Interroget igitur se unusquisque quid amet, et inveniet unde sit civis. *Aug. sup. psal. 64.*

11. Ad Deum, qui ubique præsens est, ubique totus est, non pedibus licet ire, sed moribus: mores autem nostri non ex eo quod quisque novit sed ex eo quod diligit, dijudicari solent, nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni vel mali sint amores. *Aug. in episcop. ad Maced.*

12. Beatus qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. Solus ille charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur. Te nemo amittit nisi qui dimittit, et quò itur, nisi à te placato ad te iratum? *Augu. in li. confess.*

13. Ponderibus suis aguntur omnia, et loca sua petunt. Pondus meum, amor meus, illo feror quocumque feror. *Aug. lib. 13. confessionum.*

14. Verus amor non sentit amaritudines, sed dulcedinem, quia soror amoris dulcedo, sicut soror odii est amaritudo. *Ibid.*

15. Qui amat, non laborat: omnis enim labor non amantibus gravis est. Solum amor est, quod nomen difficultatis erubescit. *Aug. ibi.*

16. Nulla major est ad amorem invitatio, quàm prævenire amantem, et nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. *Aug. de catech. rudi.*

17. Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant: sicut venantium, aucupantium, piscantium. In eo enim quòd amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. *Aug. in li. de sancta vidu.*

18. Ama amorem illius, qui amore tui amoris descendit in uterum virginis, et ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suæ æternitatis limo tuæ mortalitatis. *Aug. de cate. rudi.*

19. Constans et perfectus debet esse amor noster, ut si necesse fuerit, amore illius moriamur, qui amore nostri placidè ac benignè mori dignatus est. *Aug. ibi.*

20. Minus Domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. *Augu. in li. confess.*

21. O, si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis! *Augu. de doct. Christiana.*

22. Hoc habet impatiens amor, ut quem desiderat, semper invenire se credat. Ignorat siquidem judicium, et ratione multoties caret, necit modum, nec aliud cogitare potest, quàm quod diligit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, nec ex difficultate remedium, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subjicitur. *Amb. in sermo. de assump.*

23. Non minus vos diligo, quos genui ex evangelio, quàm si suscepissem conjugio. Gratia quippe vehementior est ad diligendum, quàm natura. *Amb. de off.*

24. Nihil amantibus durum, nullus labor difficilis: amemus et nos Christum, et facile videbitur esse difficile. *Hiero. in ser. quodam.*

25. Felix conscientia illa, in cujus corde præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque justitia, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat quod quum viderit, nolit dimittere. *Hiero. in epist. ad Demetr.*

26. Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes ori applicatas, et oblatos ac degustatos cibos blandasque ac dulces litteras sanctus amor non habet. *Hier. in epi. ad Nepotia.*

27. Amor formæ, rationis oblivio.

28. Tunc plenius in Dei dilectione proficimus, quum in ejusdem dilectionis gremio, prius proximi charitate lactamur. *Greg. 5. li. morali.*

29. Solent nonnulli in prosperis Deum diligere: in adversis autem flagellantem minus amare. *Greg. 2. lib. mora.*

30. Amanti Deum dilatio imponitur, ut ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeatur. *Greg. 16. lib. mora.*

31. Tanto quisque á superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. Nunquam est amor Dei ociosus, operatur enim magna si est, si autem operari renuerit, amor non est. *Greg. in hom.*

32. Tantum quilibet portat proximum quantum amat. Si enim amas, portas, si desistis amare, desistis et tolerare. *Greg. super Ezech.*

33. Ille in amore Dei major est, qui ad ejus amorem plurimos trahit. *Greg. in hom.*

34. Certè jam monumentum vacuum viderat, jam sublatum dominum nuntiaverat, quid est quod se iterum inclinat? iterum videre desiderat? Sed amanti semel aspicere non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. *Greg. in homil. Maria stabat ad monumentum. etc.*

35. Mulier quid ploras? quem queris? Interrogatur causa doloris, ut augeatur desiderium quærentis, quatenus cum nominaret quem quæreret, in amore ejus ardentius æstuaret. *Greg. ibid.*

36. Vehementer claudit oculum cordis amor privatus, ex quo fit, ut hoc quod agitur et grave esse non æstimemus, plerumque cum agatur à proximo et nimis detestabile esse videatur. *Greg. super Ez. ho. 2.*

37. Vis amoris hoc agere solet in animo, ut quem semper ipse cogitat, nullum alium credat ignorare. *Greg. hom. 25. sup. illud Evang. Domine si tu sustulisti eum, etc.*

38. In quantum quisque amat, in tantum ad ingressum regni approquinquat. In quantum verò amare negligit, in tantum ingredi recusat. *Gre. ib. super Ezec.*

39. Amorem nostrum erga proximum plus bona opera loquantur, quàm lingua, ut in ipso bono opere, proximus amari se videat, et quum tantum non possumus quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta cordis nostri sufficiunt. *Idem super. Ezec.*

40. Per amorem Dei amor proximi gignitur: et per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare proximum negligit, profecto Deum diligere nescit,

et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejus dilectionis gremio, prius proximi charitate letamur. Amor Dei amorem proximi generat: et amorem proximi calefacit amor Dei. *Greg. in quadam ho. sup. evan.*

41. Nemo aliquem amat, quem non vult esse meliorem. *Greg 12. Moral.*

42. Non enim præsentior est spiritus noster ubi animat quam ubi amat, nisi forte magis putetur esse ubi vinctus ex necessitate tenetur, quam quò sponte et alacri fertur voluntate. *Bern. de præcepto et dispensatione.*

43. Sapientia est Deus, et vult amari non solum dulciter, sed et sapienter, aliòquin facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Non enim habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute, et non cum ratione ambuletur. *Ber. super canti. sermo. 30.*

44. Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quia carnem induit; sapienter, quia culpam cavit; fortiter, quia mortem sustinuit. Disce ergo Christiane á Christo quemadmodum diligas Christum, disce amare dulciter, ne illecti, prudenter, ne decepti, fortiter, ne compressi deficiamus. *Ber. super canti. sermo. 20.*

45. Toto corde, tota anima, tota virtute diligere est, omne quod blanditur de carne propria vel aliena, sacrosanctæ carnis Christi, amori postponere. *Ber. ib.*

46 Magna res amor, si ad suum recurrat principium, si suæ origini redditur, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, unde jugiter fluat *Ber. ibid.*

47. Non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Grecè loquentem intelliget, qui grecam linguam non novit? nec latine loquentem, qui latinus non est? et ita de cæteris: sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit. Erit inquam sicut æs sonans et tintinabulum tinniens. *Bern. in quodam ser.*

48. O jugum sancti amoris, quam dulciter capis, gloriosé laqueas, suaviter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis? O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas. *Bern. in lib. de diligen. Deum.*

49. Prior Deus dilexit nos, tantus, tantum, et gratis, tantillos et tales. *Ber. ibid.*

50. Vultis à me audire quare et quomodo diligendus est Deus? et ego dico quod causa diligendi Deum, Deus est, modus sine modo, diligere ob duplicem causam, dico Deum propter se diligendum, vel quia nihil justius, vel quia nil fructuosius diligi potest. *Ber. in li. de amore Dei.*

51. Amor pudorem, modum consilium non habet *Bern. super Cant. serm. 73.*

52. Amor purus mercenarius non est. *Id. ser. 83.*

53. Amor ubi est, labor non est. *Id. ser. 86.*

54. Nemo amatorum carnalium, etiam si sit supra modum insaniens, ita exardescere potest in amorem dilectæ suæ, quemadmodum Deus effunditur in amore animarum nostrarum. *Chry. sup. illud, sic Deus dilexit mundum.*

55. Quos amamus, nunquam morsu petimus.

56. Amamus non ex necessitate.

57. Amare nescire turpe est.

58. Amor est dulcedo saporis intimi, et quantò ardentius amat, tantò suavius gustat. Cingulum, quo cingitur amor, est gaudium spei: quia ubi est amor, ibi est spes, ibi gaudium. Ubi spiritualis amor, ibi spirituale gaudium. *Richard. de s. Victore.*

59. Verus amor veritatem amat, in veritate judicat, pro veritate certat, cum veritate opera consummat. *Beda sup. Lucam.*

60. Si vis perfectè purgari à vitiis, in quantum prævales, accende in te ignem divini amoris. Si dulcedinem divini amoris perfecte gustaveris, de temporali dulcedine non curabis. *Rabanus in quodam serm.*

61. Multum quidem vexat hominem, quum relinquitur amor mundi, multo amplius tamen cruciat, quum calcatur amor sui, veruntamen super omnia transfigit et penetrat cor hominis, et excoquit desiderium æstibus amor Dei. Unde est illa vox, Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. *Beda sup. cantica.*

62. Amor divinus, est ignis, lux, mel, vinum, sol. Ignis, in meditatione purificans mentem à sordibus. Lux est in oratione, mentem irradians claritate virtutum. Mel est in gratiarum actione, mentem dulcorans dulcedine divinorum beneficiorum. Vinum est in contemplatione, mentem inebrians suavi et jucunda delectatione. Sol est in æterna beatitudine, mentem clarificans serenissimo lumine et suavissimo calore, mentem exhilarans ineffabili gaudio, et perenni jubilatione. *Rab. in quodam ser.*

63. Qui vult veram dilectionem prægustare, Christum discat suaviter amare, quia Christus amor est. *Basil. in hexamero.*

64. Thesaurus indeficiens est amor divinus, quem qui habet, dives est: quo quicumque caret, pauper est. *Basil. ibid.*

65. Unguentum suave et optimum, est amor summi boni, quo pestes mentis sanantur, et cordis oculi illuminantur. *Ibidem.*

66. Nil durum, nil amarum, nil grave, nil letale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem prævalent separare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica: Respuit jacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet: si amor est, vincit omnia. *Petr. Raven. in quodam ser.*

67. Ama ergo ò homo Deum, ama totus, ut possis omnia sine labore vincere et delere peccata. Teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam. *Petr. Raven. super illud. Diliges dominum Deum tuum.*

68. Amor verus est, si propter Deum amatur quod amatur.

69. Amare sic incipe, tanquam non liceat desinere. *Senec. in lib. de morib.*

70. Ames parentem, si æquus est: sin aliter, feras. Amans iratus multa mentitur sibi. *Sen. in proverb.*

71. Amans quid cupiat, scit: quid sapiat, non videt. Amans quid suspicatur, vigilans somniat. Amor extorqueri non potest, sed elabi potest. Ab amante lachrymis redimas iracundiam. Amare juveni fructus est, crimen seni. Amor est otiosæ causa solicitudinis. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 1, 3, 22, 76 et 37. in tit. Beneficia, núm. 16. in tit. Correctio núm. 7. in tit. Dilectio, Otiositas núm. 7. in tit. Opus, núm. 6. in tit. Timor, núm. 20, 21.

ANGELUS.

1. Præpositi sunt angeli cœlorum supra potestates aëreas, unde procedit verbum quod fit hic. Intuentur enim legem fixam, legem æternam, jubentem sicut scriptura, sine syllabis, sine strepitu. Fixam semper et stantem intuentur angeli corde mundo, et ex illa faciunt quicquid hic fit. *August. super illud Psal. 103. Draco iste quem fecisti, etc.*

2. Utique noscunt angeli sancti, docti de Deo, cujus veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis expectat. *August. in Ench.*

3. Per angelos Deus patribus loquutus est: et apparuit.

4. Angelus tuba Dei est.

5. Angelus officii non naturæ nomen est.

6. Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodia sui angelum deputatum. *Hier. sup. Matth. 5. l.*

7. Superna illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos re-

mansisse: sicut scriptum est: Statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei. *Greg. ho. 14 super Evangel.*

8. Unusquisque in quantum sufficit, si à pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denunciat, quum verba sanctæ annunciationis impendit, profecto angelus extitit. *Greg. in ho. 6. super Evang.*

9. Qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt: isti in angelorum numerum currunt. Qui secretorum cœlestium summa capere prævalent, et nuntiare, etiam isti in archangelorum numerum deputantur. Qui amando ardent, et loquendo alios accendunt, isti Seraphim dicuntur. *Ibi. in hom.*

10. Angeli cùm ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut tamen nunquam desinant interius per contemplationem. Mittuntur igitur et assistunt, quia et si circunscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse, qui Deus est, circunscriptus non est. Angeli itaque et missi ante ipsum, qui à quolibet missi veniant, intra ipsum currunt. *Greg. ibi. in hom.*

11. In hoc est natura angelica à naturæ nostræ conditione distincta, quod nos et loco circunscribimur, et cæcitatis ignorantiæ coarctamur: Angelorum vero spiritus loco quidem circunscribuntur, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius et exteriùs sciendo distincti sunt, quoniam ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his, quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt? *Greg. 2. lib. Moral.*

12. Novem angelorum esse ordines testante sacro eloquio scimus, scilicet angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim, adque seraphim. *Greg. in hom.*

13. Angelorum vocabulum, nomen est officii, non naturæ; nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper

sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquam possunt. Tunc solum sunt angeli, quum per eos aliqua nuntiantur. Unde Psalmus: Qui facit angelos suos spiritus. Hi ergo qui minima nuntiant, Angeli: qui verò summa nuntiant, Archangeli vocantur. Græca enim lingua angeli nuntii, archangeli verò summi nuntii vocantur. Qui idcirco privatis nominibus censentur, ut Michael, Gabriel, Raphael, ut signetur etiam per vocabula, quid in operatione valeant. *Greg. in hom. Erant approping.*

14. Timet angelus adorari ab humana natura, quam videt in Deo sublimatam. *Greg. ibi.*

15 * Angeli ad ministerium pro nostra salute semper mittuntur. *Greg. in epist.*

16. * Angelo apostatæ similis efficitur homo qui hominibus esse similis dedingatur. *Ibidem.*

17. Simus devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, quantum possumus, quantum debemus affectuose, ideò angelos ejus tanquam futuros aliquando cohæredes: nos vero interim actores et tutores à patre positos et prepositos nobis, adhuc enim parvuli sub tutoribus et actoribus sumus. *Bernar. in serm. de Angel.*

18. Quoties ergò gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, directorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus tuis. In tribulatione verò neque dormitat neque dormit, etsi quando ad tempus dissimulat.

19. Væ nobis, si quando provocati sancti Angeli peccatis et negligentiis, indignos nos judicaverint præsentia et visitatione sua, et quorum præsentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum. Quod si necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda est nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis invenire delectant, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cœlum gemitus, et super hæc omnia

veritatem et pacem à nobis exigunt. *Ber. ibid.*

20. Benignus es Domine, qui non es contentus nostra fragilitate murorum, sed ipsis hominum custodibus angelicam custodiam supponis. *Ber. ibid.*

21. Tu ergo si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, et tentationibus resiste diaboli. *Bern. in ser. 40. super illud: Accesserunt ang. etc.*

22. Angelis suis mandavit de te, etc. O quantam debet tibi hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam, pro præsentia reverentiam, pro benevolentia devotionem, pro custodia fiduciam. Cauté ergo ambula, ubi sunt angeli, ut custodian te in omnibus viis tuis. *Bern. ibid.*

23. Credimus Angelos sanctos adstare orantibus offerre Deo vota et preces hominum, si sine deceptione levari puras manus prospexerint. *Ber. ibid.*

24. In quovis diversorio, in quovis angulo reverentiam exhibe tuo angelo, ne audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. Adsunt igitur tibi non modo præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt, ut protegant, adsunt, ut prosint. *Ibid.*

25. Angelus est substantia intelectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea. Deo ministrans gratia, non natura, et immortalitatem suscipiens: cujus substantiæ speciem et terminum solus, qui creator est, novit. *Damasc. lib. 2 c. 3.*

26. Boni angeli ad ministerium humanæ salutis deputati sunt, ut cunctis administrent mundi, et regant omnia jussu Dei. *Isidor. de sum. bon.*

27. Singulæ gentes præpositos angelos habere creduntur, omnes homines Angelos habere probantur. *Ibidem.*

28. Natura angelorum mutabilis est, quia inest illis mutabilitas in natura, sed fecit eos incorruptos charitas sempiterna. *Isid. ibid.*

29. Angeli sunt natura mutabiles conditi, sed facti contemplatione immutabiles, animo impassibiles, mente rationales, stirpe æterni, et beatitudine perpetui. *Ibi.*

30. Adest unicuique nostrum etiam minimo, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem patris qui in cœlis est. *Orig. sup. lib. Num. Hom. 66.*

31. Agunt angeli diem festum, lætantes super his, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum, angelicis festinant sociare consortiis. *Orig. ibi. Hom. 96.*

Vide etiam in tit. Creatio, núm. 4. in tit. Deus, núm. 22.

ANIMA.

1. * Animæ oculus, mens, *August. in solil. c. 5.*

2. * Animæ patria est Deus ipse. *Idem de quant. ani. c. 1.*

3. * Anima justi, est sedes sapientiæ. *Idem super Psalm.*

4. * Anima hominis aut á Deo aut à diabolo regitur. *Idem serm. 14. de Temp.*

5. * Animæ medicina est credere in Christo. *Idem de verb. Dom.*

6. * Anima etiam pessima, melior optimo corpore. *Idem lib. 9. de civ. Dei, c. 9.*

7. * Animas mortuas multi in corpore vivo habent. *Idem ho. 3. in Apocal.*

8. * Animæ mortuæ sepulchrum est corpus. *Idem super Psal. 87.*

9. * Vis ut animæ tuæ caro tua serviat? Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere. *Idem.*

10. O anima christiana, evigila: et si qua in te sit virtus charitatis, quæ omnia sustinet, Domini tui imitare vestigia. Considera quod millia martyrum tritam tibi fecerunt viam, transierunt virgines, transierunt martyres, transierunt pueri et puellæ, et adhuc times? quia docet te ille, qui est via, veritas et vita. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Via in exemplo, veritas in promisso, et vita in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

veritatem et pacem à nobis exigunt. *Ber. ibid.*

20. Benignus es Domine, qui non es contentus nostra fragilitate murorum, sed ipsis hominum custodibus angelicam custodiam supponis. *Ber. ibid.*

21. Tu ergo si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, et tentationibus resiste diaboli. *Bern. in ser. 40. super illud: Accesserunt ang. etc.*

22. Angelis suis mandavit de te, etc. O quantam debet tibi hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam, pro præsentia reverentiam, pro benevolentia devotionem, pro custodia fiduciam. Cauté ergo ambula, ubi sunt angeli, ut custodian te in omnibus viis tuis. *Bern. ibid.*

23. Credimus Angelos sanctos adstare orantibus offerre Deo vota et preces hominum, si sine deceptione levari puras manus prospexerint. *Ber. ibid.*

24. In quovis diversorio, in quovis angulo reverentiam exhibe tuo angelo, ne audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. Adsunt igitur tibi non modo præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt, ut protegant, adsunt, ut prosint. *Ibid.*

25. Angelus est substantia intelectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea. Deo ministrans gratia, non natura, et immortalitatem suscipiens: cujus substantiæ speciem et terminum solus, qui creator est, novit. *Damasc. lib. 2 c. 3.*

26. Boni angeli ad ministerium humanæ salutis deputati sunt, ut cunctis administrent mundi, et regant omnia jussu Dei. *Isidor. de sum. bon.*

27. Singulæ gentes præpositos angelos habere creduntur, omnes homines Angelos habere probantur. *Ibidem.*

28. Natura angelorum mutabilis est, quia inest illis mutabilitas in natura, sed fecit eos incorruptos charitas sempiterna. *Isid. ibid.*

29. Angeli sunt natura mutabiles conditi, sed facti contemplatione immutabiles, animo impassibiles, mente rationales, stirpe æterni, et beatitudine perpetui. *Ibi.*

30. Adest unicuique nostrum etiam minimo, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem patris qui in cœlis est. *Orig. sup. lib. Num. Hom. 66.*

31. Agunt angeli diem festum, lætantes super his, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum, angelicis festinant sociare consortiis. *Orig. ibi. Hom. 96.*

Vide etiam in tit. Creatio, núm. 4. in tit. Deus, núm. 22.

ANIMA.

1. * Animæ oculus, mens, *August. in solil. c. 5.*

2. * Animæ patria est Deus ipse. *Idem de quant. ani. c. 1.*

3. * Anima justi, est sedes sapientiæ. *Idem super Psalm.*

4. * Anima hominis aut á Deo aut à diabolo regitur. *Idem serm. 14. de Temp.*

5. * Animæ medicina est credere in Christo. *Idem de verb. Dom.*

6. * Anima etiam pessima, melior optimo corpore. *Idem lib. 9. de civ. Dei, c. 9.*

7. * Animas mortuas multi in corpore vivo habent. *Idem ho. 3. in Apocal.*

8. * Animæ mortuæ sepulchrum est corpus. *Idem super Psal. 87.*

9. * Vis ut animæ tuæ caro tua serviat? Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere. *Idem.*

10. O anima christiana, evigila: et si qua in te sit virtus charitatis, quæ omnia sustinet, Domini tui imitare vestigia. Considera quod millia martyrum tritam tibi fecerunt viam, transierunt virgines, transierunt martyres, transierunt pueri et puellæ, et adhuc times? quia docet te ille, qui est via, veritas et vita. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Via in exemplo, veritas in promisso, et vita in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præmio. *August. de doctrina Christ.*

11. Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram, versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus requies, et ecce ades. *Aug. lib. 6. confess.*

12. Quid est, quod velis habere malum? dices mihi, nihil omninò, non uxorem, non filium, non filiam, non servum, non ancillam, non tunicam: postremò non caligam, et tu vis habere malam vitam: rogo te, præpone animam tuam caligæ tuæ. *August. in quodam serm.*

13. Anima est substantia creata invisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima, imaginem habens creatoris sui. *August. in lib. de diffin. animæ.*

14. Anima est quædam substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata. *August. de qual. an.*

15. Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam naturæ dignitate præcellit. Omnis enim anima, aut Christi sponsa, aut diaboli adultera est. *Aug. super Gen. ad lit.*

16. Fœlix anima, quam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, potentia reducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, charitas unit. *August. de spirit. et anima.*

17. Hæc est animæ nostræ vitalis substantia, quâ alitur et pascitur, et gubernatur, nec quicquam est aliud, quod vivere facial, rationalem animam, quam eloquium Dei. *Ambros. super illud Psal. eloquium tuum vivificavit me.*

18. * Animus autor culpæ, caro verò ministra. *Ambros. offic. 1.*

19. Si magnæ mercedis est, à morte eripere carnem, quamquam moriturum, quanti est meriti à morte animam liberare, in cœlesti illa patria sine fine victuram. *Greg. in ho.*

20. Quoquo se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit, ejusque potentiam et eorum consideratione cognoscit, quorum amore deseruit, et per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. *Greg. 26. Moral.*

21. Tres vitales spiritus creavit omnipotens Deus: Unum, qui carne non regitur. Alium qui carne regitur, sed non cum carne moritur. Tertium qui carne regitur, et cum carne moritur. Primus angelorum, secundus hominum, tertius brutorum animalium. *Greg. lib. dialogor.*

22. * Sic conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, et anima possideat corpus. *Gregor.*

23. Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omninò non potest, capacem enim Dei, quicquid Deo minus est, non implebit. *Bern. in ser. dedic.*

24. Est cœlum sancta anima habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes, vel certe sol justitiæ, zelus aut fervens charitas, et luna continentia. *Bern. super Cantic.*

25. Animæ desideranti Dominus festinus occurrit, cœlesti rore circumfusus. Unguentis optimis delibutus, animam recreat fatigatam, esurientem reficit, aridam impinguat, terrenorum oblitam, sui ipsius immemorem. *Ibidem.*

26. Paupertate, mansuetudine, et fletu renovatur in anima similitudo quædam, et imago æternitatis, omnia tempora complectens, nam paupertate futura meretur, mansuetudine sibi præsentia vendicat, luctu pœnitentiæ præterita quoque recuperat. *Bern. super Cant.*

27. Hæc est animæ suavissima et saluberrima requies, conscientia munda. Quies secura sit beatæ animæ culcitra, conscientiæ puritas, capitale, tranquilitas, opertorium, securitas, ut in hoc interim strato dormiat delectabiliter, et fœliciter requiescat. *Bern. ser. 106.*

28. Advertistis tres esse sanctarum status animarum: primum videlicet in corpore corruptibili: secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorifica-

to: primum in militia, secundùm in requie, tertium in beatitudine consummata. *Bern. ser. 107.*

29. Quid indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? *Bern. super Cant. ser. 14.*

30. Tria ista anima curiosa Dei non cessat inquirere: scilicet justitiam et judicium, et locum habitationis gloriæ sponsi, tanquam viam in qua ambulet, ut de forma justitiæ sit formosa, de judiciorum notitia cauta, de desiderio præsentiæ seu gloriæ sponsi casta. Talem prorsus decet sponsam pulchram, eruditam, et castam. Perfectus est, in cujus anima hæc tria congruent, atque optime concurrere videbuntur, inij præ, ut genere pro se, et exultare in Deo noverit, simul proximorum utilitatibus potens sit subvenire, placens Deo, cautus sibi, utilis suis. *Bern. super Cant.*

31. Cadit asinus, et invenit qui se sublevat, cadit anima, et non est qui manum adponat. *Ber. ibi.*

32. * Anima á Deo derelicta redire plerunque vult, et non potest; tanta est reditus difficultas. *Bern. ser. 38.*

33. * Anima Dei studiosa, tria non cessat inquirere, justitiam et judicium, et locum habitationis. *Bern. ser. 33.*

34. O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinium invenisti? *Bernard. in med. et Hugo in lib. de Anima.*

35. Si animam negligamus, nec corpus salvare poterimus. Non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod primum est negligit, et quod inferius est, extollit, utrumque corrumpit. Qui verò ordinem servat, et quod primum est colit, etiam si negligat, quod secundum est, per primi salutem salvabitur et secundum. *Chrys. lib. de recup. lapsi.*

36. Anima dum vivificat corpus anima est, dum vult, animus est: dum scit mens: dum recolit, memoria est: dum rectum judicat ratio est dum spirat, spiritus est: dum aliquid sentit, sensus est. *Isidor. II. Etymolo.*

37. O homo, quid miraris syderum altitudines et profunditatem maris? animi tui abyssum intra, et mirare, si potes. *Isidor. lib. 1. de sum. bon.*

38. O anima mea, egredere, quid dubitas, egredere, quid times? Ixxv annis Christo servisti, et adhuc mortem times? *Quidam sanctus.*

39. Memoria est ad mentis intuitum imaginaria quædam repræsentatio præteritorum. *Tull.*

40. Tutum iter et jucundum est, ad quod natura te instruxit, dedit tibi illa, quæ si non deserueris, par Deo consurges. Parem autem Deo te pecunia non facit: Deus nihil habet. Prætexta non faciet, Deus nudus est: fama non faciet, nec ostentatio tui. Nemo novit Deum, licet multi male de illo existiment et impune. Non turba servorum lecticam tuam portantium. Deus ille maximus potentissimusque, ipse vehit omnia, nec forma quidem et vires beatum te facere possunt. Nihil horum non patitur vetustatem. Quid ergo animus? Sed hic rectus, bonus, magnus, quid aliud voces hunc, quam Deum in corpore humano hospitantem? hic animus tam in equitem Romanum, quam libertinum, quam in servum potest cadere. *Sen. 3. epi.*

41. Sursum animum vocant inilia sua, erit autem illic etiam antequam hac custodia exolvatur. Si vilia sua deseruit, purosque ac levis in cogitationes divinas emicuit. *Sen. 80. epi.*

42. Insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit: inexpugnabilis est, quem multis machinis lacessitum fortuna non transit. Nunquam major est, quam ubi aliena disposuit, et fecit sibi pacem, nihil timendo, divitias nihil concupiscendo. *Ibidem.*

43. Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. *Senec. in proverb.*

44. Quemadmodum in corporibus magnæ sunt dissimilitudines: sic in animis majores sunt morum

varietates. Nam plerumque diversitatem corporum, diversitas sequitur animorum. *Tull. de nat. quæ.*

Vide etiam in tit. Abussio núm. 5. in tit. Amor núm. 26. in tit. Angelus núm. 6. in tit. Beatitudo núm. 2. in tit. Caro núm. 2, 10, 15, 25, 27 in tit. Curiositas, 41. in tit. Fides 35. in tit. Homo núm. 28, 29. in tit. Ingenium núm. 5. in tit. Laus núm. 37. in tit. Mors núm. 71. in tit. Parentes, núm. 13. in tit. Virtus núm. 22.

ANIMAL BRUTUM.

1. Sensus melior in brutis quam in hominibus. *August. de quant. an.*

2. Beneficiorum Dei animalia etiam partem habent. *Chrys. in Gen. hom. 28.*

3. Animantia fecit Deus propter hominem: hominem autem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum? *Idem in Matth. Lactant.*

4. Universis animalibus data est ratio, brutis tantum ad vitam tuendam, homini autem ad prorogandam. *Plin. lib. 27.*

5. Animalia cuncta noscunt sibi necessaria præter hominem. *Idem lib. 22.*

6. Animalia gulæ carcere coërcere cœpimus. *Cicer. 1. de Leg.*

7. Nullum est animal præter hominem, quod habet aliquam notitiam Dei.

ANTICHRISTUS.

1. Alligatio diaboli non permitit exercere totam tentationem, quum potest vel fraudulenter. Quod si permitteretur in tam longo tempore, et tanta infirmitate multorum, plures tales, quales Deus id perpeti non vult, et fideles duceret, et ne crederent, impediret. Quod ne faceret, alligatus est. Tunc autem solvetur, quando et breve tempus erit: nam tribus

annis, et sex mensibus legitur Satanas totis suis viribus sæviturus. *Aug. 20. lib. de civ. Dei.*

2. Gentes istæ, quas appellat Gog et Magog, non sic sunt accipiendæ, tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti, sive quos quidam suspicantur Getas et Magetas propter literas horum nominum primas. Toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse, quum dictum est: *Nationes quæ sunt in cuatuor angulis terræ*: easque dixit esse Gog et Magog: quorum interpretationem nominum cognovimus esse: Gog tectum, Magog de tecto: tanquam domus, et ipse qui procedit de domo. Gentes ergo sunt, in quibus diabolum intelligimus inclusum, et ipse de illis quodammodo sese efferens, ut illæ sint tectum, ipse de tecto. Si autem utrumque referamus ad Gentes et tectum ipsæ sunt: quia in eis nunc diabolus includitur, et de tecto ipsæ erunt, quando in apertum odium de operto eruptura sunt. *Aug. 12. de civit. Dei, cap. 1.*

3. Mille anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi. Aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est, in sexto annorum milliario tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur. Secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, scilicet requies sanctorum, quæ non habet finem, ut hujus milliarii tanquam diei novissimam partem, quæ remanebit usque ad terminum sæculi mille annos appellaverit. Aut certe mille annos pro annis omnibus sæculi hujus posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Millenarius quippe numerus denarii numeri quadratum solidum reddit, scilicet decies decem. *Aug. ibi. 20. lib.c. 7.*

4. Porro mille, pro ipsa universitate aliquando ponitur: quale est illud quod in Psal. legitur: Memor fuit in sæculum verbi, quod mandavit in mille generationes: id est, in omnes. *Aug. ibi. c. 7.*

5. Diaboli custodiæ annos mille intelligimus, id est, annos omnes suos, quæcumque pars habeat diversis ac propriis prolixitatibus finiendo, sicut de quadrin-

gentis annis in 16 hujus operis volumine disputavi, quoniam aliquid plus erant, et tamen quadraginta sunt nuncupati. *Aug. de Civ. Dei. c. 15.*

6. Quæ sit causa dilationis, ut reveletur in tempore suo scitis: aperte hoc dicere noluit, et ideo nos qui nescimus, quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id, quod sensit Apostolus, cupimus, nec non valemus, presertim quia et illa, quæ addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Jam enim mysterium iniquitatis operatur, tamen quæ modo tenet teneat, donec de medio fiat, et tunc revelabitur iniquus: ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare, suspiciones tamen hominum, quas vel audire vel legere potui, non tacebo. *Aug. ibi. c. 19.*

7. Non absurde, quod ait Apostolus de ipso imperio Romano, creditur dictum tanquam dictum sit: tamen quia modo imperat imperet, donec de medio fiat, hoc est, donec exeat de medio ecclesiæ mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est. Alius ergò sic, alius sic Apostoli obscura verba conjectat, quod tamen eum dixisse non dubium est, non veniet ad vivos et mortuos judicandos Christus, nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos adversarius ejus Antichristus. Sed in quo Dei templo sessurus sit, incertum est, et utrum in illa ruina templi, quod á Salomone rege constructum est, an in ecclesia. *Aug. lib. 20. de civit. Dei c. 29.*

8. Elias quippe ante adventum judicis Salvatoris non immerito speratur esse venturus, qui etiam nunc vivere non immerito creditur. Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod evidentissime scriptura sancta testatur. Cum ergo venerit exponendo legem spiritualiter, quam nunc judæi carnaliter sapiunt, convertet et cor patris ad filium, id est, corda patrum ad filios, quum intelligentiam patrum perducet ad intelligentiam filiorum. *Aug. de civit. Dei lib. 20. c. 29.*

9. In judicio vel circa judicium has res dicimus esse venturas, Eliam Thesbiten, fidem Judæorum,

Antichristum persecuturum, Christum venturum et judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque direptionem, mundi conflagrationem, ejusdemque renovationem, quæ omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis, et quo ordine venient, magis tunc docebit rerum experientia, quàm nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen eo, quo á me commemorata sunt ordine esse ventura. *Aug. de civit. Dei lib. 20. cap. ultim.*

10. Nam de Salvatoris adventu, qui expectatur in fine, tempora dinumerare non audeo, nec aliquem Prophetam de hac re numerum annorum existimo præfinisse: sed id potius prævalere, quod ipse Dominus ait: *Nemo potest cognoscere tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Aug. in ep. 1. ad Helis. et est 68.*

11. Qui tenet, teneat, donec de medio fiat: et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui. Docet nos Antichristum manifestum futurum, siquidem ipsum videtur aliquando evidentiore significatione tetigisse interficiendum spiritu oris Dei JESU Christi: sed post quantum temporis istud tempus erit, nec saltem obscuré locutus est. *Aug. 2. epist. ad Hesych.*

12. Non priùs veniet Christus quam regni Romani defectio fiat et appareat Antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine. *Ambr. sup. ill. 2. ad Thes. 2. Nisi venerit discessio primum.*

13. Beatus interfecto Antichristo dies super numerum prælinitum 45 præstolatur quibus dominus et Salvator in sua majestate venturus est. Quare autem post interfectionem Antichristi 45 dierum silentium sit, divinæ scientiæ est, nisi forte dicamus, quod dilatio regni sanctorum, patientiæ comprobatio est. *Hier. super illud Daniel, Beatus qui expectat et pervenit usque ad dies 1335.*

14. Antequam Antichristus appareat, virtutes ab

ecclesia magna cessabunt, quatenus eam quasi abjectiorem persequatur audacius: ob hanc enim utilitatem cessabunt, sub Antichristo ab ecclesia miracula et virtutes, ut per hoc sanctorum clareat patientia, et reproborum, qui scandalizabuntur, levitas ostendatur, et persequentium audacia ferocior efficiatur. *Isid. lib. de sum. bon. c. 25.*

15. Antichristi multa membra præcesserunt, et pravæ actionis merito caput proprium prævenerunt, secundum Apostoli sententiam, qui iniquitatis mysterium operari illum affirmat etiam antequam reveletur. *Isid. ibid. c. 26.*

16. Tam mira facturus est prodigia et signa, dum venerit Antichristus, ut etiam electis quidam cordis gignatur scrupulus, quòd citò exuperetur in illis ratio, per quam sciret in deceptione reproborum, et electorum probatione eadem fieri prodigia. *Isid. ibid.*

17. Gravius tunc contra ecclesiam de semet synagoga, quàm in ipso Salvatoris adventu Christianos est persecuta, dum in martyres diabolus jam exercuerit magnam crudelitatem etiam alligatus, crudelior tamen erit sub Antichristi temporibus, quando etiam erit solvendus. Nam si ligatus tanta facere potuit, quanta solutus faciet? *Isid. ibid.*

18. Quanto breve tempus viderit sibi restare diabolus ut damnetur, tanto in magna persecutionis ira movebitur, divina justitia permitente, ut glorificentur justi, sordidentur iniqui, et ut diabolo crescat durior damnationis sententia. *Ibidem.*

19. Antichristus templum Hierosolymis reparare, et omnes veteres legis ceremonias restaurare tentabit. *Isid. 8. Etymol.*

20. In expletione Romani regni, necesse est seculum consummari. *Effrem. l. 1.*

21. Nascetur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan, juxta quod Jacob ait: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, et cætera: et cum venerit Hierosolymam, circumcidet se, dicens Judæis: Ego sum Christus vobis promisus in lege. Tunc confluent

ad eum omnes Judæi, et reædificabunt templum à Romanis destructum, sedebitque; ibi dicens se esse Deum. *Aymo. in glo. 2. ad Thess. 2. c. Ex metho. prophet.*

Vide etiam in tit. Adventus núm. 5.

APOSTOLI.

1. Currunt utique ad metam martyrii, perveniunt ad coronam, non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni revertentis occursu: cum enim sit in eorum passione anni diversitas, est tamen in uno die geminata festivitas. *August. in ser. apost. Petr. et Paul.*

2. Quis jam non desperet aut de humilitate generis, aut de magnitudine criminis, cum videat sic inundasse cœlestis gratiæ fontem, ut et piscatorem regibus præponeret, et persecutorem Apostolis coæquaret? Ille enim dum pauperiem suam curat, alimenta quotidiani victus quærit in pelago, factus est dives in Christo, cui reges et nationes famulantur in sæculo. Paulus verò dum urget gladiis sanctos, fidei suscepit jugum, et magister factus est gentium, forma martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum. *Ibid.*

3. Dedit Dominus potestatem Apostolis super naturam, ut eam curarent: super dæmones, ut eos everterent: super elementa, ut ipsa immutarent: super mortem, ut eam contemnerent: super angelos, ut corpus Domini consecrarent. Hæc etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud Apoc. 6. hi habent potestatem claudendi cœlum et convertendi aquam in sanguinem. *Idem in ser. de Apost.*

4. Ex paucissimis et imperitissimis et abjectissimis multiplicantur, nobilitantur, sublimantur copiosissima agmina, clarissima ingenia, cultissima eloquentia doctorum acutorum ac facundorum. *Aug. 2. epistol. ad Volus.*

5. Apostoli nihil diversum á Christo docuerunt. *Augu. de consuet.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

6. Christus Jesus Petrum et Andream, et alios per quos operatus est salutem in medio terræ, non de foro Justiniani, sed se simplicitate piscatoria legimus assumpsisse. Inflat enim sapientia hujus mundi, et legum ventosa loquacitas. Elegit non reges, non senatores, non philosophos, sed plebeios, pauperes, indoctos piscatores, ineruditos liberalibus disciplinis, non peritos Gramatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos. Piscatores Christus cum retibus fidei paucissimos misit, atque ita ex omni genere, tam multos pisces, et tam multò mirabiliores, quanto rariores etiam ipsos Philosophos cepit. *Augu. in serm. de Apost.*

7. *Petrus sequebatur á longè, etc.* Fortasse et in hoc Petrus nobis maxima fit admiratione reverendus, quod dominum non reliquit, et jam cum timeret: metus naturæ est, cura pietatis, suum quod non fugit, quod sequitur devotionis, quod negat obreptionis, commune, quod labitur, fidei quod pœnitet. *Ambros. sup. Luc. lib. 9.*

8. Non sine causa factum putemus, quod una die, uno loco, unius tyranni Apostoli toleraverunt sententiam, una die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent. Uno loco, ne alteri Roma deesset, sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. *Ambros. in serm. apost. Petri et Pauli.*

9. Paulus non est inferior Petro, quamvis ille ecclesiæ fundamenta, iste sapiens architectus sciens vestigia fundare populorum, nec Paulus indignus collegio Apostolorum est. *Ambr. lib. 4. de Spiritu S.*

10. Potestatem tribuit Dominus Apostolis, ut sciant qui dominantur, à talibus humanam sententiam divina sententia corroborari. *Hier. super illud. Mat. 18. Quecumque allig.*

11. Piscatores illiterati mittuntur ad predicandum, ne fides credentium non virtute humana, sed eloquentia et doctrina Dei fieri putaretur. *Hier. super Matt. lib. 1. super illud. venite post me.*

12. Nemo Apostolis pauperior fuit, nemo tantum pro Domino dereliquit. *Hier. in Epist. ad Exuber.*

13. Apostoli frustra dicuntur nisi Christus miserit.

14. Paulus terram simul atque mare, Græciam simul atque Barbariam, omnemque prorsus, quanta est sub sole regionem, quasi volitans circuivit, non simplici labore velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter evellens, membraque pietatis ubique seminans, errores fugans, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens: quinimo ipsos homines quasi ex dæmonibus angelos provehens. *Chrys. de laudibus Paul. homil. 1.*

15. O mirabiles fluvios! nobis genuit Paulus, non secundum paradisi fontem tantum sed etiam multo plures ac quotidie fluentes, non terram irrigantes, sed animas hominum ad producenda germina virtutum suscitantes. Quis igitur ad explicanda Pauli merita sermo sufficiet? quæ lingua laudibus ejus invenietur æqualis? cum omnia quæ sunt in omnibus bona anima una possideat: et ea cuncta plene atque cumulate, nec solum hominum, sed et quod potius est Angelorum. *Chrys. ibi. hom. 1.*

16. Paulus cœli civis, ecclesiarum columna, Angelus terrestris, cœlestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum totum profecto ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus effectus est charitas. *Ibidem.*

17. Misit Christus Apostolos quasi sol radios suos, quasi rosa suavitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispersit, ut sicut Sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscitur. Quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudat? Faciebat enim mirabilia Christus, faciebant et discipuli ejus, et inter mirabilium operationes major fama virtutum crescebat. *Chrys. super Matth.*

18. O frater mihi Thimothee, si vidisses agones

consummationis ipsorum, defecisses quidem præ tristitia et dolore! Quis non fleret illa hora, quando præceptum sententiæ egressum est in eos: ut scilicet, Petrus crucifigeretur, et Paulus decollaretur? Vidisses quidem nunc turbas Judæorum et Gentilium percutientes eos, et expuentes in facies eorum. Sed adveniente terribili tempore consummationis ipsorum, ligavit columnas mundi, non utique absque fratrum gemitu atque ploratu, et cùm separarentur ab invicem, tunc Paulus ait Petro, Pax tecum, fundamentum ecclesiarum, pastor ovium, et agnorum Christi. Ac Petrus ad Paulum: Vade in pace prædicator bonorum, mediator, et dux salutis justorum. Cum autem elongassent eos ab invicem, secutus sum magistrum meum, scilicet Paulum. Non in eodem loco sive vico occiderunt eos. *Dionys. in epist. ad Tim.*

19. Attende miraculum, vide prodigium, frater mi Timothee, nam præsens fui in tempore separationis eorum: post mortem autem eorum vidi eos invicem manu ad manum intrantes portas urbis et indutos veste luminis et coronis claritatis et lucis ornatos. *Dionys. in ead. epist.*

20. Merito Apostolis sanctis atribuitur, quod in sapientiæ libris legitur: *Hi sunt viri misericordiæ.* Sunt enim plane viri misericordiæ, sive quia misericordiam consecuti, sive quia misericordia pleni, sive quia misericorditer à Deo donati sunt nobis. *Ber. in ser. Petr. et Paul.*

21. Scimus, quod viri isti, nec sibi vivère, nec sibi sunt mortui, sed ei qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus propter illum. Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina et etiam mors ipsa, et in conversione eminentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt, qui etiam usque hodie conferre non cessant misericordia pleni, et sanctarum orationum fructibus. *Ibidem.*

22. Igne spiritus sancti quasi vivæ lucis fontem Christus Apostolos suos perfudit, ut ipsi postmodum

universum mundum tanquam duodecim solis radii, ac totidem lampades veritatis illuminarent, et inebriati novo vino, repleant atque irrigent scientia corda omnium populorum. *Leo papa in ser. Pet. et Paul.*

23. Veniente luce, diei ægritudines alleviantur, homines à somno excitantur, aves garriunt, bestiæ ad latibula sua fugiunt: sic luce Apostolorum veniente, mundus fuit ædificatus in credendis, fœcundatus in operibus bonis, alleviatus peccatis, excitatus à negligentiis, animatus ad contemplationem cœlestium, ereptus à potestate dæmonum. *Basil. tractans illud Matth. 5. Vos estis lux mundi.*

24. Paulus ultra humana raptus est ad tertium cœlum, cœlestia secreta cognovit, ut ecclesiarum futurus doctor inter angelos disceret, quod inter homines prædicaret. *Max. in ser. apost. Pet. et Paul.*

25. Literis, quas ad civitatem, sive caput provinciæ direxisti, misericordia, exhortatione, vitam mortalem continentibus usque refecti sumus, quos sensus non puto ex te dictos, sed per te. Tanta enim majestas earum est rerum, tantaque gloriositate callens ut vix suffecturas putem ætates hominum, quibus his instrui, ut non dicam, perfici possent. *Sen. ep. 1. ad Paul.*

26. Confiteor Augustum sensibus tuis permotum, cui perfecto virtutis exordio ista vox fuit, mirari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit taliter sentiat, cui ego respondi, solere Deos ore innocentium effari. *Senec. 6. epist. ad Paul.*

27. Ave mi Paule charissime: putasne me contristari, et non luctuosum esse, quod de innocentia vestra deinde supplicium sumatur. Sed feramus æquo animo, et utamur foro, quod sors concesit, donec invicta felicitas finem malis imponat. *Senec. 9. epist. ad Paul.*

28. Ave mi Paule charissime: cùm sis vertex altissimorum omnium montium cacumen, vis ita latere, ita sim tibi proximus ut alter tuus deputer. Nam qui meus tuus apud te locus, qui tuus velim, ut meus.

Optarem enim ejus esse loci apud meos, cujus sis, Paule, apud Christianos. *Senec. 12. epist. ad Paul.*

29. Alegoricè et enigmaticè multa à te colliduntur, et ideo rerum tanta vis et muneris tibi tributa, cultu quodam decoranda est. Certum mihi concedas velim latinitati morem gerere, honestis vocibus speciem adhibere, ut generosis muneris concessio dignè à te possit expediri. Mirum enim tam arduas sententias, tam humilibus, et tanquam inordinatis verbis resonasse. *Senec. 15. epist. ad Paul.*

30. Tuam tubam totus orbis jure veneratur, quam constat geminata felicitate cecinisse, quando nec æmulum reperit nec æqualem. *Cassiod.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 38. in tit. Ecclesia núm. 7.

ASCENSIO.

1. Ubi et quomodo sit in cœlo corpus dominicum, curiosissimum et supervacuum est quærere, tantummodo in cœlo credendum est. *Aug. de fide et symbolo.*

2. Corpus non ascendit, sed levatum est in cœlum, illo levante, qui ascendit. Si enim quisque descendat, verbi gratia, nudus de monte, cum autem ascendat, vestiat se, et iterum ascendat vestitus: ratione utique dicimus, nemo ascendit nisi qui descendit. *Aug. de agone Christiano.*

3. Quorum sepulchra in passione Domini sunt patefacta, horum corpora Christo resurgente de pulvere sunt suscitata. Decebat enim ut ille prius resurgeret, deinde illi, sicut dixit Apostolus Paulus, Christus resurrexit á mortuis, primitiæ dormientium, et sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur. *Aug. in ser. de Resurr.*

4. Raptus est Dei filius ab humanitate ad divinitatem in transfiguratione: à passibilitate ad immortalitatem in Resurrectione: à minoritate ad patris æqualitatem in Ascensione: quia quantus fuit descensus à sinu patris ad patibulum crucis, tantus fuit ascensus à patibulo crucis usque ad dexteram patris. *August. et est in glo. Apo. 12 super illud. Raptus est filius ejus.*

5. Quum audis elevatum, agnoce militiæ cœlestis obsequium non auxilium, servilium non subsidium, ministerium non adjutorium. *Aug. tractans illud Elevatus est in cœlum. Act. 1.*

6. Dominus noster Jesus Christus, dum naturam humanam sideribus importavit, credentibus cœlum patere posse monstravit; dum vincentem in cœlestibus elevavit, victorem mortis, quò sequamur, ostendit. *August. ibi.*

7. Ascensio Dei, Catholicæ fidei confirmatio fuit, ut securi in posterum crederemus, et miraculi illius donum, cujus etiam in præsenti perciperemus efectum. *Aug. in serm. de Ascensio.*

8. Nos Christi mors vivificavit: nos resurrectio erexit, nos Christi ascensio conservavit. *Aug. ibi.*

9. Resurrectio Domini spes nostra est, ascensio glorificatio nostra. Si ergo rectè, si fideliter, si devote ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, et sursum corda habeamus. *Ibidem.*

10. Virtutes ministræ præcedentes Christum in ascensione ad alias virtutes clamant, ut viam Domino venienti aperiant, eique occurrant. Reserate, inquiunt, cœlestes aditus: venienti Domino æternalis ingressus pateat: aperiantur æthereæ januæ, et æternarum ædium valvæ, et introibit Rex gloriæ in cœlum, ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis. Ipsæ enim virtutes angelicæ novo misterio carne induti stupefactæ, quærunt cum admiratione: Quis est iste rex gloriæ? quibus respondent aliæ, Dominus virtutum, etc. Licet enim multi scirent ipsum esse hominem: non tamen sciebant humanam naturam supra se exaltandam. *Hier. super illud Attollite portas.*

11. Vultis ejus saltus cognoscere? de cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepium, de præsepio in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum. *Greg. hom. 29. super Evang.*

tractans illud: Ecce. iste venit saliens.

12. Salvator noster, qui quum in ea carne quam assumpsit, ascendit in cœlum, peregre profectus est: quia locus carnis propriè terra est, quæ quasi ad peregrina loca deducitur, quum in cœlo colocatur. *Greg. in hom.*

13. Illo revertebatur Christus, ubi erat, et inde redibat ubi remanebit: quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per deitatem suam, et terram pariter continebat, et cœlum. *Greg. hom. 29.*

14. Oportet, fratres charissimi, ut illuc sequamur corde, ubi Christum credimus corpore ascendisse, et si adhuc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit. *Ibidem.*

15. In hac solemnitate deletum est chirographum nostræ damnationis, mutata est sententia nostræ corruptionis. Illa enim natura, cui dictum est: terra es, et in terram ibis, hodie in cœlum ibit. *Greg. in hom. 29.*

16. Ascendimus duobus modis: meditatione et oratione. Meditatio quidem quid desit, docet: oratio ne desit, obtinet. *Bern. in ser. Ascensionis.*

17. Ascensionis quatuor dicimus esse gradus, prima ad cor: secunda in corde: tertia de corde: quarta supra cor. In prima timetur Dominus, in secunda auditur consiliarius, in tertia desideratur sponsus, in quarta videtur Deus. *Bern. super Cant.*

18. Domino meo datum est singulariter sedere à dexteris in gloria Patris coæquali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, majestate non dispari, ælernitate non posteriori. *Bern. super Psal. Dixit Domin.*

19. Natura cujus causa paradisus à Cherubim custodiebatur, hodie super Cherubim, cum summo honore suscepta est: et natura cui dictum est: terra es et in terram reverteris, hodie in cœlum ivit, et sine termino super cœlos regnat. *Chrysost. in hom. de Ascensio.*

20. Fit caro verbum, id est, homo Deus, et qui homo est, in cœlis est, et qui Deus est, de cœlis est: ascendit descendens, sed descendit non descendens: est qui erat, et quod est, non erat. *Hil. de Trinit.*

21. Non solum hodie cœli possessores firmati sumus, sed superna cœlorum in Christo penetravimus, ampliora recepturi per suam ineffabilem gloriam, quam per diaboli perdideramus invidiam: quia quos diabolus de primi habitaculi felicitate ejecit, hos Dei filius sibi corporatos ad patris dexteram collocavit. *Leo Papa in ser. Ascensio.*

22. Non otioso inter resurrectionem et ascensionem 40 dies transiere discursu, sed magna confirmata sunt sacramenta, magna revelata mysteria. In eis diræ mortis aufertur metus, vere simul et carnis immortalitas declaratur. In his insufflatio spiritus sancti infunditur, in his beato Petro præter cæteros ovilis dominici cura mandatur. *Ibidem.*

23. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Quisquis ergo in cœlum ascendere desiderat, ei qui de cœlo descendit, decet ut in cœlo se vera fidei et dilectionis unitate conjungat, aperte intelligens, quod nullo alio ordine, nisi per eum, qui de cœlo descendit, in cœlum ascendere possit. *Beda super Joan. 3. Erat homo ex Phariseis.*

24. Refræna iram, expue malitiam, expugna luxuriam, et de peccatis, virtutibus fecisti gradum, qui ducit in cœlum. *Chrys. de Symbolo, Ascendit ad cœlos.*

Vide etiam in tit. Resurrectio, núm. 3, 7. in tit. Christus núm. 2.

AVARITIA.

1. Non solum avarus est, qui rapit aliena, sed ille avarus est, qui cupide servat sua. *Aug. in quodam serm.*

2. Avarus antequam lucretur, seipsum perdit, et antequam aliquid capiat, capitur. *Aug. ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tractans illud: Ecce. iste venit saliens.

12. Salvator noster, qui quum in ea carne quam assumpsit, ascendit in cœlum, peregre profectus est: quia locus carnis propriè terra est, quæ quasi ad peregrina loca deducitur, quum in cœlo colocatur. *Greg. in hom.*

13. Illo revertebatur Christus, ubi erat, et inde redibat ubi remanebit: quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per deitatem suam, et terram pariter continebat, et cœlum. *Greg. hom. 29.*

14. Oportet, fratres charissimi, ut illuc sequamur corde, ubi Christum credimus corpore ascendisse, et si adhuc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit. *Ibidem.*

15. In hac solemnitate deletum est chirographum nostræ damnationis, mutata est sententia nostræ corruptionis. Illa enim natura, cui dictum est: terra es, et in terram ibis, hodie in cœlum ibit. *Greg. in hom. 29.*

16. Ascendimus duobus modis: meditatione et oratione. Meditatio quidem quid desit, docet: oratio ne desit, obtinet. *Bern. in ser. Ascensionis.*

17. Ascensionis quatuor dicimus esse gradus, prima ad cor: secunda in corde: tertia de corde: quarta supra cor. In prima timetur Dominus, in secunda auditur consiliarius, in tertia desideratur sponsus, in quarta videtur Deus. *Bern. super Cant.*

18. Domino meo datum est singulariter sedere à dexteris in gloria Patris coæquali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, majestate non dispari, ælernitate non posteriori. *Bern. super Psal. Dixit Domin.*

19. Natura cujus causa paradisus à Cherubim custodiebatur, hodie super Cherubim, cum summo honore suscepta est: et natura cui dictum est: terra es et in terram reverteris, hodie in cœlum ivit, et sine termino super cœlos regnat. *Chrysost. in hom. de Ascensio.*

20. Fit caro verbum, id est, homo Deus, et qui homo est, in cœlis est, et qui Deus est, de cœlis est: ascendit descendens, sed descendit non descendens: est qui erat, et quod est, non erat. *Hil. de Trinit.*

21. Non solum hodie cœli possessores firmati sumus, sed superna cœlorum in Christo penetravimus, ampliora recepturi per suam ineffabilem gloriam, quam per diaboli perdideramus invidiam: quia quos diabolus de primi habitaculi felicitate ejecit, hos Dei filius sibi corporatos ad patris dexteram collocavit. *Leo Papa in ser. Ascensio.*

22. Non otioso inter resurrectionem et ascensionem 40 dies transiere discursu, sed magna confirmata sunt sacramenta, magna revelata mysteria. In eis diræ mortis aufertur metus, vere simul et carnis immortalitas declaratur. In his insufflatio spiritus sancti infunditur, in his beato Petro præter cæteros ovilis dominici cura mandatur. *Ibidem.*

23. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Quisquis ergo in cœlum ascendere desiderat, ei qui de cœlo descendit, decet ut in cœlo se vera fidei et dilectionis unitate conjungat, aperte intelligens, quod nullo alio ordine, nisi per eum, qui de cœlo descendit, in cœlum ascendere possit. *Beda super Joan. 3. Erat homo ex Phariseis.*

24. Refræna iram, expue malitiam, expugna luxuriam, et de peccatis, virtutibus fecisti gradum, qui ducit in cœlum. *Chrys. de Symbolo, Ascendit ad cœlos.*

Vide etiam in tit. Resurrectio, núm. 3, 7. in tit. Christus núm. 2.

AVARITIA.

1. Non solum avarus est, qui rapit aliena, sed ille avarus est, qui cupide servat sua. *Aug. in quodam serm.*

2. Avarus antequam lucretur, seipsum perdit, et antequam aliquid capiat, capitur. *Aug. ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Avarus vir inferno est similis. Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit: Satis est. Sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum. *Aug. in Epist. ad Comit.*

4. Quæ est ista aviditas concupiscentiæ, cum et ipsæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando esuriunt: parcunt verò prædæ, quum senserint satietatem. Insatiabilis est sola avaritia divitum. Semper rapit, et numquam satiatur, nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Viduam oprimit, pupillum invadit, liberos in servitium revocat, testimonium falsum profert. Res mortui occupantur, quare et qui faciunt non moriuntur? Quæ est illa animarum insania? amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, et perdere cœlum. *Aug. de verb. Domini.*

5. Avarus est cæcus, credendo enim dives est non videndo. Amas pecuniam, ò cæce, quam numquam videbis, cæcus possides, cæcus moriturus es: quod possides hic, relicturus es. *Aug. in lib. de doctr. Christiana.*

6. Avaritia, non in solo argento, unde nomen duxisse resonat, sed in omnibus rebus, quæ immoderate cupiuntur, intelligenda est. Ubicumque omninò plus vult quisque quam satis: hæc autem avaritia cupiditas est, cupiditas verò improba voluntas est: ergo propterea voluntas omnium malorum causa est. *Aug. l. 3. de libero arbitrio.*

7. Avarus velut infernus omnia devorans, vellet nullum hominem esse, ut omnia solus possideret. *Aug. in quodam serm.*

8. Quum avaritia alicui dominatur, subjectus malis omnibus demonstratur, quia de avaritia omnia mala oriuntur, et peccatorum omnium spinæ producuntur. *Aug. de libero arbitrio.*

9. Avaritia non vitium avari, sed animæ perversæ amantis aurum, derelicta justitia, quæ debuit anteponi auro. *Aug. lib. 12 de civit. Dei.*

10. * Minus voluptatibus * stimulatur, qui non est ubi frequentia voluptatum: et minus avaritiæ molestias patitur, qui divitias non videt. *Aug. de Sin. Cler*

11. * Cupiditas et avaritia in tantum unum malum sunt, ut nec avaritia sine cupiditate, nec cupiditas sine avaritia possit inveniri. *Ibid. ad quondam.*

12. * Non est in carendo difficultas, nisi quum fuerit possidendo cupiditas. *Idem lib. Conf.*

13. Non minoris est criminis habenti tollere, quam cum possis, et habes indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu includis: miserorum redemptio, et absolutio pecunia, quam tu in terra fodis: tantorum scias te invadere bona, quantis possis præstare, et nolis. Non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum. *Ambros. in quodam serm.*

14. Modum non habet avaritia, nec capiendo expletur, sed incitatur, hoc egentior quo plura quæsivit. *Aug. de interpellatione Job.*

15. Venit avaritia, et dicit: Argentum et aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est. Possessio quam tenes, juris tui emptio est. *Ambr. super Psal. 118.*

16. Inflammatur lucro avaritia, et non extinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditatis habet, et quo plures ascenderit, eo altiora festinat: unde fit gravis ruina lapsuro. *Ambr. de Naboth. Jezare.*

17. Pauperiorem se judicat omnibus abundans: quia sibi deesse arbitratur, quicquid ab aliis possidetur: toto mundo eget, cujus non capit mundus cupiditatem: ei autem qui fidelis est, totus mundus divitiarum est, toto mundo fugit, qui considerans conscientiam suam timet deprehendi. *Ibidem.*

18. Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est, infidelis autem obolo indiget. *Hieron. ad Paul.*

19. Nos ardemus avaritia, et contra pecunias disputantes auro sinum expandimus, et aliud quod de Megarensibus dicitur, nobis miseris coaptari potest:

Ædificant, quasi semper victuri: vivunt quasi altera die morituri. *Hier. ad Rusticum.*

20. Cùm cætera vitia senescente homine senescant, sola avaritia juvenescit. *Hier. in quod. ser.*

21. Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet, quia aut non habita concupiscit, ut habeat, aut habita metuit, ne amittat: et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa. *Hier. ibidem.*

22. Nihil aliud est avarus, quam bursa principum, cellarium latronum, rixa parentum, sibilus hominum. *Ibidem.*

23. * Multis nomen pauperum avaritiæ ocassio est. *Ibidem.*

24. Avaritia latenter oritur in mente, sed punctiones peccatorum omnium patenter producit in operatione. *Greg. 20. Moral.*

25. Peccatum avaritiæ mentem, quam infecerit ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli non possit. *Greg. 14. Moral.*

26. Avaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur: nam more ignis cum ligna, quæ consumit, acceperit, excrescit: et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari. *Greg. 15. Moral.*

27. Avarus prius anhelat concupita congregare, et quum quasi in quodam ventre avaritiæ multa congesserit, satiatus arctatur, quia dum anxiatur, qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustiat. Mens avari, quo prius ex abundantia requiem quæsierat, postea ad custodiam gravius laborat. *Ibidem.*

28. Omnis avarus ex potu sitim multiplicat: quia quum ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. *Greg. in hom.*

29. Dæmonum habitaculum fit quisque in hoc sæculo, qui propter divitias et honores laborat: quas postquam assecutus est, tradit se luxuriæ, ut quæ avaritia congregavit, luxuria consumat. *Greg. ibid.*

30. Prius namque mens avari dolorem habuit in ipsa suæ concupiscentiæ fatigatione, qualiter concupita reparet, quomodo aliqua blandimentis, aliqua terroribus auferret. At postquam acquisitis rebus pervenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, ut cum solicito timore custodiat, quod cum gravi labore meminit acquisitum. Hinc inde insidiatores metuit, atque hoc perpeti, quod ipse fecit, ab aliis fieri pertimescit. *Greg. ibidem.*

31. Avarus hic ardet æstu concupiscentiæ, ac multiplici cura custodiæ, et postmodum ardebit igne gehennæ. Si potentiorem videt, timet raptorem: si inferiorem, suspicatur furem. Infelix! tanta patitur, quanta pati timet. *Greg. in quadam homil.*

32. Magna est securitas cordis, nihil habere concupiscentiæ secularis. Nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest, quia aut non habita concupiscit, ut habeat: aut adepta metuit, ne amittat, et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Si vero semel in appetitione supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus temporalium rerum perturbatione vexatur. *Greg. 22. Mor. super lib. Job. Si expavi ad multitudinem nimiam c. 31.*

33. Cursum suum quisque consideret, et cognoscet sibi sufficere parva, quæ habet: sed fortasse metuit ne in hujus vitæ itinere sumptus desit. Longa nostra desideria increpat vita brevis. Incassum multa portantur, quum juxta est, quo pergitur. *Greg. hom. 33. super Evang.*

34. * Bonorum auctori aliter in hærere non possumus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus.

35. Divitiarum amor insatiabilis, longè amplius torquet animam, quam refrigeret usu suo, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur. *Bernar. in quodam serm.*

36. Quod sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lancea, crucem et mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, et posfligunt in acquisitione turpis quæstus, et pretium universitatis suis marsupiis includere festinant: hoc solo sane á Juda Iscariote differentes, quod ille horum omne emolumentum, denariorum numero compensavit, isti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. *Bern. super Cantic.*

37. Avarus terrena esurit, ut mendicus: fidelis contemnit, ut dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat. Quære á quovis eorum, qui insatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quidnam de his sentiant, qui sua vendentes et pauperibus dantes, regna cœlorum pro terrena mercantur substantia sapienter agat nec ne? proculdubio respondet: sapienter. Quære iterum, cur quod approbat ipse non facit? Non possum, inquid. Quare? profecto, quia domina avaritia non permittit: quia liber non est: quia non sua sunt, quæ possidere videtur, sed nec ipse sui juris est. Si verè tua sunt, expende ad lucra, et pro terrenis cœlestia commutato. Si non vales scias te pecuniæ non dominum esse, sed servum: custodem non possessorem. *Bern. super Cant. serm. 10.*

38. Avaritia rotis vehitur quatuor vitiorum quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio. Porrò jumenta trahentia, tenacitas, et rapacitas, et his unus auriga ambobus præsidet, habendi ardor. Sola quidem avaritia, quia conducere plures non patitur, uno contenta est servitore. *Bern. super Cant. serm. 51.*

39. Ne mireris si pecuniæ milites superaverunt, quæ apud discipulum tantam ostenderunt virtutem. Nihil enim clausum constat, quod auro argentoque non pateat: nihil occultum, quod non pecunia indagante sit cognitum. *Chrys. super illud Math. 28. Ac illi accepta pecunia.*

40. Qui pecuniæ servit, et præsentibus compedibus constringitur, et futuris paratur. *Idem in Hom. 9. sup. Matth.*

41. * Avaritia insatiabilis ebrietas.

42. * Avaritia omnis injustitiæ fomes est.

43. * Avaritia crudeles efficit eos qui ei serviunt. *Chrysost.*

44. * Avarus communis omnium hostis. *Idem.*

45. * Avarus libentius carnem suam tradit, quàm aurum.

46. Avidus dictus ab avendo. Avere enim cupere est. Hinc et avarus dictus est, eò quod sit avidus auri, et nunquam opibus expletur. *Isid. in lib. Etymol.*

47. Qui bona mundi diligit, velit nolit, timoris et doloris pœnæ succumbit. *Isid. 3. de sum. bono. Eccles. 10.*

48. O pestis maligna avaritiæ semper bonis animis detestanda, quid illæsum, quid inconcussum dimittis? Tu genus hominum confudisti; tu discipulum comitem Christi ab apostolatu præcipitasti, tu milites custodientes sepulchrum captivasti, numquid bene dictum est: pecuniæ obediunt omnia? *Rab. super Matth. in fine.*

49. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est justitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. *Leo. Papa in quodam serm.*

50. Duo sunt, quæ illicitè solent acquirere, scilicet superbia et cupiditas: et duo quæ malè fruuntur acquisitis, gula et luxuria. Duo sunt, qui malè possidere volunt, scilicet prodigus et avarus. Unus ut congregat, alter ut dissipet, et duo quæ possessa defendunt, scilicet intemperantia et prudentia mundi. Superbia diabolo clausit cœlum, gula primo parenti abstulit paradisum, avaritia diviti aperuit infernum, intemperantia vero adhuc corrumpit mundum. *Hug. lib. 2. de claustro anima.*

51. Avaritia est, sua illicitè retinere, et aliena concupiscere. *Ibidem.*

52. Avaritia est, gloriæ seu quarumlibet rerum insatiabilis et inhonesta cupido. *Ibidem.*

53. Avaritia est, per quam in animis hominum deificatur pecunia, imò divinæ venerationis exhibetur autoritas: proh pudor? metallorum onera largiuntur honores ad metalli pondera ponderatos. Jam non Cæsar, sed numus est omnia: qui ab individualibus usque ad generalissima honores singulos tanquam mediator excurrit. Jam numus patriarcha noster efficitur, qui quosdam in archiepiscopatus inthronizat apicem, quosdam episcopalis fastigii erigit in honorem: hos in archidiaconalibus adoptans officiis, alios aliarum pedestrium dignitatum coæquans negotiis. *Alan. de conquest. natura.*

54. Quid prodest cum Tullio orationem rethoricis cœlorum stillare sideribus? cum Aristotele ancipiti Dialecticæ gladio à veris falsa distinguere? cum Zenone falsitatem probabiliter defendere? tunicare sophismata? cum Donato in accentuum congruentia nectere dictiones? cum sapientia nostris temporibus nullius fructus præmietur stipendiis, nullius famæ eam favoris aura extollat, ipsa verò pecunia honoris, titulos et laudis emat præconia? *Alan. ibid.*

55. Multos facit avaritia inter divitias indigere. Judicium enim Dei est, ut in eo, quo quis deliquit, puniatur, ut semper indigeat, qui semper indigentiam timet, sicut scriptum est: Qui timet pruinam, veniet super eum nix: suos hospites male remunerant, serpens in sinu, ignis in gremio, mus in pera. *Pet. Rab. in quodam serm.*

56. Quam multos seducit cupiditas, quam plures perdidit avaritia? Balaam asella redarguit, et pedem sedentis attrivit, quia captus cupidine promissorum disposuit maledicere Israëli. Achor populus lapidavit, quia tulit argentum et aurum de anathemate Jericho. Naboth interemptus est, ut Achab vineam possideret. Giezi lepra perfudit, quia petiit et recepit argentum et vestes sub nomine Helisæi, Judas laqueo se suspendit, quia vendidit et tradidit Christum. Ana-

niam et Sapphiram subitanea mors extinxit, quia de pretio agri defraudavit Apostolum. Ædificavit Tyrus munitionem suam, et coacervavit aurum et argentum quasi lutum platearum, sed ecce Dominus possidet eam, et percussit fortitudinem ejus. *Innocent. de vilitate conditio humanæ.*

57. Avarus nec patientibus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur: sed offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum. Nam Deo detinet debita, proximo denegat necesaria, sibi subtrahit opportuna: Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis. Viro cupido et tenacissimo sine ratione est substantia: et homini livido ad quid aurum? Qui sibi nequam est, qui alii bonus erit? Non enim proximum suum diligit sicut seipsum quem inedia perimit, egestas consumit: nec Deum diligit super omnia, qui Deo præfert aurum, præponit argentum. *Inno. ibid.*

58. Avaritia secundum Apostolum, est idolorum servitus. Quia sicut idolatra servit simulacro: sic avarus servit thesauro. Nam ille cultum idololatriæ diligenter ampliat, et iste cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum omni diligentia colit simulacrum, et iste cum omni cura custodit thesaurum. Ille spem ponit in idololatria, et iste spem constituit in pecunia. Ille timet mutilare simulachrum, et iste timet minuere thesaurum. *Inno. ibid.*

59. Avarus largus in alieno, sed parcus in proprio gulam evacuat, ut aream adimpleat: corpus extenuat, ut lucrum extendat: manum habet ad dandum collectam, sed ad recipiendum porrectam: ad dandum clausam, sed ad recipiendum apertam. Habet enim avarus damnationem vitæ, quæ nunc est, et futuræ. *Ibibem.*

60. Tria maxime solent homines affectare, opes, voluptates, et honores: de opibus, prava, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt. Nam opes generant cupiditatem et avaritiam: voluptates pariunt gulam et luxuriam: honores nutriunt superviam et jactantiam. *Inno. de vili cond. human.*

61. * Non est morbus cupere, sed cupidum esse. *Lact. lib. 6.*

62. * Cupiditas ad ea comparanda data est, quæ sunt ad vitam necessaria. *Ibidem.*

63. Avaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago, neque habendi fructu felix, et cupiditate quærendi miserrima. *Val. lib. 9.*

64. Jam rusticitatis et miseriæ est velle quantum satis est. *Sen. in extrema parte epist. 2.*

65. Monstro similis est avaritia senilis. Quid enim sibi vult, non intelligo. Nam quid absurdius, ut dici solet, quam quo minus restat vitæ eò plus viatici quærere, et via deficiente, augere viaticum? *Sene. in lib. de moribus.*

66. Pecunia non satiat avaritiam, sed irritat: homo semper indiget pecunia. Mihi crede, non potest esse dives et felix. *Ibidem.*

67. Si pecuniam habueris, necesse est, ut teipsum aut pecuniam vilem habeas. *Senec. in epist. 25.*

68. Avarus ipse miseriæ suæ causa est. *Senec. in Prover.*

69. Avaro facilè capieris, ubi non sis. *Ibidem.*

70. Avarus nusquam molitur, nihil rite facit. *Ibid.*

71. Avaro quid mali optes, nisi ut diu vivat? *Ibidem.*

72. Avarus damno potius, quam sapiens dolet. *Ibidem.*

73. Inopiæ pauca desunt: avaritiæ omnia. *Ibidem.*

74. Negandi causa avaro nunquam deficit. *Ibidem.*

75. Pecuniæ oportet imperare, non servire. Pecunia, si uti scias, ancilla est: si nescias, domina. *Ibidem.*

76. Pecuniæ quærendæ et tuendæ modum haberi oportet. *Socrat. in Proverb. Philoso.*

77. Avaros homines pupillos brevis ætatis esse, nihil enim de suo uti licere. Avaro cuidam locupleti dicens: O stulte, divitiæ tuæ in te pereunt, paupertatique similes sunt, quum in his esuris, sitis et alges. *Pythag. Proverb. philoso.*

78. Modus pecuniæ quærendus est, qui nec major necessitate præsenti possit esse, nec minor. *Socrat. in proverb.*

79. * Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet. *Quint. lib. 7.*

80. * Caput est in omni procuratione negotii, ut avaritiæ tollatur vel minima suspicio. *Cicer. 2. offic. id. 2. ad Her.*

81. * Duæ res, quæ maxime impellunt ad maleficium, luxuries et avaritia sunt. *Idem de Natu Deor.*

82. * Nemo tam firmum habet præsidium, quod avaritia non infregerit, debilitaveritque.

83. * Illi morbo, qui permanet in venis, et inhæret in visceribus, nec inveteratus evelli potest, nomen est avaritia. *Idem 4. Tuscul.*

84. * Nullum vitium tetrius est, quàm avaritia, præsertim in principibus et Rempub. gubernantibus.

Vide etiam in tit. Advocati núm. 16 et 17, in tit. Communitas núm. 17, in tit. Cupiditas, Excusatio núm. 22 in tit. Fortitudo, núm. 5 in tit. Senectus, núm. 5 et 32.

AUDITOR.

1. Tutius auditur veritas, quam prædicatur, quoniam quum doctrina recipitur, humilitas custoditur. Quum disputatio vel prædicatio placet, vix est, ut disserentem non pulset quantulacumque jactantia. *Augustin. de doctrina Christia. et super Joh. hom. 37.*

2. Vidit apostolus in audiendo facillimum servari humilitatem, quæ difficilis est in docendo: quoniam necesse est, ut doctor habeat superiorem locum, ubi laboriosum est obtinere, ne surrepat elatio. *August. super illud Jac. 1. Sit autem omnis ho. velox ad audiendum.*

3. Quum verbi boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis majora doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur. Sæpe enim doctori verbum Dominus pro gratia tribuit auditoris: nonnumquam verò propter an-

ditoris culpam subtrahitur sermo doctori. *Greg. in pastoral. et mor.*

4. Nisi spiritus sanctus auditorum corda repleat, ad aures corporum vox doctorum incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc interius imprimere non valent. *Gregor. 27. moral.*

5. Via Domini ad cor dirigitur, quum veritatis sermo humiliter auditur. *Greg. in homil.*

6. Multi legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt, sed post vocem vacui recedunt: quorum etsi venter comedit, viscera non replentur, quia etsi mente intellectum sacri verbi percipiunt, obliviscendo et non servando quæ audiunt, hæc in cordis visceribus non reponunt. *Greg. hom. 10. super Ezech.*

7. Verba Dei, quæ aure percipitis, mente retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei: et quasi acceptus cibus in stomacho languente rejicitur, quando auditur sermo in ventre, memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Æternæ ergo mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis, sed verba vitæ, id est, alimenta justitiæ in memoria non tenetis. *Greg. in hom. 15. super Matth. 13. Exiit. qui seminat.*

8. * Secundum capacitatem auditorum moderetur lingua doctorum. *Greg. 12. Moral.*

9. * Propter bonos auditores malis doctoribus sermo datur: et propter malos auditores bonis doctoribus sermo subtrahitur. *Greg. in Ezech.*

10. Auris bona est, quæ libenter audit utilia, prudenter discernit audita, obedienter operatur intellecta. *Bern. in quadam epist.*

11. Dele, inquid, literas, magis quàm scripturas, quas diabolus in tua impressit anima, et fer mihi cor à vitæ hujus tumultibus liberum. *Chrys. super Math. 2.*

12. Frequenter ipsa eadem audire etiam scientibus prodest: quod enim novimus, si sæpius audiamus, amplius compungimur. *Chrys. ser. 2. super epi. ad Hebr.*

13. * Auditores quidque suum remedium in conlionibus capiant. *Idem in Ge. hom. 6.*

14. * Auditores benevoli, alacres reddunt prædicatores. *Ibi. hom. 14.*

15. Prudens auditor omnes libenter audit, omnia legit: non personam, non scripturam, non doctrinam spernit: ab omnibus indifferenter quod sibi deest, et quod deesse videt, quærit, non quantum sciat, sed quantum ignoret considerat. *Hugo de S. Vict. in suis didasc.*

16. Quidam veniunt, ut audiant, non ut discant, sicut in theatrum voluptatis causa, ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis ducimus: magnam hanc partem auditorum videbis, cui philosophi scola, diversorium otii sit: non id agunt, ut aliqua illo vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, qua mores suos erigant, sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui etiam cum pugillaribus veniunt, non ut res accipiant, sed ut verba, quæ tam sine profectu alieno discunt, quam sine suo audiunt. *Sen. epist. 10.*

Vide etiam in tit. Doctrina, núm. 47, 51 et 64, in tit. Gratia núm. 3, in tit. Magister núm. 1 et 6 in tit. Maria núm. 5 et in tit. Verbum per totum.

BAPTISMUS.

1. Tantum valet Baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus, ita nec istius nec illius, sed Christi cognoscitur. Invenimus itaque dictum ab Apostolis: et gloriam meam, et evangelium meum, et ministerium meum: quamvis utique à Domino impartitum atque donatum. Baptisma autem meum nemo eorum dixit omninò. Non enim omnes ministrant æqualiter, et in evangelizando alius alio melius operatur: alius autem alio magis, vel minus baptizatus dici non potest, sive ab inferiore, sive à ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jore baptizetur. *Aug. de uni. bapt. lib. 5. et pon. de cons. di. 4. cap. nunc autem.*

2. Baptismus talis est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis, per cujus ministerium datur. *Aug. super Joan.*

3. * Non omnes qui tenent baptismum, tenent ecclesiam. *Aug. cont. Dom. lib. 5.*

4. * Baptizandi potestatem Dominus sibi tenuit, servis ministerium dedit. *Idem in evangel. Joan. tract. 5.*

5. Spiritus etiam ante baptisma Gentilium corda perfudit, qui nunquam in Judeorum mentibus, nisi post aquam baptismatis venit. *Greg. in mor.*

6. Idem salutiferæ curationis auxilium, circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelante gratiæ tempore consuevit, excepto quod regni cœlestis januam necdum intrare poterant, donec adveniens benedictionem daret, qui legem dedit, ut videri posset Deus deorum in Sion: tantum in sinu Abrahæ post mortem beata requie consolati, supernæ pacis ingressum spe felici expectabant. *Beda super illud Postquam consumati. Luc. 2.*

7. Baptizati utuntur albis vestibus, utpote quorum nativitatis faciem vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus securæ regenerationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligant se diademate regni, et sacerdotali dignitate potiri. *Rab. de inst. cler. et ponit. de cons. di. 2. post bapt.*

8. Infideles et criminosi baptismum cum fide suscipientes, sic absolvuntur à debito damnationis, ut non teneantur debito expiationis. Fideles verò et criminosi, post lapsum verè pœnitentes, sic absolvuntur à debito damnationis, ut tamen teneantur sub debito expiationis. Sed cur quæso expiatur difficilius, nisi quia offendit gravius. *Ricar. de pot. lig.*

9. * In baptismo Rex, Sacerdos et Propheta efficimur. *Chrys. in epist. ad Cor. hom. 3.*

10. In baptismo sic omnia et originalia delicta, et perperam commissa mundantur, ut illi nos restituat puritati, in qua Adam noscitur esse procreatus. *Cass. super Psal. 5.*

11. Baptismus est merito factus cum invocatione Trinitatis. *Idem Cass.*

Vide plura in tit. Fides núm. 20, in tit. Sacerdos núm. 23, in tit. Sacramentum núm. 2.

BEATITUDO SIVE BEATUS.

1. Infelix, qui omnia novit, et te nescit: qui autem te et illa novit, non propter illa beatus, sed propter te solum. *Aug. super Hæc est vita.*

2. Tam potentem Deus fecit animam, ut de ejus plenissima beatitudine, quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet in inferiorem naturam, quæ est corpus, non beatitudo, quæ fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, quæ est incorruptionis vigor. *Aug. in epist. ad Diosco.*

3. Beati immaculati in via, tanquam diceret, scio quid velis, quæris beatitudinem. Si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. *Aug. super Psal. 118.*

4. * Alterius beatitudine nemo fit beatus. *Aug. lib. 2. de lib. arb.*

5. Quando dicis: beate vivere volo, bonam rem quæris, sed non hic: si habuit hic istud Christus, habe et tu in regione mortis tuæ. Quid ille invenit attende. Veniens de alia regione, quid invenit, nisi quod hic abundavit? labores, doloros, mortem. Ecce quod hic habes, et quod hic abundat, manducavit tecum. Quod hic in cella miseriæ tuæ abundavit, acetum hic bibit, fel hic bibit, ecce quod in cella tua invenit, et ad magnam mensam te invitavit, mensam cœli, mensam Angelorum, ubi ipse panis est. *Aug. super Joan. 13.*

6. * Beatitudo vera non est, de cujus æternitate dubitatur. *Aug. lib. 2. de Civit. Dei.*

7. * Beatus ex seipso nemo esse potest. *Ibid. lib. 12.*

8. Beatus non est, qui quæ vult, habet, si mala velit. *Aug. epist.*

9. Ille beatus est, qui omnia quæ vult habet. Nec aliquid vult, quod non decet. *Aug. in epist. ad Probum.*

10. Quid hoc bono melius? quid hac felicitate felicius, vivere Deo, vivere de Deo? *Aug. de spirit. et litera.*

11. Dico beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, suavitate conscientiæ, virtutis sublimitate: non sine pasione esse, sed victorem pasionis esse, beatum est. *Ambr. de Offic.*

12. Beatus, quem sapientia devoravit, quem virtus hauserit, quem justitia receperit. *Ambr. ibid.*

13. Beatum nihil, nisi quod caret peccato. *Ibid.*

14. Beatitudo nostra futura, non præsens. *Ibid.*

15. Beatus vir, qui non cogitavit, nec fecit, nec docuit mala: non stetit, non perseveravit in delicto, sed per pœnitentiam ad meliora conversus est. *Hier. super illud Psal. I. Beatus vir.*

16. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant: an non satis ea cum honore spernis, quæ cum dolore perdis? *Bern. in epist.*

17. Tripliciter in æterna illa et perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobisipsis, et quod his omnibus ineffabiliter jucundius fit atque beatius, ipsam quoque cognocentes semetipsam Trinitatem. *Bern. in serm.*

18. Una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ: et in illa beatitudine erit culpæ memoria, non quæ mentem polluat, sed quæ nos lætitiæ arctius adstringat. *Bern. ibi. in serm.*

19. Beatus dictus, quasi benè habitus, scilicet ab habendo quod vellet, et nihil patiendo quod nollet. Ille enim verè beatus, qui habet omnia, quæ vult, et nihil vult male. *Isid. Ety.*

20. Beatus est, de cujus culmine amicis datur lætitia, lividis pœna, posteris gloria, vegetis et alacribus exemplum, pigris et desidiosis incitamentum. *Cass. in epist.*

21. Nam nisi fallor, ea vera est et perfecta felicitas, quæ sufficientem, potentem, reverendum, celebrem, lætumque perficiat: atque, ut me interius animadvertisse cognoscas, quæ unumquodque horum, quoniam idem cuncta sunt, veraciter præstare potest, hanc esse plenam beatitudinem, sine ambiguitate cognosco. *Boët. 3. de cons.*

22. Scito eum non bonum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit, sed illum, cui omne bonum in animo est, erectum et mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo se commutatum velit; qui hominem ea sola parte æstimat, qua homo est; qui natura magistra utitur, ad illius leges componitur; sic vivit, quomodo illa præscripsit, cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit, certus judicii, inconcussus, intrepidus, quem si aliqua vis movet, nulla perturbat, in quem fortuna, cùm quod habuit telum nocentissimum, vi maxima intorsit, pungit, non vulnerat. *Sene. epist. 48.*

Vide in tit. Anima, núm. 34 et 40, in tit. Contemptus núm. 17, in tit. Eleemosyna núm. 12, in tit. Gloria æterna, Homo núm. 20, in tit. Libertas núm. 5, tin it. Mors núm. 71.

BELLUM.

1. Donabit certanti victoriam, qui certanti dedit audaciam. Non ergo nos hostium turba, non bellantium forma, non quasi fulgens vitrea terreat armatura. Goliam magnum, robustum, armis terribilem, ingentique turba munitum, David solus, parvus atque inermis, uno lapidis ictu prostravit, totaque Allophylorum castra turbavit atque fugavit. *Aug. cont. 5. hær. in princ.*

2. O homo ideo non vicisti, quia de tuo præsumpsisti. Qui præsumit de viribus suis, antequam pugnet, prosternetur. *Aug de ver. Apost.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius consilium salutis petentibus in Evangelio daretur, ut abjicerent arma seque militiæ omninò subtraherent. Dictum autem est eis: *Neminem concutiatis: estote contenti stipendiis vestris:* quibus proprium stipendium sufficere præcepit, militare non prohibuit. *Aug. in ser. de pue. Cen.*

4. Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli autoritas atque consilium penes principes sit. *Aug. con. Fau.*

5. Justa bella solent diffiniri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas plectenda est, quæ vel judicare neglexerit quòd à suis improbe factum est, vel reddere, quòd per injuriam ablatum est. *Aug. id lib. quæst.*

6. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implicatus et implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur. *Aug. con. Fau.*

7. Apud veros Dei cultores, etiam bella patrata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur, et boni subleventur. *Aug. in lib. de verb. Dom. et est 25. quæ 1. quid.*

8. Non quæritur pax, ut bellum exerceatur: sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergò bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. *Aug. ad Boni. offic. 3.*

9. Quum justum bellum suscipitur, utrum aperte pugnet quis, an ex insidiis, nihil ad justitiam interest. Dominus enim Josue mandavit, ut habitatoribus Nai insidias poneret. *Aug. in lib. quæst.*

10. Noli existimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat: in his erat sanctus David, cui Dominus magnum testimonium perhibuit. *Aug. ad Boni.*

11. Fortitudo, quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena justitia est. *Ambros de Offic.*

12. Incassum contra exteriores inimicos in campo

bellum geritur, si intra ipsa urbis mœnia jus insidians habetur. *Ibidem.*

13. Utilior est in conflictu lorica ferrea, quam stola linea, licet oneri illa sit: In minimis probate conflictibus quàm viriliter in majori certamine stare possitis. *Ibidem.*

14. Si bona fuerit causa pugnantis, pugnæ exitus malus esse non potest: sicut nec bonus judicabitur finis, nisi causa non bona, et intentio non recta præcesserit. *Bern. de nov. mil.*

15. In prœliis concitatis gloria vincentis semper apparet: nam virtus probatur latere, quæ non fuerit explorata certamine. *Cass. super Psal. 26. Si exurg. adversus.*

16. Ars bellandi si non præluditur, quum fuerit necessaria, non habetur. Discat ergo miles otio, quod perficere possit in bello. Animos subitò ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos præmissa exercitatione disponunt: gestiunt vituli certamina, quæ implent ætate robusta, catuli in novellis venationibus ludunt: sic animi hominum, nisi prius leviter fuerint imbuti: ad hoc, quo tendis, idonei nequeunt reperiri. Primordia cuncta pavida sunt, et aliter timiditas non tollitur, nisi quum rebus necesariis novitas abrogatur. *Cass. lib. 1. epist. 39.*

17. Terribilis est hominibus conflictus, si non sit assiduus, et nisi usu præmuniatur, concertandi subito fiducia non habetur: nam quod in juventute non discitur, in matura ætate nescitur. *Cass. lib. 3. epi. 3.*

18. Viri fortes semper in pace modesti sunt, et justitiam nimis diligunt, qui frequenter prælia tractaverunt. *Cass. lib. 5. epist. 3.*

19. Sapientis non est velle certare, et periculo se velle committere, quoniam et vincere non est in nostra potestate, et est anceps omne certamen. *Lact. lib. 6.*

20. Non dat tot pugna socios, quod solet mensa convivas. *Sidon. lib. 3. epist. 3.*

21. Quemadmodum certantibus ventis mare con-

cultitur: sic regibus sibi adversantibus populus regni vexatur. *Chrys. in Matth.*

22. Adversariorum pugna constanter aliquando appetenda est, et prudenter aliquando declinanda. *Greg. lib. Moral.*

23. Si egregium est hostem dejicere, non minus tamen laudabile infelicis scire misereri, quia sicut infinitam gloriam bellica virtus, ita præcipuum amorem clementia meretur. *Val. Max. de memo. dict. lib. 5.*

24. Scientia rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. Nemo enim facilè metuit, quod se bene didicisse confidit, et in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est. Ruralis ergò et indocta multitudo exposita est ad cædem. *Vegeti. de re. milit. lib. 1. c. 6.*

25. Constat quidem in omnibus locis et ignavos et strenuos nasci, tamen et gens gentem præcedit in bello, et plaga cœli ad robur non tantum corporum, sed etiam animorum plurimum valet, et omnes nationes, quæ vicinæ sunt Soli, nimio calore siccantur: amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicuntur, ac propterea constantiam et fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui exiguum sanguinem se habere noverunt. Econtrà Septentrionales populi remoti à solis ardoribus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes sunt ad bella promptissimi. Tyrones igitur de temperatioribus eligendi sunt plagis, quibus et copia sanguinis supetat ad vulnerum mortisque contemptum, et non possit deesse prudentia, quæ et modestiam servat in castris, et non parum prodest in dimicationibus uti consiliis. *Veget. de re mil. lib. 1. cap. 3.*

26. Nunquam credo potuisse dubitari aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub dio, et in labore nutritur, Solis patiens, umbræ negligens, balneorum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo diruere est, et solem pulveremque ferre non timeat. Ex agris ergo supplendum robur præcipue videtur exercitus: nescio quomodo non minus mortem timet, quod minus deliciarum novit in vita. *Ibidem.*

27. Non enim tantum celerius, sed etiam perfectius imbuuntur, quæ discuntur à pueris, deinde militaris alacritas, saltus et cursus ante tentandus est quam corpus ætate pigrescat. Velocitas enim est, quæ præcepto exercitio strenuum efficit bellatorem: nam taliter instituto pugnare adversus quoslibet hostes in acie formido non erit, sed voluntas. *Ibid. c. 4.*

28. Ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligant, qui implere valeant, bellatores: namque non tantum in hominibus, sed etiam in equis et canibus virtus multis declaratur indiciis. Sit ergò adolecens Martis operi deputandus, vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, securis pedibus non superflua carne distentis, sed nervorum duritia collectis. Quum hæc in Tyrone signa deprehenderis, procerilatem non magnopere desideras. Utilius est enim fortes milites esse quam grandes. *Ibid. c. 6.*

29. Ita fit, ut non de pugna sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. *Ibidem c. 20.*

30. Nihil magis prodesse constat in pugna, quam ut assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines servent. Nam et constipati perdunt spatia pugnandi, et sibi invicem impedimento sunt, et rariores, atque interluentes aditum prorumpendi hostibus præstant. Instructionis igitur lex est. Nam apud veteres singuli armati in directum trinos pedes inter se occupare consueverunt, hoc est, in mille passibus mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinantur in locum, ut nec acies interluceat et spatium sit arma tractandi. Inter ordinem autem et ordinem, à tergo in latum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sex pedes distare voluerunt ut haberent pugnantes spatium accedendi atque recedendi. Vehementius enim cum saltu cursuque tela mittuntur. *Veg. ibid. c. 26.*

31. In omni prælio non tam multitudo, et virtus indocta, quam ars et exercitium solent præstare victoriam. Non enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed potius exercitatio: nam in pugna solet usus amplius prodesse quam vires. Nam si doctrina cesset armorum, nil villanus distat à milite, cùm antiqua sit, prudensque sententia, omnes artes in meditatione consistere. *Ibid. lib. 2. c. 22.*

32. Qui desiderat pacem, præparat bellum: qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter. Qui secundos optat eventus, dimicet arte, non casu. Nemo provocare, nemo audet offendere, quem intelligit superiorem esse, si pugnet. *Veg. lib. 3. c. 1.*

33. Evidenter apparet nimium copiosos exercitus magis propria multitudine quam hostium virtute depressos. Nam pluribus casibus subjacet amplior multitudo: in itineribus pro mole sua semper est tardior, in longiore autem agmine etiam à paucis superventum assolet pati. Quod si in casu acies verterit tergum, necesse est multos cadere de multis, et ideo veteres, qui remedia difficultatum experimento didicerunt, non tam numerosos, quam eruditos exercitus habere voluerunt. *Ibid. c. 1.*

34. Sæpius enim fames, quam pugna consumit exercitum, et ferro sævior est fames: nam fames intrinsecus pugnat, et vincit sæpius sine ferro, deinde reliquis casibus potest in tempore subveniri. Pabulatio et annona in necessitate remedia non habent, nisi ante condantur. In omni expeditione unum extet maxime telum, ut tibi sufficiat victus, et hostes frangat inopia. *Ibid. lib. 3. c. 3.*

35. Boni duces non aperto prælio, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, ut integris suis quantum possint, hostes interimant certe, vel terreant, nam pauciores numero et inferiores viribus superventos, et insidiantes ac insidias facientes, sub bonis ducibus reportaverunt sæpè victoriam. *Ibid. lib. 3. cap. 9.*

36. Inter hostes discordiarum procurare causas, sapientis est Ducis. Nulla enim, quamvis minima sit, natio potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus seipsam consumpserit: nam civili odio ad inimicorum perniciem nihil efficacius. *Ibid. lib. 3. c. 10.*

37. Qui rarò aut omninò nunquam viderunt homines vulnerari, vel occidi, quum primum aspexerint, perhorrescunt, et pavore confusi, de fuga magis quam de conflictu incipiunt cogitare: subita enim conterunt, usitata vilescunt, et facilius est ad virtutem novos imbuere, quam revocare perterritos. *Ibid.*

38. Ordinaturus aciem, tria debet ante prospicere, Solem, pulverem, ventum. Nam Sol ante faciem eripit visum. Ventus contrarius tua flectit ac deprimit, hostium adjuvat tela. Pulvis fronte congestus, oculos implet et claudit. Hæc momento eo quod acies ordinantur, etiam imperiti vitare solent. Sed Duci provido cavendum est in futurum, ne post paululum accedente die noceat Solis mutata conversio, ne ventus adversus hora solita eo pugnante nascatur. *Veg. ibid. lib. 3. c. 14.*

39. Clamor autem, quem barritum vocant, prius non debet attolli, quam acies utraque se junxerit. Imperitorum enim vel ignavorum est, vociferari de longè, cùm hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit. Pars victoriæ est, inimicum turbare antequam dimices. *Veg. lib. 3. cap. 18.*

40. Nemo enim bello lacessere aut facere audet injuriam regno vel populo, quem expeditum et promptum ad resistendum, vindicandumque agnoscit. *Veg. lib. 4. c. 31.*

41. Quum tempus necessitasque postulat, decertandum est manu, et mors servituti turpitudinique anteponenda: nam occidi pulchrum est, si ignominiæ sè servis. *Tull. in Tusc. qu.*

42. Qui non laborat ut charus militibus sit, ani-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mare milites nescit. Humanitas ducis in exercitu, fulmen adversus hostes est. Julius numquam legitur jussisse, ite illuc, sed venite huc, participatus enim cum Duce labor persuadetur militibus minor. *Tull. ibid.*

43. * Suscipienda bella sunt ut in pace sine injuria vivatur. *Tull. 1. offic.*

44. * Omnia sunt misera in bellis civilibus sed nihil miserius quàm ipsa victoria, quæ etiam si ad meliores venit, tamen eos ferociores reddit. *Idem ad M. Mar.*

45. * Bellum est justum, quod necessarium est: et arma sunt pia, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. *Liv. lib. 9. Dec. 1.*

46. * Bellum non suscipiendum nisi quum majus emolumentum spei, quam damni metus ostenditur. *Aug. apud Tranq.*

47. Audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit sæpè vicisse post sanguinem. Rudis miles ad aciem concurrit, quia causam belli nescit, et jus bellatoris ignorat. Peritia enim est, non segnities, quum segnis miles veteranus accedit. *Pet. Ra. in serm.*

48. Ille qui sanguinem suum vidit, cujus dentes crepuere sub pugno, qui supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec projectus animum projecit, qui toties cecidit, contumacior resurrexit, cum magna spe ad pugnam descendit. *Senec. epist. 15.*

49. Male vicit, quem pœnitet victoriæ. Melius est enim ignoscere, quàm post victoriam pœnitere. *Sen. in epist. 15.*

50. Diu adparandum est bellum, ut vincas celerius: quia longa belli præparatio celerem facit victoriam. *Ibidem.*

51. Bellum itaque suscipitur, ut nihil aliud quam quæsitum videatur. Parva sunt arma foris, si non est consilium domi.

Vide etiam in tit. Adjutorium núm. 20, in tit. Christianus núm. 6, in tit. Consilium núm. 11, in tit. Malitia; Pax núm. 8, in tit. Præsumptio núm. 17, in tit. Victoria, Utilitas núm. 1.

BENEFICIA, SEU BENEFICIUM.

1. Beneficium est benevola actio tribuens captansque gaudium, tribuendo id quod agit. *Aug. de diff.*

2. Ante Dei oculos numquam est vacua manus à munere, si arca cordis plena est bona voluntate. *Aug. ho. super Joan. et Greg. in hom.*

3. Dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat. *Idem de serm. Dom.*

4. * Nemo invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit. *Idem lib. 1. Conf. c. 11.*

5. Nescit virtus mensuram gratiæ: nec contenta referre quod acceperit, sed vult cumulare, quod sumpsit: nec inferior fit beneficio, licet æquetur officio. *Ambr. super Luc.*

6. In beneficio conferendo plus animus, quàm sensus operatur, magis præponderat benevolentia, quam possibilitas reddendi muneris. *Ambro. de offic.*

7. Gratiam principis voluntas nuda non asserit. Nec beneficium dici potest, quod nulla utilitate sentitur. *Cass. lib. 2. epist. 28.*

8. Pietate plenum est, peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, et non tantum compatriotas ad substantiæ lucra admittere, quantum ipsos quoque advenas invitare. *Cass. lib. 5. epist. 9.*

9. Imperiti et omnino inutiles elegantioribus beneficiis et officiis ampliantur, divitiæ accumulantur divitibus, nec est qui respiciat pauperem, et mendicum. Elisæus vasa vacua implebat, et deficientibus oleum dedit. Hodie verò contemnuntur vasa vacua, et plena superimplentur: ligna in sylvas et aquæ in maria deferuntur: Arenti terræ aqua subtrahitur, et flumina, quæ non indigent, irrigantur. *Pet. Ra. in quodam serm.*

10. * Beneficia Dei omnibus horis consideranda sunt. *Chrys. in G. hom. 9.*

11. * Beneficiorum Dei memoria, sufficiens est ad virtutum laborem. *Ibid. hom. 27.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mare milites nescit. Humanitas ducis in exercitu, fulmen adversus hostes est. Julius numquam legitur jussisse, ite illuc, sed venite huc, participatus enim cum Duce labor persuadetur militibus minor. *Tull. ibid.*

43. * Suscipienda bella sunt ut in pace sine injuria vivatur. *Tull. 1. offic.*

44. * Omnia sunt misera in bellis civilibus sed nihil miserius quàm ipsa victoria, quæ etiam si ad meliores venit, tamen eos ferociores reddit. *Idem ad M. Mar.*

45. * Bellum est justum, quod necessarium est: et arma sunt pia, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. *Liv. lib. 9. Dec. 1.*

46. * Bellum non suscipiendum nisi quum majus emolumentum spei, quam damni metus ostenditur. *Aug. apud Tranq.*

47. Audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit sæpè vicisse post sanguinem. Rudis miles ad aciem concurrit, quia causam belli nescit, et jus bellatoris ignorat. Peritia enim est, non segnities, quum segnis miles veteranus accedit. *Pet. Ra. in serm.*

48. Ille qui sanguinem suum vidit, cujus dentes crepuere sub pugno, qui supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec projectus animum projecit, qui toties cecidit, contumacior resurrexit, cum magna spe ad pugnam descendit. *Senec. epist. 15.*

49. Male vicit, quem pœnitet victoriæ. Melius est enim ignoscere, quàm post victoriam pœnitere. *Sen. in epist. 15.*

50. Diu adparandum est bellum, ut vincas celerius: quia longa belli præparatio celerem facit victoriam. *Ibidem.*

51. Bellum itaque suscipitur, ut nihil aliud quam quæsitum videatur. Parva sunt arma foris, si non est consilium domi.

Vide etiam in tit. Adjutorium núm. 20, in tit. Christianus núm. 6, in tit. Consilium núm. 11, in tit. Malitia; Pax núm. 8, in tit. Præsumptio núm. 17, in tit. Victoria, Utilitas núm. 1.

BENEFICIA, SEU BENEFICIUM.

1. Beneficium est benevola actio tribuens captansque gaudium, tribuendo id quod agit. *Aug. de diff.*

2. Ante Dei oculos numquam est vacua manus à munere, si arca cordis plena est bona voluntate. *Aug. ho. super Joan. et Greg. in hom.*

3. Dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat. *Idem de serm. Dom.*

4. * Nemo invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit. *Idem lib. 1. Conf. c. 11.*

5. Nescit virtus mensuram gratiæ: nec contenta referre quod acceperit, sed vult cumulare, quod sumpsit: nec inferior fit beneficio, licet æquetur officio. *Ambr. super Luc.*

6. In beneficio conferendo plus animus, quàm sensus operatur, magis præponderat benevolentia, quam possibilitas reddendi muneris. *Ambro. de offic.*

7. Gratiam principis voluntas nuda non asserit. Nec beneficium dici potest, quod nulla utilitate sentitur. *Cass. lib. 2. epist. 28.*

8. Pietate plenum est, peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, et non tantum compatriotas ad substantiæ lucra admittere, quantum ipsos quoque advenas invitare. *Cass. lib. 5. epist. 9.*

9. Imperiti et omnino inutiles elegantioribus beneficiis et officiis ampliantur, divitiæ accumulantur divitibus, nec est qui respiciat pauperem, et mendicum. Elisæus vasa vacua implebat, et deficientibus oleum dedit. Hodie verò contemnuntur vasa vacua, et plena superimplentur: ligna in sylvas et aquæ in maria deferuntur: Arenti terræ aqua subtrahitur, et flumina, quæ non indigent, irrigantur. *Pet. Ra. in quodam serm.*

10. * Beneficia Dei omnibus horis consideranda sunt. *Chrys. in G. hom. 9.*

11. * Beneficiorum Dei memoria, sufficiens est ad virtutum laborem. *Ibid. hom. 27.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

12. * Officiorum assiduitate hostes conciliandi sunt. *Ibid. hom. 56.*

13. * Benefacere homini, est beneficium magnum apud Deum deponere. *Ibid. hom. 27.*

14. * Benefacta non sunt revelanda nisi cogat necessitas. *Ibid. de La. Mon.*

15. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum, panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, etsi acerbum. *Senec. de Beneffic.*

16. Sunt enim quidam minus grati, qui aliquid incommodi præstare solent his, quibus obligati sunt, ut probent affectum beneficii memorem. Horum animus similis est pravo amore flagrantibus. Illi enim amicæ suæ optant exilium, ut fugientem comitentur optant inopiam, ut magis desideranti donent: optant morbum, ut assideant: et quicquid optaret inimicus, amantes vovent. Fere idem exitus est odii, et amoris insani. Sed nequitia est, ut extrahas, mergere: evertere, ut suscites: includere, ut emittas. Non enim beneficium injuriæ finis, nec unquam id detraxisse meritum est, quod ipse qui detraxit, intulerat. *Senec. ibidem.*

17. Multum interest utrum quis beneficium nobis det sua causa, an sua et nostra: ille, qui totus ad se spectat, et nobis prodest, qui alter sibi prodesse non potest, eo mihi loco habendus videtur, quo quis pecori suo pabulum prospicit, si me in consortium admisit. Si duos cogitavit, ingratus sum et injustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse quod proderat mihi. Summæ malignitatis est non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo beneficio afficit. *Sen. lib. 6. de beneffic.*

18. Si indigentiam ei optares, cujus nullum beneficium haberes, inhumanum erat votum, quam inhumanius ei optas, cui beneficium debes? *Ibidem.*

19. Sapientis est bene debere, beneficia bene solvere. Interdum autem solutio est ipsa confessio. *Sen. 83 epist.*

20. Post malam segetem serenum est: sæpe quicquid perierat infelicis soli sterilitate, unius anni restituit ubertas. Nemo habet tam certam in beneficiis manum, ut non sæpe fallatur. *Ibidem.*

21. Post naufragium maria temperantur: nam cujus rei eventus incertus est, is ut aliquando procedat sæpe tentandus est. *Ibidem.*

22. Sæpè enim hoc non potuere divitiæ in dominum infusæ, quod opportunè dati mille denarii. Multum enim interest an donaveris, an succurreris, an servaverit illum tua liberalitas, an instruxerit. Sæpe quod datur exiguum est, quod sequitur ex eo, magnum est. *Senec. epist. 83.*

23. Errat siquis beneficium accipit libentius, quàm reddit. Hilarior esse debet, qui solvit, quàm qui mutuat: et lætior esse debet, qui ære alieno accepti beneficii exoneratur, quàm qui obligatur. *Ibidem.*

24. Si reddere beneficium non aliter quàm per speciem injuriæ potero, æquissimo animo ad honestum consilium per mediam infamiam tendam. *Senec. ibidem.*

25. Non potest dari beneficium sapienti, cui quicquid datur, de suo datur. Quædam amicis dantur, quædam ignotis, et plus est, quamvis idem datur. Si enim datur, quod á beneficio tuo nosse incipis, ille tribuit auxilia, iste ornamenta. *Senec. 5. de Beneficiis.*

26. Beneficium est, quod alienus dat: alienus enim est, qui potuit sine reprehensione cessare: ideó beneficium est, quod quis dedit, cum illi liceret etiam non dare. *Ibidem.*

27. Pœna est, quod non audet ab ullo beneficium accipere, quod non audet ulli dare. *Ibidem.*

28. In beneficio tempus, locum, personam quisque observet: quia monumentis quædam grata et ingrata sunt. Quanto enim acceptius est, si id damus, quod quis non habet, quam cujus copia abundat? et quod diu quærit, quam quod ubique visurus est? Illa quoque non erunt sine honore, quæ aut illi nemo alter dedit, aut nulli alii. *Ibidem.*

29. Mihi cæteris plus dedit, quamvis idem aliis dedisset, quia sine spe recipiendi dedit. *Ibidem.*

30. Hæc enim beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti numquam. Qui dedit beneficium taceat: narret qui accepit. *Sen. 2. de Beneficiis.*

31. Tacite danda sunt beneficia, ut nota sint solis quibus prosunt: interdum etiam ipse, qui juvatur, fallendus est, ut habeat, nec á quo acceperit, sciat. *Ibid.*

32. Sunt quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est. Æstimabimus utique utilitatem potius, quam voluntatem petentium: nam exhortari in perniciem roganlium sæva bonitas est, quemadmodum pulcherrimum opus est etiam invitos nolentesque servare, ita roganlibus pestifera largiri blandum et affabile odium est. Pecuniam non dabo, quam numerari adulteræ sciam, ne in societate turpis facti aut consilii inveniat: imò si potero, revocabo, ne posit quandoque dicere, ille amando me occidit. *Ibidem.*

33. Differunt promissa, ne minor sit turba rogantium, qualis regiæ potentiæ ministri sunt: quos delectat potentiæ suæ longum spectaculum: minusque se inducant posse nisi diu multumque singulis quid possint, ostenderint, nil confestim, nil semel faciunt, ut injuriæ illorum præcipites lenta beneficia sint. *Sen. ibidem.*

34. Nullum tam immansuetum animal, quod non cura miliget et in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impunè tractantur. Elephantorum feritatem in servile officium tenet cibus. *Senec. 5. de Benefi.*

35. Multum interest inter materiam beneficii, et beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quicquam eorum, quæ à proximis recipiuntur beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. Imperiti autem, quod traditur, solum vocant beneficium. Imperatoris enim corona, et vestis, et currus nihil horum honor est, sed honoris insigne. Sic nec est beneficium, quod sub oculos venit, sed vestigium beneficii. *Ibidem.*

36. Plerique sunt, qui beneficia asperitate verborum, et supercilio in odium adducunt, eo sermone usi, ea superbia, ut impetrasse pœniteat. *Ibidem.*

37. Tempore beneficia magna sunt, beneficium est unus in fame panis: beneficium est arentibus siti monstrare fontem: eo animo quicquid debetur, quo datur, nec quantum sit, sed á quali voluntate, perpenditur. Majus enim aut minus fit, quamvis idem sit, tempore, loco, causa. *Ibidem.*

38. Beneficium illius commodum expectat, cui præstatur, non nostrum; alioquin nobis illud damus: itaque multa, quæ summam humanitatem afferunt, pretio gratiam perdunt. Mercator urbibus prodest, medicus ægrotis magno venalibus: omnes isti, qui ad alienum commodum pro suo veniunt, non obligant eos, quibus prosunt. *Senec. 4. de Benefic.*

39. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit: quod quis ægrè dimittere visus est, et sic dare, tanquam sibi eriperetur. Gratissima autem sunt beneficia parata, facilia, occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. *Senec. ibid.*

40. Optimum est occupare antequam rogemur: quia cum homini probo ad rogandum os concurrat, et diffundat rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. *Senec. ibid.*

41. Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit. Nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est. Molestum enim verbum et onerosum est demisso vultu dicere, rogo. *Ibidem.*

42. Laceral animum et premit frequens beneficiorum commemoratio. Demus beneficia, non fœneremur. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit, quum daret. *Seneca.*

43. Nullum est tam magnum beneficium, quod non vilificare malignitas possit: nullum tam angustum, quod non bonus interpres extendat. *Seneca.*

44. Nihil carius æstimamus, quam beneficium, quod diu petimus: nihil vilius, quam quum accepimus. Unum bene positum beneficium, multorum amissorum damna restaurat. *Ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

45. Quamvis omni petenti dare debeas, tamen in beneficio spectandi sunt mores ejus, cui datur, et animus erga nos, et cohabitatio, et vitæ societas, et ad nostras utilitates officia ante collata. *Ibidem.*

46. Cave ne beneficium majus sit facultate: sequentur enim talem largitionem rapinæ, ut ad largiendum suppetant copiæ. Quum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur, et majora odia sequuntur eorum, quibus ademerunt, quam favores eorum, quibus dederunt. *Ibidem.*

47. Elige eum, qui gratis beneficium accipiat, non qui redditurus sit: non beneficium, sed fœnus est, circumspicere non ubi optimè ponas, sed quæstuosissime habeas, unde facillime tollas. *Ibidem.*

48. Pulchrum sane prædicandum beneficium nulla dilatione suspensum, nullis precibus redemptum, nullis meritis comparatum: gratius est enim donum, quod venit ante preces. *Senec. de Benefic.*

49. Beneficium qui dare nescit, injuste petit. Beneficium accipere, est libertatem vendere. Beneficia plura recipit, qui scit reddere. Beneficium dando accipit, qui digno dedit. Beneficium dignis ubi das, omnes obligas. Beneficium, qui se dedisse dicit, petit. Beneficium sæpe dare, docere est reddere. Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. Nihil prodest benefacere didicisse, si cessas benefacere. *Senec. in prov.*

50. Simonides cum interrogaretur quid inter homines facile consenesceret, respondit: beneficium. *Ibid.*

51. Socrates: Plus gaude datis beneficiis, quam acceptis: illa enim gloriæ, hæc necessitati videntur esse subjecta. *Senec.*

52. Zeno cuidam solito apud se cantare petenti mutuam pecuniam, si dedero, inquit, et te et pecuniam perdo.

Vide etiam in tit. Gratitudo, Inimicitia núm. 1, in tit. Ingratitudo, Liberalitas núm. 21, 22, 26, 27, 28, 29, 30, 39 et 40. in tit. Promissio núm. 2, 4, 5. in tit. Superbia núm. 30.

BLASPHEMIA.

1. Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris. *Aug. super illud Matth. Blasphe.*

2. Mos erat Judæis, quum aliquid blasphemiæ audiebant, scindere vestes, sicut Paulus et Barnabas cum cultu divino honorarentur, sciderunt vestes suas. *Rab. ib. super Matth.*

3. Blasphemia est, cum quadam probrosa irreligiositate convitiorum jacula in alterum maledictio. *Hugo. de S. Vict.*

Vide etiam in tit. Clericus num. 1 in tit. Detractio núm. 5 in tit. Voluntas núm. 28.

BONUM, BONITAS.

1. Virtutes, quibus vivitur recte, magna bona sunt. Species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè vivi potest, media bona sunt. *Aug. de lib. arbit.*

2. Neque accepta Deo sunt bona, quæ ante oculos ejus malorum admistione maculantur. *Greg. in moral.*

3. Vir bonus citò nec fieri nec intelligi potest, nam ille alter fortasse tanquam Phœnix anno quingentesimo nascitur. Nec est mirum, ex intervallo magna generat: mediocria, et in turbam nascentia sæpe fortuna producit. Sed qui sciret, quid esset vir bonus, nondum se esse crederet, fortasse etiam fieri posse desperaret. *Senec. 42. epist.*

4. Aut ista bona non sunt, quæ vocantur: aut homo felicior Deo est. Quæ enim nobis bona videntur, non habet in usu Deus. Nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes. Incredibile autem est, bona Deo deesse: hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ Deo desunt. Adde quod multa, quæ bona videntur, animalibus, quam homini, pleniora contingunt. Illa cibo avidius utuntur: Venere non æquæ fatigantur. Virium illi major est firmitas: sequitur ut

multo feliciora sint homine. Nam sine nequitia, sine fraudibus degunt: fruuntur voluptatibus sine ullo pudoris, aut pœnitentiæ metu. Fallimur. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat: solida ac sempiterna, quæ cadere non possunt nec decrescere: cætera opinione bona sunt, hoc vero habent commune cum veris: proprietas vero boni in illis non est. *Ibid. 85. epist.*

5. Non nascitur ex bono malum, non magis quam ex ficu olea, ad semen nata respondent: bona denegare non potest. *Senec. epist. 50.*

6. Bonarum rerum etsi successus non fuerit, conatus ipse honestus est: bona nemini est hora, si non alicui sit mala. *Senec. in prov.*

7. Non est bonitas, pessimis esse meliorem. *Seneca 22. epist.*

8. * Bonum Academici antiqui quod secundum naturam esset, quo in vita juvaremur, esse decreverunt: Zeno nisi quod honestum esset, nihil putari bonum. *Cic. 1. de leg.*

9. * Id solum bonum est, quod rectum et honestum et cum virtute est. *Idem Parad. 10.*

10. * Omne bonum lætabile est, quod autem lætabile id prædicandum, et præ se ferendum: quod tale autem, id etiam gloriosum: si verò gloriosum, certè laudabile: quod autem laudabile, profecto etiam honestum: quod bonum igitur, id honestum. *Idem Tus. lib.*

Vide etiam in lit. Amissio, núm. 1, in lit. Contritio, núm. 14, in lit. Homo núm. 28, 29, 30 et 32, in lit. Opus núm. 3, in lit. Patientia núm. 23.

CHARITAS.

1. In charitate pauper est dives, sine charitate omnis dives est pauper. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat: in duris pasionibus fortis est: in bonis operibus hilaris est, in temporalibus ditissima: in hospitalitate latissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos patientissima: In Abel

per sacrificium læta: in Noë per diluvium secura: in Abrahæ peregrinatione fidelissima: in Moyse inter injurias levissima: in David tribulationibus mitissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter spectat: in Machabæis sævos ignes fortiter toleral: casta in Susanna supra virum, in Anna post virum: in Maria præter virum: libera in Paulo ad arguendum: humilis in Petro ad obediendum: humana in Christianis ad confitendum: divina in Christo ad ignoscendum: quid dicam de charitate? Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ipsa enim est anima literarum, prophetiæ virtus, sacramentorum salus, scientiæ stabilimentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. *August. de laude charitatis.*

2. Radix omnium bonorum est charitas, et radix omnium malorum est cupiditas: et simul ambæ esse non possunt, quia nisi una radicitus evulsa non fuerit, alia plantari non potest. Sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit evellere. *Aug. hom. 7. super Joan. et de pæ. dis. 2.*

3. Habere omnia sacramenta, et malus esse potest: habere autem charitatem, et malus esse non potest. *Aug. de laude charitatis.*

4. Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major charitas meliorque voluntas auget meritum. Nam quod patet, et quod latet in divinis codicibus tenet, qui charitatem servat in moribus. *Aug. ibid.*

5. Sola charitas est, quæ vincit omnia et sine qua nihil valent omnia, et quæ ubicumque fuerit, trahit ad se omnia. Scientia si sola sit, inflat, quia verò charitas ædificat, scientiam non permittit inflari. *Aug. de doctrin. Christiana.*

6. Charitas est actio rectitudinis oculos semper habens ad Deum, glutinum animarum, societas fidelium, ocio non frigida, actio non fracta, non fugax, non audax, non præceps. *August.*

7. Si non vultis in ista eremo siti mori, bibite

charitatem: fons est, quem voluit Deus ponere, ne deficiamus, et abundantius eum bibamus, quum ad patriam venerimus. *Aug. super epist. Joan. c. 9.*

8. Pascit esurientes charitas, pascit et superbia: charitas, ut Deus laudetur: superbia, ut ipsa laudetur. Vestit nudos charitas, vestit et superbia: jejunat charitas, jejunat et superbia. *Aug. ibid. c. 9.*

9. Charitas alios parturit, quum aliquis infirmatur: alios curat ædificare: alios contremiscit offendere: ad alios se inclinat: cum aliis erigit: aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater. *Aug. de catechizandis rudibus.*

10. * Semper habet unde det, cui plenum est pectus charitatis. *Idem in Psal. 36.*

11. * Vide quantum bonum est charitas: si ita martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias venerari: et si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, et substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium, quàm pœna debetur, et perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ. *Hier. super epist. ad Gala. et est l. 4. 1. vide id.*

12. * Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos intercessores: et impossibile est multorum preces non exaudiri. *Idem.*

13. Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, quum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, et quæ benigne descendit ad infima, valenter incurrit ad summa. *Greg. in pastoral.*

14. Charitatis et pietatis miracula amate: quæ tanto securiora sunt, quantò et occultiora, de quibus apud Deum eo major fit retributio, quò apud homines minor est gloria. *Ibidem.*

15. Charitas, quæ divisa venire consuevit, cor justi dividi per multa compellit: quod tamen tanto arctius in Deo colligit, quantó latius per sancta desideria spargit. *Ibidem.*

16. Charitas ad cuncta virtutum facta, dilatatur,

quæ à duobus præceptis incipit, sed se ad innumera extendit. Hujus charitatis initium est dilectio Dei et proximi: quia per amorem Dei amor proximi gignitur et per amorem proximi, amor Dei nutritur: nam qui Deum amare negligit, profecto proximum diligere nescit. *Greg. lib. 10. moral.*

18. Fortis est, ut mors dilectio: quia sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum temporalium æternæ vitæ charitas occidit: nam quem perfectè absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit: neque sanctus quisquam mori pro Domino potuisset in corpore, si prius à terrenis desideriis mortuus non fuisset in mente. *Greg. hom. 11.*

19. Ut multi arboris rami ex una radice prodeunt: sic multæ virtutes ex una charitate generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. *Greg. in hom.*

20. Charitatis cùm sit proprium nutrire concordiam, servare composita, conjungere dissociata, dirigere prava et virtutes cæteras perfectionis suæ munimine solidare, quisquis in ejus radice se inserit, nec à veritate deficit, nec à fructu inanescit. *Greg. in homil.*

21. O bona mater charitas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos, quum te arguit, mitis est, quum blanditur, simplex est, piè solet sævire, sine dolore mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari. Charitas hominum mater est, et angelorum: non solum, quæ in terris, sed etiam, quæ in cœlo sunt, pacificavit, ipsa est, quæ Deum homini placavit, et hominem Deo reconciliavit. *Bern. in ep. 2.*

22. Cibus indigestus corpus corrumpit: inflatum et hydropicum reddit: si digestus fuerit, nutrit: sic scientia stomacho animæ indigesta, si non fuerit igne charitatis decocta, malos humores generat. Numquid non mali mores, mali humores sunt. *Bern. super illud Scientia inflat, charitas ædificat.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

23. Mens quam semel effecerit charitas, sui juris esse non sinit, metuit quod nescit, dolet quod non oportet. Solicitatur plusquam voluerit: compatitur nolens, miseretur in vita. *Bern. in epist.*

24. Obstinatio non permittit nos alterius cor ingredi: nec suspicio patitur credere nos ab aliis amari: huic duplici morbo duplex charitas medetur, illa scilicet, quæ non sua quærit: et iterum illa, quæ omnia credit. *Bern. in quodam serm.*

25. Charitas est mors criminum, virtus pugnantium, palma vitiorum, concordia mentium, societas electorum, quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium bonorum servit. *Cass. sup. Psalm.*

26. Charitas Dei quædam venalis est pluvia virtutum, sub qua et beata voluntas germinat, et operatio sancta fructificat, patiens hæc in adversis, temperata in prosperis, humilitate polens, afflictione lætissima, inimicis benevola, bonis suis superans malos. *Cass. super Psalm. Usquequo.*

27. Charitas robur est fidei: fides fortitudo est charitatis, et tunc verum nomen est, ac veros est fructus ambarum, quum insolubilis manet utriusque connexio. Ubi enim non simul fuerint, simul desunt, quia invicem sibi et juvamen, et lumen sunt, donec desiderium credulitatis impleat, remuneratio visionis, et incommutabiliter videatur et ametur, quod nunc et sine fide non diligitur, et sine dilectione non creditur. *Leo. de jejunio in serm.*

28. Nescio quid majus in laude tua dicere possum, quam ut Deum de cœlo traheres, et hominem de terra ad cœlum elevares, magna virtus tua, ut per te usque ad hoc humiliaretur Deus, et usque ad hoc exaltaretur homo. *Hugo de laude charitatis.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 38, in tit. Dilectio, Virtus, núm. 15.

CARO, SIVE CORPUS.

1. Carnis afflictio est, per quam lasciviæ mentis

seminaria castigatione discreta comprimuntur. *Augu. de diffinitionibus.*

2. Spiritus deficit, ubi caro requiescit. Ut enim caro mollibus, ic anima duris nutritur. Illam blanda refovent, hanc aspera exercent. *Aug. super Joan.*

3. * Vis ut serviat caro tua animæ tuæ: Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere. *Aug. in Joan.*

4. * Caro mala non est, si malo careat. *Idem de com. c. 8.*

5. Quocumque pergimus, nobiscum inimicum portamus. Vinum et adolescentia, duplex incendium voluptatis. *Hier. in epist.*

6. Corporis debilitas nimia, etiam vires animæ frangit: mentis quoque ingenium marcescere facit: quicquid cum modo et temperate fit, salutare est, optimus in omni re modus: laudabilis ubique mensura. *Ibidem.*

7. Dum carnalis vita corrigitur, et usque ad abstinentiæ, atque orationis studium à perficientibus pervenitur, quasi jam in altari caro incenditur: ut inde in omnipotentis Dei sacrificium redoleat unde prius culpa displicebat. *Greg. in moral.*

8. Nos gestamus laqueum nostrum nobiscum: circumferimus inimicum, carnem nostram loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origine: sed multo amplius prava consuetudine vitiatam. Hinc est, quod tam acriter adversus spiritum concupiscit, quod asidue murmurat: et impatiens est disciplinæ, quod illicite suggerit, quod nec rationi obtemperat, nec ullo timore inhibetur. *Ibidem.*

9. Quia iniquus carnem suam Deo præposuit, judicante Deo agitur, ut ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, et quum ab ea abstrahitur, illic eam relinquere appetit, et tamen in ea propter supplicia reservatur. *Greg. in moral.*

10. Sic conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, et anima possideat corpus. Jus verò animæ á

corporis possessione repellitur, si non prius anima à ratione possidetur. *Greg. lib. 1. moral.*

11. Hi frequenter majores tribulationes ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur. *Greg. lib. 12 moral.*

12. Magna cura pensare debemus, utrum noster spiritus impetu carnis ducatur, transitoria æternis præponere: ista mundana, ad voluptatem, non ad necessitatem quærere. *Greg. ibid.*

13. In hoc mundo cum nostris tentationibus nascimur, et caro nobis aliquando adjutrix est in bono opere, aliquando autem seductrix in malo. Si igitur ei plus, quam debemus tribuimus, hostem nutrimus: et si necessitati ejus, quæ debemus, non reddimus, civem necamus. Satianda est itaque caro, sed ad hoc usque ut in bono opere nobis sufficiat. Nam quisquis ei tantum tribuit, ut superbiat, satiari penitus ignorat. Ars itaque magna est satiari, ne unusquisque per satietatem carnis, ad iniquitatem prorumpat turpitudinis. *Greg. hom. 3. secunda par. Ezech.*

14. Iram, metum, cupiditatem et gaudium, velut quendam animi currum auriga regit, et in captivitatem redigit omnem carnalem affectum et carnis sensum nutu rationis, in obsequium virtutis. *Bern. super Cant.*

15. Cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas et adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulcro, et animam tuam bonis operibus non adornas, quæ Deo et angelis ejus præsentanda est in judicio? Cur ergo animam tuam vilipendis, et ei carnem proponis? dominam ancillari, et ancillam dominari, magna abusio est. *Bern. in serm. et Hugo de clau. ani.*

16. Primum impedimentum nostrum, et occupatio gravis ipsa est necessitas miseri hujus corporis: quod dum modo somnum, modo cibum, modo vestem, cæteraque similia quærit, haud dubium, quin frequenter impediat nos ab exercitio spirituali. *Bern. in serm. 55.*

17. * Hostem crudelissimum circumferre cogimur: quem sustentare licet, non perimere. *Idem in Evang. sept. pan.*

18. * Nobilem hospitem habet corpus, quem honorare debet. *Idem de adv. Do. hom. 1.*

19. Corpori molli reddito et delicato, necesse est animam participari ex corporis morbo. *Chrys. hom. 25. super epist. ad Heb.*

20. De stercore et paupertate erigitur, quisquis de labe corporis per Dei gratiam sublevatur. In stercore involvitur, cui carnis vitia dominantur. *Cass. super Psal. Suscitans à terra.*

21. Nunquam affectus noster ad desiderium æternorum accenditur, nec intellectus ad cœlestium contemplationem perfecte acuitur, nisi cura carnis etiam in licitis et necessariis frequenter et fortiter repellatur. *Richar. in lib. de contemplatione.*

22. Nihil aliud est caro cum qua tanta est societas, nisi spuma caro facta, fragili decore vestita: sed erit quandoque cadaver miserum et putridum et cibus vermium. Si diligenter consideres quid per os et nares et cæteros corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium nunquam vidisti. Si singulas ejus miserias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, et in omne vitium proclivis, plenam confusione et ignominia invenies. *Hug. de Claustro animæ lib. 1 c. 1.*

23. Attende homo, quid fuisti ante ortum, et quid es ab ortu usque ad occasum, atque quid eris post hanc vitam. Profectò fuit, quando non eras: postea de vili materia factus, et in vilissimo panno involutus menstruali sanguine in utero materno fuisti nutritus. Tunica tua fuit pellis secundina: sic indutus et ornatus venisti: nec memor es quam vilis sit origo tua. Forma, favor populi, fervor juvenilis, opesque, surripuere tibi noscere, quid sit homo. Nihil enim aliud est homo, quam sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium, post hominem vermis, post

vermes fœtor et horror. Sic in non hominem vertitur, omnis homo. Cum fex, cum limus, cum res vilissima simus. Unde superbimus? ad terram terra redimus. *Ibidem.*

24. Quodammodo exire de carne est in corpore commorantem, et ultra naturam est in fragili carne aculeos non sentire. *Joan. Cassianus de institutis monach. lib. 6.*

25. Fateor nos gerere corporis nostri tutelam. Non indulgendum illi, serviendum nego. Multis serviet qui corpori servit: qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert: honestum ei vile est, cui corpus suum nimis charum est, hujus nimius amor nos timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, et contumeliis objicit. Agatur ejus diligentissima cura: ita tamen ut quum exigit ratio, quum dignitas, quum fides, mittendum in ignem sit. Sic nos gerere debemus, ut non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam non possumus sine corpore, corpori tantum indulgeamus, quantum bonæ valetudini satis est. *Sen. 15. epist.*

26. Majore corporis sarcina animus elidilur, et minus agilis est. Circumscribe corpus tuum, et animo locum laxa: multa sequuntur incommoda deditos huic curæ: bibere et sudare, vita cardiaci est. *Ibid.*

27. Major sum, et ad majora genitus, quam ut mancipium sim corporis mei. Contemptus corporis sui, certa libertas est. *Senec. 66. epist.*

28. Sapiens itaque multum cum meliore ac divina sua parte versatur; cum hac querula ac fragili, quantum necesse est. *Ibid. 75.*

29. Multa nos incommoda exagitant, quàm malè conveniat nobis hoc corpus: nunc de capite, nunc de ventre, nunc de pectore aut de faucibus conquerimur: aliquando nervi nos, aliquando pedes vexant: nunc detractio, nunc distillatio: aliquando superest sanguis, aliquando deest: hinc atque illinc tentamur: hoc evenire solet in alieno habitantibus: hoc enim corpus non domus sed hospitium, et quidem breve hospicium, quod relinquendum, ubi te gravem esse hospiti videas. *Sen.*

30. * Corpus hoc animi pœna ac pondus est: premendo illo urgetur, in vinculis est. *Idem epist. 66.*

31. * Vis adversus hoc corpus liber esse, propone tibi quandoque hoc contubernio carendum, et fortior eris ad necessitatem exeundi. *Ibid. epist. 71.*

32. Jam qui bona corporis præ se ferunt, quam exigua, quam fragili possesione utuntur? Formæ vero nitor, ut rapidus est, et velox, et vernalium florum mutabilitate fugacior! quod ut ait Aristoteles: Si linceis oculis homines uterentur, ut eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum, corpus turpissimum videretur? ideo te pulchrum videri non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. *Boët. 3. de consolatione.*

Vide etiam in tit. Abstinentia núm. 13. in tit. Acceptio núm. 6. in tit. Anima núm. 34, 35. in tit. Concupiscentia núm. 5, 7. in tit. Consideratio núm. 6. in tit. Cor núm. 9. in tit. Deliciæ núm. 5. in tit. Ingenium núm. 5. in tit. Regimen núm. 4, 22. in tit. Servitium núm. 1. in tit. Spiritus Sanctus núm. 15. in tit. Subjectio núm. 4.

CASTITAS, SIVE CONTINENTIA.

1. Castitas, est virtus sub jugo rationis impetum libidinis refrænans. *Aug. de difinitio.*

2. Castitas est per edomitas viliorum furias munda, et honesta totius corporis habitudo. *Idem.*

3. Proposito animi permanente, per quod et corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ sanctæ. *Aug. in lib. de bono conjugali.*

4. In conjugali vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur. Sed in virginali ac viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur: qua expetita et electa, et voti debito obligata, jam non solum nuptias capessere, sed etiam si non nubant,

nubere velle damnabile est. *Aug. de continentia viduali.*

5. Sicut bonum erat quod Martha faciebat occupata circa ministerium sanctorum, sed melius quod Maria, audiens verbum Dei: ita etiam bonum Susannæ in castitate conjugali laudamus: sed bonum viduæ Annæ et magis Mariæ virginis anteponimus. *Aug. de bono conjugali.*

6. Pudicitia res est animæ, virginitas corporis: denique illa integra in anima permanere potest, ista de corpore sibi violenter auferri: et quum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciva voluntate corrumpi. *Aug. contra Jul. lib. 4.*

7. Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. *Aug. de commun. vita cler.*

8. Audeo dicere superbis continentibus, expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest, cui est continentia, si dominetur superbia? *Aug. serm. 57. super Matth.*

9. Inter omnia certamina Christianorum duriora sunt prælia castitatis: nam ibi continua pugna, et rarior victoria. Rara enim concordia formæ atque pudicitiæ. Rara avis in terris nigroque simillima cygno. *Aug. in serm.*

10. Ubi necessitas imponitur castitati, auctoritas datur libidini, itaque nec casta est, quæ metu cogitur, nec honesta quæ mercede conducitur. *August. de vir.*

11. * Pudicitia, virtus animæ est, et comitem habet fortitudinem. *Aug. lib. 1. de civit. Dei.*

12. * Pudicitia, vi nec in carne, nec in animo violari potest. *Idem epist. 22.*

13. Quacumque virtute polleas, quibuscumque operibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahes. *Hier. in epist.*

14. Quum de ipsa continentia mens elatione tangitur, plerumque omnipotens Deus, superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Nulla enim est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis. *Greg. in moral.*

15. * Qui de castimonia carnis superbiunt, in immunditiam carnis cadere permittuntur. *Ibidem.*

16. Differunt quidem inter se homo pudicus et Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Castitas sine charitate lampas est sine oleo: subtrahe oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, castitas non placet. *Bern. in epist.*

17. Utinam qui continere non valent, cœlibatui cederent, ne uterentur: esset proculdubio melius nubere, quam uri, et salvari in humili gradu, quam in sublimitate cleri deterius vivere. *Bern. ibid.*

18. Quidam in juventute luxuriose viventes, in senectute continentes fieri delectantur, et tunc eligunt servire castitati, quando libido eos servos habere contempsit. Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in juventute luxuriose vixerunt: tales non habent premium, quia laboris certamen non habuerunt. Eos enim expectat gloria in quibus fuerunt gloriosa certamina. *Isid. lib. 2. de sum. bo. c. 31.*

19. Sex sunt quæ incorruptam conservant castitatem: scilicet sobrietas, operatio, asperitas cultus, inhibitio sensuum, raritas sermonis cum honestate, evitatio oportunitatis, et personæ, et loci, et temporis. *Cass. super Matth.*

20. Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica. *Cypr. de 15. abustionibus.*

21. Expertis vitiorum illecebris, difficilius quam incognitis caremus: et minoris laboris est incognitam carnis cavere voluptatem, quam rejicere jam cognitam. *Beda super Esdr. lib. 4.*

22. Majus miraculum est de carne propria fomi-

tem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis. *In collationibus patrum collatione Nestoratis.*

23. Major est virtus ac sublimior gratia internam libidinem carnis extinguere, quam nequitias dæmonum extrinsecus irruentes signo Domini, ac virtutis altissimæ potentia subjugare. *Ibidem.*

24. Pudicitia est virtus non solum impetum libidinis coërcens, sed et signa cohibens. *Tullius.*

25. Hac mediocritatis linea continentiam observabis, ut nec voluptati deditus prodigus et luxuriosus appareas, nec avara tenacitate sordidus aut obscurus existas. *Sen. de 4. virtutibus.*

CHRISTIANUS.

1. Ille verè Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omnino movetur injuria, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit: cujus mensam nullus pauper ignorat: qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo et angelis glorietur, qui terrena contemnit, ut possit habere cœlestia: qui opprimi pauperem se presente non patitur: qui miseris subvenit: qui ad fletum fletibus provocatur alienis: quod bene faciebat Paulus: Quis infirmatur, et ego non infirmor? *Aug. de vita Christ.*

2. Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur. Quid enim tibi prodest vocari, quod non es, et nomen usurpare alienum? sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt, gere, et merito tibi nomen Christiani assume. *Aug. ibidem.*

3. Ipse est Christianus, qui et in domo sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus. *Aug. super Psalm. 32.*

4. Nec captivitas Christianis nocet: quoniam illic Deum suum inveniunt. *Idem lib. 1. de civit. Dei.*

5. Non quæritur in Christianis initium sed finis. *Greg. lib. 28. Moral.*

6. O Christiane delicatus es miles, si putas sine pugna te posse vincere: sine certamine triumphare: fortiter dimica, atrociter in prælio concerta, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum, quod spopondisti, conditionem, ad quam accessisti, militiam cui nomen dedisti, hoc enim pacto quos miraris, omnes pugnaverunt, hac conditione universi vicerunt, hac militia triumpharunt. *Chrysost. in hom.*

7. Christianus nemo dicitur rectè, nisi, qui Christo moribus, prout valet, coæquatur. *Cyp. de 12. abutionibus.*

8. Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, est crux atque martyrium. *Max. in serm. de natali Domini.*

Vide etiam in tit. Fides, et in tit. Veritas.

CHRISTUS.

1. Esurivit Christus, qui omnes pascit: sitivit, per quem creatur omnis potus, et qui spiritualiter panis est esurientium, fonsque sitientium: ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in cœlum: obmutuit et obsurduit coram convitiantibus, per quem mutus loquitus est, et surdus audivit. Vinctus est, qui de infirmitatum vinculis nos solvit: flagellatus est, qui omnium flagella dolorum de hominum corporibus expulit. Crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit. Mortuus est, qui mortuos suscitavit, sed et resurrexit nunquam moriturus, ne ab ipso quisquam sic discederet, mortem contemneret, quasi nunquam futurus. *Aug. de Catechizandis rudibus.*

2. Jacebat Christus, quantum ad carnem, mortuus in sepulchro, mortuos suscitans in inferno, vitam tribuens universis in cœlo, non mundum dimittens ad cœlum ascendit, nec cœlum deserens venit ad nos sed uno atque eodem tempore totum totus implevit. *Aug. super Matth. 5. et con. Felician.*

3. Ego sum via, veritas et vita, tanquam diceret

quà vis ire? ego sum via: quò vis ire? ego sum veritas: ubi vis permanere? ego sum vita. *Aug. super Matth. c. 55.*

4. Ideò permittitur inimicus juxta viam ponere laqueos, ne securitate exultationis via deseratur, et in insidias incidatur. Via Christus humilis, Christus veritas et vita. Christus excelsus et Deus, si ambules in humili, pervenies ad excelsum. *Aug. ibid.*

5. Ambulare vis? ego sum via: falli non vis? ego sum veritas: mori non vis? ego sum vita. *August. super Joan.*

6. Tota vita Christi in terris per hominem quem gessit disciplina morum fuit. Omnia enim bona mundi Christus contempsit, quæ contemnenda docuit: et omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit: ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis infelicitas timeretur. *Aug. de vera religione.*

7. Attulit Christus veritatem ut rector, mansuetudinem ut liberator, justitiam ut cognitor. *Aug. super Joan.*

8. Erat Christus uno atque eodem tempore totus in inferno, totus in cœlo, illic patiens injuriam carnis hic non relinquens gloriam deitatis, erat apud inferos resurrectio mortuorum, erat apud cœlos vita viventium. *Aug. contra Felic.*

9. * Aut cum Christo, aut cum diabolo nos esse oportet, nec est locus medii. *Aug. de Grat. Chr. cont. Pelag.*

10. Christus omnibus omnia factus est, pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, esurientibus esuriens, sitiens sitientibus, profluus abundantibus: in carcere cum paupere est, cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit, in deserto esurit, ut cibus primi hominis, quem prævaricatione gustaverat, jejunio Domini solveretur. *Ambr. super Luc. lib. 4.*

11. Nemo tibi Christum potest auferre, nisi te illi auferas. *Idem lib. 5.*

12. Omnia habemus in Christo, et omnia in nobis Christus. Si à vulnere curari desideras medicus est: si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate justitia est: si indiges auxilio virtus est: si mortem times, vita est: si tenebras fugis, lux est: si cœlum desideras, via est: si cibum quæris, alimentum est. *Ambr. in quodam serm.*

13. Hoc intelligendum est, quod tantæ paupertatis fuerit Christus, et ita nulli adulatus sit, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam inveniret mansionem. *Hier. super Matth. lib. 1.*

14. Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit filium Dei seu faciem Dei: Christus redemptio, id est, redemptor et pretium. Christus omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et possit libere clamare: Pars mea Dominus. *Hieron. ad Paul.*

15. Redemptor noster homo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, et ad cœlos ascendendo aquila factus est. *Greg. hom. 4.*

16. Justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis suæ leo, per contemplationem vere efficitur aquila. *Greg. ibid.*

17. Mors Christi à morte, vita ab errore, à peccato gratia liberavit. Et quidem mors per justitiam suam peregit victoriam, quia justus exolvendo quæ non rapuit, vita per sapientiam documentum disciplinæ adimplevit, gratia ex illa potestate peccata remisit, quæ omnia quæcumque voluit, fecit. *Bern. de nova militia.*

18. Non consolatur Christi infantia garrulos: non consolantur Christi lachrymæ cachinantes: non consolantur panni ejus ambulantes in stolis: non consolantur stabulum et præsepe amantes primas cathedras in synagogis. *Bern. in serm.*

19. Aliud sequi Jesum, aliud tenere, aliud manducare. Sequi salubre consilium, tenere et amplecti gaudium solemne, manducare, vita beata. *Bern. in epistola.*

20. Gemina dulcedo suavitatis exuberat in pectore Domini Jesu: longanimitas in expectando, et facilitas in donando. Nomen Jesu, quam charum! quam vile! quam salubre! si vile non esset, mihi non effunderetur: si salubre non esset, me non lucraretur: Jesus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. *Bern. super cant.*

21. Putasne filium Dei reputet Jesum quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? *Bern. in serm.*

22. Nomen Jesu lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit et ungit invocatum, qui ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honestos, castas fovet affectiones. *Bern. sup. cant.*

23. Nihil ita sicut hoc nomen Jesu iræ impetum cohibet: superbiæ tumorem sedat: livoris vulnus sanat: luxuriæ fluxum restringit: libidinis flammam extinguit, sitim avaritiæ temperat, ac totius indecoris pruriginem fugat. *Ibidem.*

24. Dignus plane est morte, qui tibi Christe recusat vivere, et qui tibi non sapit, desipit, et qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Propter teipsum Deus fecisti omnia, et qui esse vult sibi et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. *Ibidem.*

25. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris: dulcescat tibi pro his sapientia Christus ne seducaris spiritu mendacii et erroris, lucescat tibi veritas Christus, ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. *Ibidem.*

26. Quis non post illum libenter atque alacriter currat, qui et ab errore liberat, et errata dissimula? qui deinde merita vivendo tradit, et præmia moriendo conquirit? *Ibidem.*

27. Habemus Christum Jesum ex patre nascentem, in patre cubantem, cum patre sedentem, sub patre pendentem, à patre ambulantem, pro patre stantem, sine patre morientem. *Ibidem.*

28. Sub Christi scapulis quatuor nobis beneficia conferuntur: sub his enim abscondimus: sub his ab incursu accipitrum et milvorum protegimur: sub his umbraculum salubre nos refrigerat, et nimium solis fervorem repellit: sub his quoque alimur et fovemur. *Bern. in quodam serm.*

29. * Prudentia vera in Christi doctrina, justitia in Christi misericordia, temperantia in Christi vita, fortitudo in ejusdem pasione reperiuntur. *Bern. super cant. serm.* 2.

30. * Christus factus est nobis sapientia in prædicatione: justitia in peccatorum absolutione, sanctificatio in conversatione, redemptio in passione. *Ibid. serm.* 22.

31. * Incassum laborat in adquisitione virtutum, qui eas alibi quam in Christo quærit. *Ibidem.*

32. * Christus humanitatem ab Ecclesia subtraxit ut daret locum fidei. *Ibidem ser.* 75.

33. Nomen enim Christi exprimit unitatem personæ in duabus naturis: exprimit etiam dignitatem regiam, et sacerdotalem, et gratiæ plenitudinem propter unctionis prærogativam. *Dam. in Matth. 16. Tu es Christus filius Dei vivi.*

34. Nonem Jesu apud Hebræos á litera Joth: apud Græcos à litera Jota incipit, quæ utraque in sua gente denarii numeri est nota: decem obolos in pretium animæ suæ offerunt, qui in Jesum Christum credentes, signum nominis ejus, quod à denario numero incipit, in fronte et professione proferunt. *Beda. de tab. Salom.*

35. Non quia forma ejus decore lactei coloris eluxit, aut flavo crine lampavit, aut insigni statura præeminuit, sed veraciter humano genere pulchrior fuit, quia peccatum non habuit, quamvis pater Augustinus speciem decoris ejus dicat fuisse laudabilem. *Cass. super illud Psal. Speciosus forma.*

36. Sicut ligat diabolus qui peccato connectit, ita solvit Christus, qui delicta dimittit. *Cass. super illud Psal. Dominus solvit con.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

37. Refugium formidat fortitudo. Quid sibi vult Evangelista? Devoti militis es, regis sui tacere fugam, narrare constantiam, aperire fortia, tacere infirma, et sequi alta. Quod fugit autem Christus, non fuit timoris, sed mysterii. Bellicosus enim si in bello fugit, artis est, non timoris, insequentem non timet, sed producit, ut palam vincat. *Pet. Rav. tractans illud Matth. 2. Fuge in Ægyptum.*

38. Quid jugo Christi suavius? Quid onere levius, probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, amare omnes, odisse malum, æterna consequi præsentibus non capi, nolle inferre alteri, quod sibi perpeti sit molestum. *Hilar. tractans illud Matth. Jugum enim meum suave, etc.*

Vide etiam in tit. Adventus, núm 6. in tit. Amor, núm. 14, 19, 20, 34, 48. in tit. Anima, núm. 10. in tit. Ascensio, núm. 1. in tit. Beatitudo, núm. 5. in tit. Decima, núm. 1. in tit. Fabula, núm. 2. in tit. Humilitas, núm. 3. in tit. Parentes, núm. 13.

CLERICUS.

1. Cum etiam laicos hoc deceat, ne aut extraneas blasphemandi occasiones, aut oportunitatem fornicationis ostendant, maximè tamen hæc necessitas clericos vehementer constringit, quibus religio blasphemata, aut fraternitas perdita duplices pœnas irrogabit. *Aug. de sing. cler.*

2. Clericus mercimonia exercens, intercessiones vendens, viduarum munera amplectens, negotiator magis, quam clericus est. *Aug. in serm. 20. vœpræg.*

3. Contemnitur clericus, qui sæpe invitatur ad prandium, et non recusat: nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Beatius est magis dare, quam accipere. *Hier. ad Nepotia.*

4. Negotiatorem clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge. *Ibidem.*

5. Clericos illos convenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum et propinquorum nulli suffragantur: qui autem bonis parentum et opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium incurrunt. *Hier. in epist. ad Damas. pap. et est 1 et 42.*

6. Clericus qui de bonis suis sustentari potest, si accipit quod pauperum est, sacrilegium profecto committit: atque per abusionem talium judicium sibi manducat et bibit. Si eges et accipis das potius, quam accipis: si autem non eges, et accipis, rapis. *Hier. in alia epist.*

7. Vehementer ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quam clericos. *Hier. super epist. ad Tim.*

8. Miror cujus ordinis sint nostri clerici: nam in congregatione temporalium se habent ut laici: in apparatu nobili, ut milites: in acquisitione redituum ut clerici: sed non laborant ut laici, neque pugnant ut milites, neque evangelizant ut clerici, et quum utriusque ordinis esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt. Unusquisque in ordine suo resurget. Isti ergò cùm Deus sit summè sapiens, veraciter creditur à summo usque deorsum, nihil inordinatum relinquere: vereor, ne alibi ordinandos, quàm ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *Bern. lib. 3. de consid. ad Eugenium.*

9. Cum cuncti status hominum aliquid habeant laboris, et aliquid voluptatis, clerici inter hæc novo quodam artificio discernentes, totum quod delectat, in quolibet elegerunt: et totum quod molestat, respuerunt: á militibus acceperunt superbiæ fastum, amplam familiam, equorum phaleras, et nobiles apparatus: à mulieribus dependentes collo pelles rubricatas, vinum, mollitiem, balneum et gloriam: á rusticis fructus agrorum, horrea plena. Sed bene cavent militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam. Omnes rustici et agricolæ victum sibi labore acquirunt: hi deliciis affluunt, et tamen adveniente fructuum tempore, promptuaria eorum plena tritico, et vinum bibunt uvæ meracissimum, et inde incrassantur, impinguantur, et dilatantur. Quum ergo resurgere cœperint

37. Refugium formidat fortitudo. Quid sibi vult Evangelista? Devoti militis es, regis sui tacere fugam, narrare constantiam, aperire fortia, tacere infirma, et sequi alta. Quod fugit autem Christus, non fuit timoris, sed mysterii. Bellicosus enim si in bello fugit, artis est, non timoris, insequentem non timet, sed producit, ut palam vincat. *Pet. Rav. tractans illud Matth. 2. Fuge in Ægyptum.*

38. Quid jugo Christi suavius? Quid onere levius, probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, amare omnes, odisse malum, æterna consequi præsentibus non capi, nolle inferre alteri, quod sibi perpeti sit molestum. *Hilar. tractans illud Matth. Jugum enim meum suave, etc.*

Vide etiam in tit. Adventus, núm 6. in tit. Amor, núm. 14, 19, 20, 34, 48. in tit. Anima, núm. 10. in tit. Ascensio, núm. 1. in tit. Beatitudo, núm. 5. in tit. Decima, núm. 1. in tit. Fabula, núm. 2. in tit. Humilitas, núm. 3. in tit. Parentes, núm. 13.

CLERICUS.

1. Cum etiam laicos hoc deceat, ne aut extraneas blasphemandi occasiones, aut oportunitatem fornicationis ostendant, maximè tamen hæc necessitas clericos vehementer constringit, quibus religio blasphemata, aut fraternitas perdita duplices pœnas irrogabit. *Aug. de sing. cler.*

2. Clericus mercimonia exercens, intercessiones vendens, viduarum munera amplectens, negotiator magis, quam clericus est. *Aug. in serm. 20. vœpræg.*

3. Contemnitur clericus, qui sæpe invitatur ad prandium, et non recusat: nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Beatius est magis dare, quam accipere. *Hier. ad Nepotia.*

4. Negotiatorem clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge. *Ibidem.*

5. Clericos illos convenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum et propinquorum nulli suffragantur: qui autem bonis parentum et opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium incurrunt. *Hier. in epist. ad Damas. pap. et est 1 et 42.*

6. Clericus qui de bonis suis sustentari potest, si accipit quod pauperum est, sacrilegium profecto committit: atque per abusionem talium judicium sibi manducat et bibit. Si eges et accipis das potius, quam accipis: si autem non eges, et accipis, rapis. *Hier. in alia epist.*

7. Vehementer ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quam clericos. *Hier. super epist. ad Tim.*

8. Miror cujus ordinis sint nostri clerici: nam in congregatione temporalium se habent ut laici: in apparatu nobili, ut milites: in acquisitione redituum ut clerici: sed non laborant ut laici, neque pugnant ut milites, neque evangelizant ut clerici, et quum utriusque ordinis esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt. Unusquisque in ordine suo resurget. Isti ergò cùm Deus sit summè sapiens, veraciter creditur à summo usque deorsum, nihil inordinatum relinquere: vereor, ne alibi ordinandos, quàm ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *Bern. lib. 3. de consid. ad Eugenium.*

9. Cum cuncti status hominum aliquid habeant laboris, et aliquid voluptatis, clerici inter hæc novo quodam artificio discernentes, totum quod delectat, in quolibet elegerunt: et totum quod molestat, respuerunt: á militibus acceperunt superbiæ fastum, amplam familiam, equorum phaleras, et nobiles apparatus: à mulieribus dependentes collo pelles rubricatas, vinum, mollitiem, balneum et gloriam: á rusticis fructus agrorum, horrea plena. Sed bene cavent militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam. Omnes rustici et agricolæ victum sibi labore acquirunt: hi deliciis affluunt, et tamen adveniente fructuum tempore, promptuaria eorum plena tritico, et vinum bibunt uvæ meracissimum, et inde incrassantur, impinguantur, et dilatantur. Quum ergo resurgere cœperint

homines, quilibet in ordine suo, isti cum quibus resurgent? Si divertere voluerint ad milites, ipsos exsufflabunt. Sic cuncti homines á suis finibus arcebunt: et isti, qui in nullo fuerint ordine, ubi putas collocabuntur? Restat ergo, ut illum locum sortiantur, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: et sint in laboribus dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt. *Bern. super illud Psal. In labore hominum non sunt: ideo non flagellabuntur.*

10. Ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo: honorati Domini, cui honorem non deferunt. Inde quem quotidie vides, meretritius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frænis, in sellis, in calcaribus: plus calcaria, quam altaria fulgent. Inde mensæ esplendidæ cyphis et cibis. Inde comessationes et ebrietates: inde cythara et lyra: inde torcularia redundantia, et promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud: pro hujusmodi volunt esse, et fiunt ecclesiarum præpositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi. *Bern. super cant. ser. 33.*

11. Olim prædictum est, et nunc tempus implelionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima: amara prius in nece martyrum; amarior post in conflictu hæreticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum: Non fugare, non fugere eos potes: ita invaluerunt, et multiplicati sunt super numerum: intestina et insanabilis est plaga ecclesiæ: et ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? et pax est, et non pax. Pax *á* paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto á filiis. Vox plangentis ecclesiæ in tempore isto: Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me, spreverunt et maculaverunt me, à turpi vita, á turpi quæstu, á turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris. Superest ut jam de medio fiat dæmonium meridianum. *Bern. ibid.*

12. Unde clericis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum et aureorum, nisi

de bonis ecclesiæ? Inde est, quod illa pauper et inops et nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, propter quod non est hodie ecclesiam ornare, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instruere, sed prostituere, non est pacere gregem, sed mactare et devorare, dicente Domino de illis, qui devorant plebem meam sicut escam panis. *Bern. super cant. serm. 78.*

13. Curritur in clero passim ab omni ætate et ordine, á doctis pariter et indoctis ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, quum ad curas pervenerit. *Bern. in quodam serm.*

14. Si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras et aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo: nunc vero quid ejiciet, á quo abscondet se? omnes amici et omnes inimici: omnes necessarii, et omnes adversarii: omnes domestici, et nulli pacifici: omnes proximi, et omnes, quæ sua sunt quærunt. *Bern. super cant. serm. 31.*

15. * Clericis conceditur, ut bene viventes, et altari servientes, vivant quidem, non luxurientur. *Ber. in epist.*

16. Peccata populi mei comedunt, sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata susipiunt. *Prosp. lib. 1. de vita contemp.*

Vide etiam in tit. Ebrietas, núm. 18. in tit. Exemplum, núm. 16. in tit. Munus, núm. 2. in tit. Oratio, núm. 9. in tit. Pœnitentia, núm. 38 et 39.

COGITATIO.

1. * Cogitationes nostræ non sunt in potestate nostra. *Aug. lib. 4. contr. Petil.*

2. Quicquid pudet dicere, pudet et cogitare, est tutissimum atque perfectum, ut assuescat animus solicita semper et pervigili custodia discernere cogi-

tationes suas, et ad primum animi motum, vel probare vel reprobare, quod cogitat; vel bonas cogitationes alat, vel statim malas extinguat. Hinc namque fons est boni, et origo peccandi. Ibi maximè oportet observare peccatum, ubi nasci solet, statimque ad primam tentationis faciem, et malum antequam crescat restinguere, dum adhuc est in cogitatione. *Hier. in epist. ad Demet.*

3. In illa tantum cogitatione peccatum, quæ suggestioni consensum mentis dedit, quæ malum suum blande fovet, quæ in factum gestit irrumpere. Hujus cogitatio est, si ex aliquo impedita casu non impleat voluntatem: nihilhominus actione criminis condemnatur á Domino: ut illud in Evangelio legimus. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, etc. Hier. ibid.*

4. Ad peccatum, quod opere perpetratur, nequaquam pervenies, si incentiva vitiorum statim in mente jugulabis, et parvulos Babylonis allides ad petram, in qua serpentis vestigia non reperiuntur, et cautè Domino promittes: *Si mei non fuerint dominati, etc. Ibidem.*

5. Tunc ad perfectionis summam pertingimus, quum sic exteriora vitia vincimus, ut cogitationes superfluas à mente reseremus. Nam tantò longius mens á necessariis cessat, quanto inania latius cogitat. *Greg. 2. Moral.*

6. Peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur: peccata verò cogitationis eo ad intelligendum sunt difficilia, quo invisibiliter perpetrantur: et tantò latius cogitationes defluunt, quantò se esse securius æstimant, quia foris á reprehensoribus non videntur. *Greg. lib. 11. mor.*

7. Magno studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt. Sed tamen ampulari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro solicitudinis rescindat. *Greg. lib. 5. Moral.*

8. Electorum mentes si quas in se carnales cogitationes inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt,

nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt: quia eo semetipsos judicantes subtilius feriunt, quo districtum judicem præstolantur vicinum. *Greg. lib. 12. Moral.*

9. Quum reproborum mentibus occasio perpetrandi peccati deest, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt: et quum non semper diabolum sequuntur in opere, valde tamen se illi obligant in cogitatione. *Greg. 14. moral.*

10. Ante Dei oculos vacuæ non transvolant cogitationes nostræ: et nulla momenta temporis per annum transeunt sine statu retributionis. *Greg. lib. 20. moral.*

11. Sæpè misericors Deus eò citius peccata cordis abluit, quò hæc exire ad opera non permittit, et cogitata nequitia, quantò citiùs solvitur: quia effectu operis non ligatur. *Greg. in Past. c. 53.*

12. Si à domo mentis ad momentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum clamor velut garrulla ancillarum turba multiplicat. Ut autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit: et quasi ancillæ se ad injunctum opus tacitè reprimunt, dum cogitationes protinus se causis propriis ad utilitatem subdunt. *Greg. in moral.*

13. Cogitatio est improvidus animi respectus ad evagationem pronus. *Hugo.*

14. Quocumque tempore non cogitaveris Deum, puta te illud tempus amisisse. *Cass. super illud Psalm. Et cor meum dereliquit me.*

15. Incipiamus bonas cogitationes diligere, et statim ab illis, quæ malæ sunt, dignabitur Dominus liberare. *Cas. monition. 2. c. 3.*

16. Mentem non interpellari cogitationibus, impossibile est: suscipere vero eas sive respuere, omni studenti per gratiam Dei possibile est. Quemadmodum igitur ortus earum non omnimode pendet à nobis, ita reprobatio vel electio consistit in nobis. *In collationibus Patrum, collat. Moysi.*

17. Cogitationes vagas et inutiles, et velut somno

similes non recipias: quibus si animum tuum oblectaveris, quum omnia disposueris, tristis remanebis. *Senec. de quatuor virtutibus.*

18. Si quid cogitaveris, citò apparebit: conversantibus bene cogitata si excedunt, non occidunt. *Sen. in proverb.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 10, 16. in tit. Conversatio, núm. 32. in tit. Cor, núm. 14. in tit. Deus, núm. 28. in tit. Diabolus, núm. 1. in tit. Dilectio, núm. 20. in tit. Mors, núm. 37. in tit. Oratio, núm. 52. in tit. Peccatum, núm. 12 et 13. in tit. Religio, núm. 9. in tit. Tentatio, núm. 7 et 13.

COMPASSIO.

1. Pia est ista tristitia, et si dici potest, bona miseria vitiis alienis tribulari, non implicari, mœrere, non hærere: dolore contrahi, non attrahi. *Aug. in ep. ad Sebastia.*

2. Quum alienæ infirmitati compatimur, valentius à nostra roboramur, ut amore futurorum mens ad præsentia adversa se preparet: et cruciatus corporis quos timebat, expectet. *Greg. lib. 7. moral.*

3. Tunc plena cordis nostri compassio est, quum mala inopiæ pro proximo suscipere non metuimus, ut illum á pasione liberemus. Plus est aliquando compati ex corde, quam dare: quia quisquis indigenti perfecte compatitur, minus æstimat omne, quod dat: et rem quamlibet plerumque dat, qui non compatitur. *Greg. lib. 20. moral.*

4. Tantò quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *Greg. lib. 19. moral.*

5. Sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. *In hom.*

6. Sicut pura veritas non nisi puro corde videtur: sic miseria fratris misero corde verius sentitur. *Greg. in hom.*

7. Compassio est, quum malum inopiæ pro proximo non metuimus, ut eum á passione liberemus. *Ibid.*

8. Magnæ actum pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui futurus erat pastor ecclesiæ in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset, ut in sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer alienam infirmitatem toleraret. *Greg. in hom. paschæ et est l. di. considerandum.*

9. Si doles, condoleo, si non doleo tantum, et maximè sciens à salute longius absistere membrum, quod obstupuit, et ægrum sese non sentientem periculosius laborare. *Bern. de Conf.*

10. Nonnulli dura service et attrita sunt fronte: ut quò magis eis compatimur, tantò magis nostra compassione et patientia abutantur. *Bern. in serm.*

11. Devotus miles non sentit sua, cùm benigni ducis contuetur vulnera. *Bern. ibid.*

12. Impossibile est scire afflictiones afflictorum ei, qui experimentum afflictionis non habuit. *Chrys. super ep. ad Hebr. serm. 30.*

13. Religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium: nec de hoc dolet, quod divina justitia agitur: sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur, ubi magis plangendus est faciens maligna, quam patiens. *Leo. Papa tractans illud: Beati qui lugent.*

14. Triplex est modus compassionis: est quippe compassio alia ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compassio ex vitio est, quando affectus illic reprehensibili dolore tangitur, ubi illicito prius amore tenebatur. Compassio ex natura est, quando ex insito sibi pietatis affectu animus alienis condolet, quoties contra pietatis vel humanitatis mensuram, naturam premi sive affligi videt. Compassio ex virtute est, quando propter Deum alienis doloribus compatimur, quum scilicet justitiam premi, vel innocentiam affligi videmus. Compassio ex vitio, culpabilis est. Compassio ex natura, irreprehensibilis est. Compassio ex virtute, laudabilis est. Prima reprehenditur, tertia laudatur, secunda nec culpam habet, quia ex natura est: nec præmium, quia ex virtute non est. *Hugo. de trib. voluntatibus in Christo.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

15. Tria sunt, per quæ probatur vera compassio, scilicet occulta beneficia, paupertas et mors. Beneficium enim si impendatur occulté, humanæ laudis extinguit favorem: quando autem pauperis miseretur aliquis, temporalis removet spem retributionis: quum pro proximo pati mortem non renuit, amorem mundi non præponit. Hæc sunt enim tria illa, quæ solent enervare compassionis membra, humanus scilicet favor, temporalis retributio, et amor mundi. *Hugo. de claust. animæ c. 9.*

16. Longitudine temporis tentatio augetur, per triduum enim crescentibus curis paterna viscera cruciantur, et prolixo spatio pater filium intuetur, cibum cum eo sumit: tot noctibus pendet puer in amplexu patris: cubat in gremio, et per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filii cumulatur. *Alchin. de immolatione Abrahæ.*

17. Cujus pectus tam ferreum, cujus cor tam lapideum, ut gemitus non exprimat, lachrymas non effundat, cum proximi vel amici morbum vel interitum intuetur? ut patienti non compatiatur, et dolentibus non condoleat? Ipse Jesus cum vidisset Mariam et Judeos plorantes, infremuit spiritu, turbavit semetipsum, et lachrymatus est. *Inno. de Vil. conditionis humanæ.*

18. Vide si adhuc malus es, et similibus parce. *Senec. in Proverb.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 10. in tit. Beneficium, núm. 9. in tit. Consolatio, núm. 6. in tit. Convitium, núm. 1. in tit. Correctio, núm. 2, 20. in tit. Crux, núm. 7. in tit. Divitiæ, núm. 40. in tit. Dolor, núm. 5. in tit. Eleemosyna, núm. 31. in tit. Excusatio, núm. 14. in tit. Infirmitas, núm. 1. in tit. Lacryma, núm. 14. in tit. Perfectio, núm. 7. in tit. Servitus, núm. 10, 11.

COMMUNITAS, SIVE CONGREGATIO.

1. Quicquid sceleris et iniquitatis inebriat multitudinem, amittit in examine veritatem. *Aug. epist. cont. Perveniam lib. 3.*

2. In solitudine ciló subrepit superbia: dormit quando voluerit: facit quod voluerit: tu autem qui in communitate vivis, non facies quod vis, comedes quod juberis: subjicieris cui non vis, servies fratribus. Præpositum monasterii timeas ut Deum, diligas ut parentem. *Hier. ad rusticum monach.*

3. Plenissima peccatorum obtinetur ablutio, quando totius Ecclesiæ una est oratio, et una confessio. Si enim duorum vel trium sanctorum pio consensui omnia quæ poposcerint dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exequenti, et per unum spiritum concorditer supplicanti? *Leo papa serm.*

4. Publica præferenda sunt propriis: et ibi intelligenda est præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura communis. *Leo ibidem.*

5. Provide decrevit antiquitas communitatem edictis generalibus admoneri, per quæ et debitum omne corrigitur, et excedentis verecundia non gravatur. Cuncti enim sibi æstimant dici, ubi nullum constat exponi: et similis fit innocenti, quem contigerit sub communione purgari. *Cass. lib. 3. epist. 18.*

6. Nam si disparibus calamis convenit unum melos edicere, multò magis viris prudentibus aptum est justum concordi voce suadere. *Cass. ibid. epist. 9.*

7. Stulta avaritia mortalium possesionem, proprietatemque discernit, nec quicquam suum esse credit, quod est publicum: at sapiens nil judicat suum magis quam illius, cui cum humano genere consortium est. Nulla essent communia, nisi pars illorum pertineret ad singulos. *Senec. 29. epist.*

Vide etiam in tit. Contemplatio, núm. 21. in toto tit. Ecclesia, in tit. Favor, núm. 4, 5, 7. in tit. Homo, núm. 23, 24. in tit. Justitia, núm. 6, 7. in tit. Lex, núm. 4. in tit. Prædicatio, núm. 6. in tit. Religio, núm. 28. in tit. Servitium, núm. 11. in tit. Solicitudo, núm. 7, 13. in tit. Superbia, núm. 29. in tit. Veritas, núm. 24. in tit. Vitium, núm. 17.

CONCUPISCENTIA.

1. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, id est, hoc fine et hoc animo attenderit, ut eam concupiscat, quod jam non est delectatio carnis, sed plane consentire libidini, ita ut non refrænetur illicitus appetitus, sed si facultas fuerit, satietur hic mœchalus est. *Aug. de serm. Dom. lib. 1.*

2. Nescio quomodo hoc ipsum, quod concupiscitur, sit jucundius, dum vetatur. *Aug. de spirit. et Litera.*

3. * Concupiscentia minui potest, consumi non potest in hac vita. *Aug. lib. 5. cont. Juli.*

4. *Qui viderit mulierem*, etc. Inter passionem et propassionem hoc interest, quod passio reputatur in vitium: propassio licet initii culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergò qui viderit mulierem, et anima ejus fuerit titillata, hic propassione percussus est. Si verò consenserit, et de cogitatione affectum fecerit, sicut scriptum est in David: *transierunt in affectum cordis*, de propassione transivit ad passionem, et huic voluntas peccati non deest, sed occasio. Quicumque ergo viderit, id est, si sic aspexerit, ut concupiscat, ut facere disponat, iste rectè mœchatus dicitur eam in corde suo. *Hier. super Matth. lib. 1. c. 14.*

5. Caro quum concupiscitur, pensetur quid sit examinis, et intelligatur quid ametur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut quisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. *Greg. lib. 18. moral.*

6. Viscus quidam pravi desiderii, et delectationis terrenæ animam volare non patitur, et citius retrahit mentem, si fortè aliquando sublevatur. *Bern. in serm. super cant.*

7. Concupiscentia carnis, est motus animæ in affectu sordidæ cogitationis. *Isid. lib. 2. de sum. bon.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 8. in tit. Conjugium, núm. 3. in tit. Voluntas, núm. 10, 11. *

CONFESSIO.

1. O homo, quid times confiteri? illud quod per confessionem scio, minus scio, quam illud quod nescio. Cur confiteri erubescis peccata tua? peccator sum sicut et tu: homo sum, humani à me nihil alienum: confitere homo homini, homo peccator homini peccatori: elige quod vis: si non confessus lates, inconfessus damnaberis: ad hoc Deus exigit confessionem, ut liberet hominem humilem, ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. *Aug. super Psalm.*

2. Tanto tempore appensum est, tantumque valuit apud eum, qui hoc novit appendere, quod latro in cruce confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro domino crucifixus. *Aug. sup. Joan.*

3. Servus peccati, quo fugit, secum se trahit quocumque fugerit: non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se, imo non recedit à se. Peccatum enim quod facit, intus est. Vis audire consilium? si vis à Deo fugere, ad ipsum fuge confitendo, non ipsi aliquid latendo: confiteri enim potes, latere non potes. *Ibidem.*

4. Quum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod vitaris. Veritas in te non est, nisi ita dixeris te peccatorem, ut esse cognoscas. *Ibidem.*

5. Discretio confessoris valde necessaria est: consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in veritate personæ, cujus fuerit ætatis, cujus sapientiæ et ordinis, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius multiplici executione. *Aug. in lib. de Penitentia.*

6. Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? obstruit os inferni, portas aperit paradisi. *Aug. ibid.*

7. * Confessio non tantum peccatorum, sed et laudis Dei est. *Aug. epist. 121.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

8. * Confessio peccatorum in corde antequam os petat, exauditur. *Aug. in enarrat. Psal. 31.*

9. Plurimum suffragatur Deo verecunda confessio: et pœnam, quam defensione evitare non possumus, pudore revelamus. *Ambr. in lib. de Jos. 56.*

10. Qui se accusat, etsi peccator sit, justus esse incipit: quia nec sibi parcit, et Dei justitias confitetur. *Ambr. sup. Beati immaculati.*

11. Cessat enim vindicta divina, si confessio præcurrat humana. *Ibidem.*

12. Qui promereri vult, quod expetit, debet malum confiteri, quod fecit; valde enim facile est, ut peccatorem se quisque fateatur: quum nihil pro peccato suo patitur. *Greg. lib. 8. moral.*

13. Hæc sunt vera humilitatis insigna, iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis aperire. *Greg. lib. 22. Moral.*

14. Peccatores nos in tranquillitate loquimur: sed cum de peccatis ipsis flagello interveniente corripimur, murmuramus. Pœna ergò nos interrogat, si culpam veraciter cognoscimus. Plerumque gravioris certaminis est commissa peccata prodere, quam non admissa vitare. *Ibidem.*

15. Mirentur in bono Job qui volunt castitatis continentiam: mirentur integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humilimam peccatorum, quam tot sublimia virtutum. *Greg. 12. moral super illud Job. Si celavi in sinu, etc.*

16. Vulnera clausa plus cruciant: nam quum putredo, quæ interius fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. *Greg. in past. c. 38.*

17. * Mala quæ facimus, sponte confiteamur, et hæc aliis arguentibus non negemus. *Greg. 12. moral.*

18. Sacerdotes caute necesse est vigilare solicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris et contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo confessionis exterreant: sic corda aperiant, ut ora non obstruant. Sed nec absolvant

etiam compunctum, nisi viderint confessum: quoniam quidem corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Quisquis ergò verbum confessionis in ore habet, et in corde non habet, aut dolosus est, aut vanus: qui verò in corde et non in ore, aut superbus est, aut timidus. *Aug. ad frat. in Erc. serm. 30. to. 10.*

19. Indicia veræ confessionis sunt, sicut unusquisque se peccatorem dicit, id de se dicenti alteri non contradicat: nam non peccator, sed justus videri appetit, quum peccatorem se quisque nullo arguente confitetur: superbiæ quippe vitium est, ut quod de se fateri quis sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur. *Bern. de 12. gradibus humilitatis.*

20. Trux morsus à serpente fugit conscientiam sacerdotis: ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris. *Bern. super cant.*

21. * Apertas confessionis fenestras inveniat in nobis Dominus. *Bern. in can. ser. 59.*

22. Absque confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur: confessio igitur peccatoris est vita, justi gloria, et necessaria est peccatori, et justum nihilominus decet. *Bern. epist. c. 14.*

23. Si sufficeret fides cordis, non creasset tibi Deus os: si sufficit Christo, quia cognoscis eum, etsi confessus fueris coram hominibus, ergò et tibi sufficit quod te cognoscit Christus, et si non confitearis coram Deo. *Chrysost. super illud: Matth. Qui me confessus.*

24. Confessio est per quam animæ morbus latens sæpé consequendæ veniæ in Dei laudem aperitur. *Isid. lib. etymo.*

25. O ingeniosa simplicitas, et mille tergiversationibus cautior puritas manifestare delictum! Illis non judex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt. *Cass. super illud: Beati quorum remissa.*

26. Mira compensatio, stupenda vicissitudo, domino suo propria mala dicere, et ab eodem præmia

salutis accipere. Quis non incitetur illi ad præmium confiteri cui non possis negare quod feceris? *Cass. super illud Psalm. Vias meas annunt.*

27. Non remanet judicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum. *Leo papa in serm.*

28. Maxima spes est recuperandæ salutis, fontem nosse languoris. *Val. in serm.*

29. Venia dignus est, qui de peccato excusationem non quærit: ubi enim est confessio, ibi remissio: quia proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confessio. *Ibidem.*

30. Initium salutis, notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Ideó quantum potes, teipsum argue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissimè deprecatoris. *Senec. epist. 29.*

31. Quare vitia sua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis est. Somnium narrare, vigilantis est: et vitia sua confiteri, sanitatis indicium est: expergiscamur ergo, ut mores nostros coarguere possimus. *Senec. 54. epist.*

32. Omnia vitia in aperto leviora sunt: morbi quoque ad sanitatem tunc inclinant, quum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt: et avaritiam, et ambitionem, et cætera vitia mentis humanæ tunc perniciosa scias esse, quum simulata sanitate subsidunt.

Vide etiam in tit. Conscientia, núm. 11, 19. in tit. Correctio, núm. 42. in tit. Damnum, núm. 2. in tit. Pœnitentia, núm. 11, 20.

CONFIDENTIA.

1. Adversaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat: et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat: incerta victoria est inter hostilia arma pugnare: et impossibilis liberatio est flammis circundari, et non ardere. *Aug. de singularitate clericorum.*

2. Expedit multò bene timere, quam male fidere: et utilius est, ut infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat. *Aug. ibid.*

3. Nemo de suo corde præsumat, quando profert sermonem: nemo de suis viribus confidat, quando suffert tentationem: quia ut et bona prudenter loquamur à Deo est, non nostra sapientia, et ut mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia. *Aug. in serm. de S. Vincent.*

4. O homo securum habes accessum ad Deum, ubi mater ante filium, filius ante patrem. Mater ostendit filio pectus et ubera, filius ostendit patri latus et vulnera. Ibi non potest esse ulla repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia. *Bern. in serm.*

5. Non confidat prædicator vel auditor verbi divini de acumine ingenii, de subtilitate scrutinii, de sedulitate studii: sed magis confidat de bonitate Dei, et de pietate oraculi, de humilitate cordis intimi. *Hugo de S. Victor. in didascal.*

6. Confidentia est, ex virtutum conscientia immotam mentem inter adversa sibi constare. *Ibidem.*

7. Confidentia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. *Tullius.*

8. Confidentia est, per quam magnis et honestis rebus multum ipse animus in se fiduciæ collocavit. *Tul. ibid.*

9. Magna contra diabolum arma sunt, in suis viribus fiduciam non habere, sed Deum rogare, qui adversarium possit opprimere. *Cass. super illud. Psal. Quoniam humiliata est, etc.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 38. in tit. Bellum, Desperatio, Fides, núm. 23. in tit. Præsumptio, núm. 7. in tit. Securitas, Ratio per totum.

CONJUGIUM.

1. Quia ægritudini semper consulendum est, propterea si contigerit primo privari conjugio, si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccatum habebit, si eas caste servaverit: et si fuerit aliquis conjugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum. *Aug. de fide ad Petrum.*

2. ' Matrimonium non est, ubi datur opera ne fœmina pariat. *Aug. lib. mo. 2. de Manich.*

3. Benè utitur malo, concupiscentiam restringens connubio. *Aug. de pu. bapt.*

4. ' Conjugum dissentio, totius domus est perturbatio. *Aug. in Psalm. 55.*

5. ' Conjugium humile melius est virginitate superba. *Aug. in Psalm. 99.*

6. Propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quàm conjugii oblectamenta nescire. Copula nuptialis non est quasi culpa vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda. *Amb. de viduis.*

7. Tolle quod pejus est, et per se non erit bonum nubere. Vide qualia sunt matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur. *Hier. in quadam epist.*

8. Sicut boni filii adulterorum nulla est defensio: sic mali filii conjugatorum nullum crimen est matrimonii: quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atque virtutum. *Hier. in epist. ad Ruffinum.*

9. Bonum est conjugium, sed mala sunt, quæ circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Dum ergò tenetur quod non nocet ex rebus juxta positis, committitur plerumque quod nocet: sicut sæpè rectum mundumque iter pergimus: et tamen orlis juxta viam vepribus per vestimenta retinemur. In via quidem munda non offendimur, sed à latere nascitur, quo pungamur. *Greg. 12. moral.*

10. Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, conjugii portum petant. Melius est nubere, quam uri. Sine culpa enim ad conjugium veniunt, si tamen necdum meliora devoverunt. *Ibidem.*

11. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, subaudi, violenter, sine lege, absque ratione. Non enim

homo separat, quos pœna damnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat. *Isid. super isto verb. Matth. 19.*

12. Quemadmodum si vides hominem assidue amicitias medicorum colentem, ex hoc statim intelligis, quod infirmus est: sic et cum videas, sive virum, sive mulierem de dimittendis uxoribus, aut viris legem interrogantes, cognosce quia vir ille lascivus est, et mulier illa meretrix est. *Chrys. super eodem verb. Matth. 19. Quos Deus, etc.*

13. Omnis causa per quas nascitur, per ipsas absolvitur causas: matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas: et ideò non illud solvit separatio corporis, sed separatio voluntatis. *Chrys. super illud Matth. 19. hom. 25. Quicumque, etc.*

14. Sicut crudelis est et iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est et injustus, qui retinet meretricem. *Chrys. ibid.*

15. Non uxor ducenda sapienti, primum quia studia philosophiæ impedit, nec potest quisquam libris et uxori pariter inservire. Multa sunt, quæ matronarum usibus necessaria sunt, videlicet pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus ancillæ, supellex varia, deinde per totas noctes garrulæ quæstiones: Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus: ego in conventu fœminarum misera despicior. ¿Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? de foro veniens quid attulisti? non amicum habere possumus, non sodalem, alterius amorem, suum suspicatur odium. *Hugo de S. Victor. in libello ad socium volentem nubere.*

16. Adde quod nulla est uxoris electio: sed qualis advenerit, talis sit habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida: quodcumque vitium est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, et vilissima mancipia prius probantur, et sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat, quam ducatur. *Ibidem.*

17. Attendenda est semper ejus facies, et pul-

chritudo laudanda, ne si alteram inspexeris, se existimet displicere. Si totam domum ei regendam commiseris, serviendum est. Si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit, et in odium vertitur et jurgia: et nisi cito consulueris, parabit venena anus. *Ibidem.*

18. Quieta est continens vita, quam non inquietat uxoris suspicio, non solicitant ancillarum sumptus, nec conturbat filiorum perversitas, quæ munditiæ gignit florem, puritatis parit fructum, bonæ conscientiæ profert odorem. *Ibidem.*

19. Ducuntur hodie uxores non causa fornicationis vitandæ, sed causa luxuriæ: non causa prolis, sed causa pecuniæ. Unde Marci Catonis filia junior, quum quæreretur ab ea, cur post amissum virum denuò non nuberet, respondit se non invenire virum, qui se magis vellet, quàm sua: quo dicto eleganter ostendit, divitias magis in uxoribus eligi solere, quam puditiam, et multos non oculis, sed digitis uxores ducere. Optima et sana res, quam non avaritia conciliat, quam non luxuria copulat. *Ibidem.*

20. Amice, contumelia viri, uxor inobediens, cave tibi. Veritas, quæ non potest falli, ait de beato David: Inveni virum secundum cor meum: hic tamen egregiè præcipitatus est amore mulieris ab adulterio in homicidium: amica Bersabeæ siluit, in nullo malignata est, nihilominus facta est stimulus subversionis viro perfecto, et mortis aculeus innocenti marito. Utraque nocens erit, quæ contendet eloquentia, ut Dalida Samsonis: et quæ forma, ut Bersabeæ. Si ergò non es amplius secundum cor Domini, quàm David, credo quod et tu præcipitari potes. *Val. in epist. ad Rufin.*

21. Optima fœmina, quæ rarior est Phœnice, amari non potest sine solicitudinis amaritudine, et metus frequenter infortunii. Malæ verò, quarum tam copiosa sunt examina, ut nullus locus sit expers malignitatum earum, quum amantur, amarè pungunt et afflictioni vacant, usque ad divisionem corporis et spiritus. *Ibidem.*

22. Sol hominum Salomon, thesaurus deliciarum, sapientiæ Domini singulare domicilium crasso tenebrarum fuscatus atramento: lucem animæ suæ, gloriam domus suæ fœminarum facinore amissit, et postremò curvatus coram Baalim, ex Ecclesiaste Domini, mutatus est in membrum Zabuli. *Ibidem.*

23. Jupiter rex terrenus, qui etiam dictus est cœlorum rex, præ singulari strenuitate corporis et incomparabili mentis elegantia post Europam mugire coactus est. Amice ecce, quem bonitas super cœlos extulit, fœmina brutis comparavit, poterit et te fœmina cogere ad mugitum, si non est major Jove. *Ibidem.*

24. Patimius flens ait Arrio vicino suo: Amice arborem habeo in horto meo infelicem, de qua se prima uxor mea suspendit, et postmodum secunda, et jam nunc tertia. Cui Arrius, miror te in tantis successibus lacrymas invenisse. Et iterum, dii boni, quæ dispendia arbor illa tibi suspendit! et tertio, amice da mihi de arbore illa surculos, quos seram, amice, et ego dico tibi: metuo ne te oporteat arboris hujus surculos mendicare et inveniri non potuerunt. *Ibidem.*

25. Metellus respondit Mario, cujus filiam dote felicem, forma nobilem, genere claram, fama celebrem ducere noluit: Malo inquit meus esse, quam suus. Cui Marius: imo ipsa erit tua: at ille, imò virum oportet uxoris esse: logicum enim est: talia erunt prædicata, qualia subjecta esse permiserint: sic facetia verbi Metellus divertit dorsum ab oneribus ejus. *Val. ibidem.*

26. Audax est ad omnia quæcumque amat vel odit fœmina: et artificiosa est nocere cum vult. Sed ne longo dispendio te suspendam, lege Aureolum Theophrasti et Medeam Jasonis, et vix pauca invenies impossibilia mulieri. Amice det tibi Deus omnipotens, omnipotentis fœminæ fallacia non falli. *Ibidem.*

27. Socrates ab adolescentulo quodam consultus, utrum uxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret, respondit utrum eorum fecisset, aclurum pœ-

nitentiam. Hinc te, inquit, solicitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet: illinc perpetua solicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium supercilium grave, garrula socrus lingua, successor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. *Val. Max. lib. 7. de memoralibus dictis.*

28. Nulla tam bona est uxor, in qua non invenias quod conqueraris. Sicut nihil suavius benigna conjuge: ita nihil infesta muliere crudelius: quanto enim sapiens vitam suam pro viri salute opponit, tanto maligna ad mariti mortem etiam vitam suam reputat. Nihil ergo muliere molestius, quæ quantum in re conjunctior, tantum disjunctior morum dulcedine, aut felle malitiæ: Mulier speciosa templum est ædificatum super cloacam. *Diogen. Philosoph.*

29. Duo genera lachrymarum habentur in oculis fœminarum, veri doloris unum, insidiarum alterum. *Pithag. Philosoph.*

30. Socrates, cum quidam ex ejus doctrina benemeriti discipuli ad eum descenderent, rogantes eum, ut aliquod præceptum ordinandæ susciperent vitæ, in suum eos diversorium secum venire fecit, uxoremque suam Xanthippem in superioribus constitutam vocavit: jussitque, vasa oleo et melle plena ut ejiceret: admirantibusque discipulis ait: si hanc in domibus vestris rerum potestatem habueritis, beatam vitam disponetis. *In prov. philosoph.*

31. Habent locum maledicti crebræ nuptiæ. Quæ multis nubit, multis non placet. *Senec. in prov.*

32. * Vitium uxoris aut tollendum, aut ferendum est: qui tollit vitium uxoris, commodiorem præstat: qui fert, sese meliorem facit. *Gell. lib. 1.*

Vide etiam in tit. Castitas, núm. 4, 17. in tit. Mulier et Peccatum, núm. 6. in tit. Virginitas, núm. 1, 9, 17.

CONSCIENTIA.

1. ¿Quid obest illi, si de illa tabula eum humana

vult delere ignorantia, si eumdem de libro viventium nunquam propria deleat conscientia? nam et si bonum, quod de nobis dicitur, in mente non invenitur, magnam debet in nobis tristitiam generare: et econtra, si malum quod de nobis dicitur, in nobis non invenitur, in magnam debemus letitiam prosilire. *Aug. in serm.*

2. * Conscientia mala bene sperare non potest. *Aug. in Psal. 31.*

3. * Conscientiam malam laudantis præconium non sanat, nec bonam vulnerat convitium. *Aug. com. lit. Petil.*

4. Bene sibi conscius, falsis non debet moveri convitiis, nec æstimare plus ponderis in alieno esse convitio, quàm in suo testimonio. *Ambr. de offic.*

5. Unusquisque non intermittat opus probabile, sive à pluribus videatur, sive sine arbitrio sit. Abundat enim sibi locuples testis conscientia: fugat etiam mala et opprobria, etiam si se credat non posse convinci: nam etsi clausis parietibus sit et coopertus tenebris, sine teste, sine conscio: habet tamen facti arbitrium, quem nihil fallat: ad quem facta clamant omnia: denique clamavit et vox sanguinis. Seipsum unusquisque et animum suum severum judicem, sui ultorem sceleris, et vindicem criminis habet. *Ambr. in epist. ad Constantinum.*

6. * Duo sunt tibi necessaria, conscientia et fama: conscientia, propter te: fama, propter proximum. *Id.*

7. In omni quod dicitur, semper tacitè recurrere debemus ad mentem, et interiorem testem et judicem requirere. Quid enim prodest, si omnes laudent, et conscientia accusat? Aut poterit obesse, si omnes derogent, et sola conscientia defendat? *Greg. super Ezec, ho. 9.*

8. Bonum parat habitaculum Deo, cujus nec ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria fuerit inquinata. *Bern. in serm.*

9. Bona consolatio, quum et blasphemamur à malis benefacientes, si recti diligant nos: omnino suffi-

cit adversum os loquentium iniquæ, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. *Bern. super cant.*

10. Fortitudo tua, fiducia fidelis conscientia: decor tuus, splendor bonæ opinionis. *Bern. 3. de consideratione ad Eugenium.*

11. Sensum ex integro recuperasse te scias, si tuam conscientiam quadruplici compunctione sentis morderi, pudore gemino, et gemino metu. Nam vitam ad perficiendum septenarium triplex confessionis species attestatur: Deum cogita factorem tuum, cogita et benefactorem: cogita patrem, cogita Deum. Ad omnia reus es, plange per singula, ad primum et ultimum respondeat timor tuus, ad duo media pudor. Ideò omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè, fideliter, et has septem vices adimplesti. *Bern. super cant.*

12. * Conscientia peccati, formidinis mater. *Chrys. in Psal. 50. h.*

13. * Conscientia est codex, in quo cotidiana peccata conscribuntur. *Ibidem.*

14. * Conscientia impiorum, magna pœna est: piorum verò gaudium magnum. *Ansel. in epist. ad Cor.*

15. Semper conscientia servi Dei humilis esse debet, et tristis: ut per humilitatem non superbiat, et per utilem mœrorem cor ad lasciviam non feratur. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

16. Nulla pœna gravior pœna conscientiæ. Vis autem nunquam esse tristis? bene vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet. Bona vita gaudium semper habet: conscientia autem rei semper in pœna est. Nunquam securus est reus animus: mens enim mala conscientiæ propriis agitatur stimulis. *Isid. lib. 2. Soliloq.*

17. Conscientia munda est, quæ nec de præterito juste accusatur, nec de præsenti injuste delectatur. *Isid. ibid.*

18. Numisma Cæsaris aurum est: numisma Dei, homo. In solidis Cæsar videtur, in hominibus autem Deus agnoscitur, ideó divitias vestras Cæsari date: Deo autem conscientiæ vestræ solam memoriam reservate. *Chrys. super illud Matth. 22. Reddite, etc.*

19. Sub ovina pelle vulpinam conscientiam abscondebam. Vulpina plane conscientia, tepida conversatio, animalis cogitatio, ficta confessio, brevis et rara compunctio, obedientia sine devotione, oratio sine intentione, lectio sine ædificatione, sermo sine circumscriptione. O quam dura sunt mihi ista quæ loquor, quoniam meipsum loquendo ferio! Verumtamen quia non me peccatorem nego, sed peccatum meum cognosco, erit fortasse apud Deum judicem impetratio veniæ, ipsa cognitio culpæ. *Hug. lib. 1. de anim. c. 15.*

20. Tranquilla conscientia est, quæ omnibus est dulcis, nulli gravis: utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam: cunctis ad benevolentiam: quibus potest, ad beneficentiam: cui Deus nec sua peccata imputat: quia non fecit, nec aliena; quia non approbavit: nec negligentiam, quia non tacuit: nec superbiam, quia in unitate permansit. *Hug. lib. 2. de anima c. 9.*

21. Conscientia bona, titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum declinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber signatus et clausus, et in die judicii aperiendus. *Ibidem.*

22. Conscientia est cordis scientia: cor enim et se novit sua scientia, et multa alia, quando novit se, appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia. *Ibid. c. 22.*

23. Quid acquiri putatur, ubi bona conscientia perditur? aut in qua parte possit homo proficere, si innocentiam probatus fuerit amisisse? *Cass. lib. 4. epist. 8.*

24. Arborem quam florere vides, quam summa concupiscis viriditate lætari, subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficie, quod continetur in radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis gravamen nullius sentiat læsionis. *Cass. lib. 2. epist.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

25. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros. Vix quempiam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit, sic vivimus, ut deprehendi sit subito aspici. Quid autem prodest recondere se, et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat: mala autem in solitudine anxia atque solicita est. Si honesta sunt quæ facies, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! *Sen. 96. epistol.*

26. Nemo plus videtur æstimare virtutem, nemo magis illi esse devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. *Senec. 72. epist.*

27. Sic vivendum est, tanquam in conspectu vivamus: sic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum prospicere possit. *Lib. de moribus.*

28. Conscientiam magis, quam famam attende. Falli namque sæpè poterit fama, conscientia nunquam. *Ibidem.*

29. Mala conscientia sæpè tuta est, secura nunquam. Itaque nihil ei commiseris, nisi quod amico committere possis: plerique famam, conscientiam autem pauci verentur. *Ibidem.*

30. Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quàm temetipsum: alium enim potes effugere, te autem nunquam, nequitia enim ipsa est sui pœna. *Ibidem.*

31. Superet conscientia, quicquid mali finxerit lingua. *Ibidem.*

32. * Stulti malorum conscientia torquentur, sapientes bona præterita grata recordatione renovata delectant. *Cicer. 2. de fin.*

33. * A recta conscientia non oportet quemquam in omni vita sua transversum unguem discedere. *Id. ad At. lib. 3.*

34. * Si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine ullo metu summa cum honestate vivemus. *Idem pro Cluent.*

35. * Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum. *Idem ad Torquat.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 26. in tit. Confessio, núm. 3. in tit. Conversatio, núm. 9. in tit. Fama, núm. 6. in tit. Gloria bona, núm. 1. in tit. Honestas, núm. 2. in tit. Injuria, núm. 6. in tit. Solitudo, núm. 1, 18, 23. in tit. Virtus, núm. 27.

CONSIDERATIO SUI.

1. Remotis obstaculis insanæ opinionis scelera nuda judicentur: nuda pensentur: nuda inspiciantur, fallacia tegimina, et vanæ laudes gloriæ auferantur, et adparebunt miseriæ peccatorum. *Aug. lib. 3. de Civit. Dei.*

2. Eunt homines mirari alta montium, et ingentes fluctus maris et altitudines montium, et altissimos lapsus fluminum, et Oceani ambitum, et gyros syderum, et relinquunt seipsos, nec mirantur. *Aug. lib. 10. confession.*

3. Magis cogitare debetis quid nobis desit, quàm quid vobis adsit. Quod habes, cave ne perdas. Quod nondum habes, supplica ut habeas. In quantis sis minor est considerandum, non in quantis sis major. Si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem: si vero cogitas quantum tibi deest, ingemiscis, curvaris: si humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaveris, non laberis. *Aug. super Matth. serm. 39.*

4. Supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est ut agnoscant te, qui infra te sunt: Ideoque dum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt eum supra se leones. *Aug. super epist. Joan. c. 8.*

5. Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quam qui ea non respecta, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum, et fastigia cœlorum scrutatur. *Aug. in proœ. 9. de trinit.*

6. O homo si consideres, quid per os, quid per

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

25. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros. Vix quempiam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit, sic vivimus, ut deprehendi sit subito aspici. Quid autem prodest recondere se, et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat: mala autem in solitudine anxia atque solicita est. Si honesta sunt quæ facies, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! *Sen. 96. epistol.*

26. Nemo plus videtur æstimare virtutem, nemo magis illi esse devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. *Senec. 72. epist.*

27. Sic vivendum est, tanquam in conspectu vivamus: sic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum prospicere possit. *Lib. de moribus.*

28. Conscientiam magis, quam famam attende. Falli namque sæpè poterit fama, conscientia nunquam. *Ibidem.*

29. Mala conscientia sæpè tuta est, secura nunquam. Itaque nihil ei commiseris, nisi quod amico committere possis: plerique famam, conscientiam autem pauci verentur. *Ibidem.*

30. Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quàm temetipsum: alium enim potes effugere, te autem nunquam, nequitia enim ipsa est sui pœna. *Ibidem.*

31. Superet conscientia, quicquid mali finxerit lingua. *Ibidem.*

32. * Stulti malorum conscientia torquentur, sapientes bona præterita grata recordatione renovata delectant. *Cicer. 2. de fin.*

33. * A recta conscientia non oportet quemquam in omni vita sua transversum unguem discedere. *Id. ad At. lib. 3.*

34. * Si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine ullo metu summa cum honestate vivemus. *Idem pro Cluent.*

35. * Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum. *Idem ad Torquat.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 26. in tit. Confessio, núm. 3. in tit. Conversatio, núm. 9. in tit. Fama, núm. 6. in tit. Gloria bona, núm. 1. in tit. Honestas, núm. 2. in tit. Injuria, núm. 6. in tit. Solitudo, núm. 1, 18, 23. in tit. Virtus, núm. 27.

CONSIDERATIO SUI.

1. Remotis obstaculis insanæ opinionis scelera nuda judicentur: nuda pensentur: nuda inspiciantur, fallacia tegimina, et vanæ laudes gloriæ auferantur, et adparebunt miseriæ peccatorum. *Aug. lib. 3. de Civit. Dei.*

2. Eunt homines mirari alta montium, et ingentes fluctus maris et altitudines montium, et altissimos lapsus fluminum, et Oceani ambitum, et gyros syderum, et relinquunt seipsos, nec mirantur. *Aug. lib. 10. confession.*

3. Magis cogitare debetis quid nobis desit, quàm quid vobis adsit. Quod habes, cave ne perdas. Quod nondum habes, supplica ut habeas. In quantis sis minor est considerandum, non in quantis sis major. Si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem: si vero cogitas quantum tibi deest, ingemiscis, curvaris: si humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaveris, non laberis. *Aug. super Matth. serm. 39.*

4. Supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est ut agnoscant te, qui infra te sunt: Ideoque dum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt eum supra se leones. *Aug. super epist. Joan. c. 8.*

5. Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quam qui ea non respecta, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum, et fastigia cœlorum scrutatur. *Aug. in proœ. 9. de trinit.*

6. O homo si consideres, quid per os, quid per

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nares cæterosque meatus egrediatur, nunquam vilius sterquilinium invenisti. *Aug. in serm.*

7. Vix aliquis ab hoc vitio invenitur alienus, quia unusquisque suis favens, aliena facilè reprehendit, sumens auctoritatem arguendi sine exemplo suæ emendationis. *Hier. in glo. sup. Matth. 7. Quid vides festuc. etc.*

8. Quum bona, fratres, agitis, semper ad memoriam mala acta revocate, ut dum ante culpa conspicitur, nunquam de bono opere incaute animus lætetur. *Greg. in hom.*

9. Quanto quis minus se videt, tanto minus sibi displicet: et quanto majoris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit. *Greg. 25. moral.*

10. Considerata infirmitas, propria mala mollit, excusat aliena. *Greg. 5. moral.*

11. Qui plenissime appetit intelligere qualis est, talis nimirum debet conspicere, qualis non est: ut ex bonorum forma metiatur ipse, quanto deserto bono deformis est. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris judicare. Lumen inteligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. *Greg. ibid. in moral.*

12. Quatuor sunt qualitates, quibus justi viri anima in compunctione vehementer afficitur, quum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit: aut judiciorum Dei sententiam metuens, et secum querens considerat ubi erit: aut quum mala vitæ præsentis attendens, solerter mœrens, considerat ubi est: aut quum bona supernæ patriæ contemplatur: quæ quia necdum aspicitur, lugens conspicit, ubi non est. *Ibid. l. 23.*

13. Posito prosperæ fortitudinis fundamento, quum fabrica in altum ducitur, necesse est, ut unusquisque proficiens vires caute metiatur: ut quum divina constructione magnus jam esse cœperit, semetipsum respiciat sine cessatione, quid fuit: quatenus attendens humiliter quod præter meritum inventus est, nequaquam arroget quod per gratiam factus est. *Greg. 28. moral.*

14. Cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cum recta agit, considerare meliorem merita negligit. At contra magno humilitatis radio sua opera illustrat, qui aliorum bona subtiliter pensat, quia dum ea quæ ipse feliciter facta foris ab aliis conspicit, eum, qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem præmit. *Greg. 13. moral.*

15. Scio neminem absque sui cognitione salvari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, et timor Domini: qui et ipse sicut initium sapientiæ, ita et salutis est. *Ber. super cant. serm.*

16. Primum ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, consideratio purificat: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, et ordinat: postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. *Bern. ibid. de consideratio.*

17. Consideratio est, quæ confusa discriminat, sparsa colligit, secreta rimatur, verum investigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, in adversis prosperat, præsentit in adversis quasi non sentit. *Bern. ibid. de consid. ad Eug.*

18. Spiritualis homo omne opus suum terna quadam consideratione præveniet: prius quidem an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat. *Ibidem.*

19. Consideratio tui in tria quædam dividatur. Si consideres quid, quis, qualis sis, quid in natura, quis in persona, qualis in vita. *Bern. ibid.*

20. Alter alterius culpam citò intelligit, suam autem difficile: quia homo in causa alterius tranquillum habet cor, in sua autem turbatur: perturbatio autem cordis non permittit hominem considerare quod bonum est. *Chrys. super illud Matth. Væ vobis Scribæ et Pharis. qui ædif. sep.*

21. Est primum hominis sapientiam affectantis contemplari quid ipse sit, quid intra se, quid infra, quid supra, quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructum, utilitatem

sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. *Chrys. in tract. de sym. lib. 3.*

22. Qualiter in alienis vides tam parva, et in tuis tam magna transcurris? Si te magis amas, quam proximum, quare ipsum procuras, et non teipsum? Si autem teipsum contemnis, manifestum est, quod jam non procuratio est, sed detractio potius. Cum enim diligentia investigare oportet, quæ tua sunt, et ita ea, quæ proximi sunt decernes. *Chrys. super illud Matth. 7. Quid autem vides festucam in oculo.*

23. Omnis gravis angustia, si me inspicio, non tolero meipsum, si non inspicio, nescio meipsum. Si me considero, terret me facies mea: si me non considero, fallit me damnatio mea: si me video, horror est intolerabilis: si non video, mors inevitabilis. *Anselm. in suis med.*

24. Tamdiu quis peccata sua, quæ nosse et flere debet, ignorat, quandiu curiose aliena considerat. Quod si mores suos ad seipsum conversus aspiciat, non requirit, quod in aliis reprehendat, sed in seipso quod lugeat. *Prosper de vita contemplativa, lib. 2.*

25. Revera omnium causarum difficillimum est seipsum cognoscere. Non enim solus oculus ea quæ extrinsecus habentur, inspiciens seipsum non valet intueri, sed etiam mens ipsa satis acute aliena delicta contemplans, tardior est erga suorum cognitionem vitiorum. *Basil. in examer. lib. 9.*

26. Frustra enim cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad vivendum seipsum. Prius enim est, ut cognoscas invisibilia spiritus tui, quam possis esse idoneus ad cognoscendum invisibilia Dei: et si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea, quæ sunt supra te. Præcipuum et principale est speculum ad videndum Deum animus rationalis intuens seipsum. *Hugo. lib. 3. de anim. c. 6.*

27. Redi ergo ad cor tuum, et subtiliter discute teipsum, considera unde venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid admitis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incusaris, quibus affectibus frequentius tangeris, vel quibus tentationum machinis à maligno spiritu acrius impugnaris: et quum totum interioris et exterioris hominis statum, et habitum, et quantum possibile est, plene cognoveris, non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei. *Hugo. ibid. 3.*

28. Melior es, si teipsum cognoscas, quam si te neglecto, cursus syderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cœlestium omnium et terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, et seipsos nesciunt, cum tamen summa philosophia sit cognitio sui. *Hugo. lib. 2. de anim. c. 9.*

29. Disce ex tuo spiritu cognoscere, quid debeas de aliis spiritibus æstimare, hæc porta, hæc schola, hic introitus, iste ascensus, hac intratur ad intima, hac elevatur ad summa, ex hac siquidem proficisceris ad cognitionem omnium cœlestium, terrestrium et infernorum. *Ibidem.*

30. Magnus accessus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ. Locis corpora continentur, animi autem locus est affectio sua. Magna est utilitas servo Dei propriam infirmitatem recognoscere: atque in suis viribus, aut meritis nullam fiduciam habere. Tunc enim incipit adesse virtus divina, quando deficere incipit præsumptio humana. *Cass. super illud Psalm. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.*

31. Humanæ naturæ ista conditio est, ut tantum cæteris rebus, cum se cognoscat, excellat: eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare natura est, hominibus vitio venit. *Boëtius lib. 2. de consol.*

32. In moribus quibus afficiuntur, quo quis se pejus habet, minus sentit: gravis sopor etiam somnia extinguit, animam alterius mergit, quod uti nullo intellectu possit. *Senec. epist. 54.*

33. Animus quotidie ad rationem reddendam est

vocandus. Faciebat Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogabat animum suum, quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? desinet ira vel moderatior erit, qui sciet sibi quotidie ad judicem veniendum: Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur! quam tranquillus, quam altus ac liber! *Senec. lib. 3. de ira ante finem.*

34. Maximum argumentum est animi ab altiori sede venientis, si hæc in quibus versatur, humilia judicat, et angusta: si exire non meluit: scit enim, quod exiturus sit: qui unde venit, meminit. *Senec. in quadam epist.*

35. Etiam oblivisci, quid sis interdum expedit. Nisi æstimatis viribus aggrediaris sarcinam, subjacebis. *Senec. in prov.*

36. * Ad rem gerendam qui accedit, caveat ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem: in quo considerandum est illi, ne aut temere desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem, in omnibus autem negotiis priusquam aggrediare, atribuenda est preparatio diligens. *Cic. 1. offic.*

37. * In omnibus, quid tempora petant, aut personis dignum sit, semper considerandum. *Cic. 2. de Invent.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 44, 45. in tit. Caro, núm. 22, 23. in tit. Contemptus, núm. 6. in tit. Correctio, núm. 20, 45, 60, 61, 88. in tit. Curiositas, núm. 1. in tit. Discretio, 4, 9. 14, 15, 16. in tit. Honor, núm. 25. in tit. Ignorantia, núm. 6. in tit. Mirabile, núm. 7. in tit. Miseria, núm. 11. in tit. Mors, núm. 31. in tit. Præsumptio, núm. 16. in tit. Prosperitas, núm. 21. in tit. Sacerdos, núm. 20. in tit. Sanctitas, núm. 8, 9. in tit. Superbia, num. 39. in tit. Timor, núm. 12. in tit. Venia, núm. 28.

CONSILIUM.

1. * Consilium omne à Deo est, à quocumque proficiscatur. *Aug. lib. 1. de doctr. Christ.*

2. * Consilium Dei nemo nisi spiritualis intelligit. *Aug. in lib. exp. quest. 4.*

3. Advertendum, quod in acquirendis consiliis plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiæ usus, facilitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? quis utilem judicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Quomodo enim potero eum judicare consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro. An eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi: et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat? cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia subjugat, cupiditas perturbat. *Ambr. de offic. lib. 2.*

4. Necesse est, ut præstantior sit, à quo consilium petitur, quam ille sit, qui petit. Qui enim consulas hominem, quem non arbitreris posse melius aliquid reperire, quam ipse intelligis. *Ibidem.*

5. Talis debet esse, qui consilium dat: ut seipsum formam aliis ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate: ut sit ejus sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora. *Ibidem.*

6. Quantò utilius regem Pharaonem Joseph consilio providentiæ juvit, quam si pecuniam contulisset! Pecunia enim unius civitatis ubertatem non redimeret, et prospicientia Joseph totius Ægypti per quinquennium famem repulit. Facilè autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt: hæc usu augentur, pecunia minuitur, et citò deficit: ut quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adjuves, et sæpè tibi desit, quod alii conferendum putaveris. Consilii opis-

que collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manat, et in suum fontem recurrit. *Ibidem.*

7. Quid tibi prodest habere sapientiam, si consilium neges? Si consulendi copiam includas, clausisti fontem, ut nec aliis influat, nec tibi prosit. *Ibidem.*

8. * Consilium bonis datur, correctio errantibus. *Ambros.*

9. Valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur, quia quo plus se posse conspicit eo virtus sine moderamine deterius in præceps ruit: mens quæ intus sedem consilii perdidit, foras se per desideria innumerabiliter spargit. *Greg. in moral.*

10. Dare stulto consilium charitatis est: dare sapienti, ostentationis: dare verò tempore perversitatis, sapientiæ. *Greg. in moral.*

11. Nulla consilia meliora sunt, quam illa quæ ignoraverit adversarius ante, quam facias. Quum igitur consilium tuum cognoveris adversariis proditum, dispositionem mutare te convenit. Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid verò facturus sis, cum paucissimis ac fidelissimis vel potius ipse tecum. *Vegetius de re. mil.*

12. Consilium est examinandarum, gubernandarumque causarum subtilis animi prospectus. *Tull. 2. Rhetor.*

13. Deliberatio est ante quodlibet inceptum plena maturitatis et solertiæ consideratio. *Ibidem.*

14. Non viribus, non velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio antiquorum et scientia: quibus non orbari, sed etiam augeri solet senectus. *Tull. in lib. de Sen.*

15. * In rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus spectantur. *Tull. 2. de Orat.*

16. Magna enim est et infinita prudentia, quam nemo sic assequitur, ut eam non necessario per alios quærere videatur. Senes ipsi consiliis sapientiam discunt, et á maturis in commune quæritur, quod pro omni utilitate tractatur. Solatium curarum frequenter

sibi adhibent maturi reges, et hinc meliores æstimantur, si soli non omnia præsumunt. *Cass. par. 2. lib. 1. epist. 9.*

17. Plurimum laudis juvenes moribus suis applicant: quoties de negotiorum meritis ambigentes ad peritorum consilia decurrunt. *Ibidem.*

18. Consilium quippe imitari negligit improvidus, sapientiam verò ille quærit in altero, penes quem est scientiæ magnitudo. *Cass. ibid. lib. 3. epist. 4.*

19. Quidam ea semper differunt, quæ differri non expedit, ibique sunt præcipites, ubi res saniore consilio indigent. *Pet. Rav.*

20. Quidam omnia imprudenter agunt, et ipsis pro voto succedunt. Quidam ad omnia consilio se disponunt, et semper in contrarium eis cedunt. *Pet. Rav. in quadam. epist.*

21. In magnorum discriminum angustiis ubi domestica consilia remedium non invenerunt, eorum suffragia imploranter, quorum prudentiam in altioribus negotiis experientia diuturnior approbavit. *Ibidem.*

22. Ubi publica jactura est, et commune dispendium, sicut dolore in universitatem se porrigit, ita communi consilio et auxilio est utendum. *Ibidem.*

23. Consilium peritorum ex apertis obscura existimat: ex parvulis magna: ex proximis remota: ex partibus tota: scit enim, qua via aggredi debeat, et cito singula et distincte videt. *Pet. Rav. ibid.*

24. Tunc consilia salutaria advoca, quum tibi alludit vitæ prosperitas: tunc te velut in lubrico relinebis: nec tibi dabis impetus liberos: sed circunspicies quò eundum sit, et quousque. *Senec. in epist.*

25. Maxime sunt contraria consilio, festinatio et ira velox: consilium sequitur pœnitentia. *Senec. lib. de Ira.*

26. Non disponet singula, nisi cui jam vitæ suæ summa proposita est. Nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi jam constet, quid velit pingere. Scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere: et tunc dirigere ac moderari ma-

nu telum. Errant consilia nostra, quia non habent, quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat nullus suus ventus est: necesse est multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu. *Sen. epist. 72.*

27. Quidam quæ tantum amicis commitenda sunt, omnibus narrant, et in quaslibet aures quicquid illos urit, exonerant: quidam etiam rursus charissimorum conscientiam reformidant: et si possent, ne sibi quidem crediturі intus premunt omne secretum. Neutrum faciendum est: utrumque enim vitium est, et omnibus credere, et nulli: sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. *Senec. 2. Par. Epist. 2. epi.*

28. Pauci sunt, qui consilio se suaque disponunt, cæteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. *Senec. epist. 2.*

29. In æquo autem est amissæ rei dolor, et timor amittendæ: nec ideò tibi præcipio negligentiam: tu verò metuenda declina. Quicquid consilio prospici potest, prospice: quodcumque læsurum est, multo ante, quam accidat, speculare et adverte. *Ibidem.*

30. Diu delibera, citò facito: nihil curare, hoc est insanum esse: nihil posse, hoc est mortuum vivere. *Senec. in prover.*

31. Sepultus sit sermo apud te, quem tu solus audieris. Consilio melius vinces, quam iracundia. *Ibid.*

32. Deliberandum est diu, quicquid statuendum est semel: deliberare utilia, mora est tutissima: mora omnis odio est, sed facit sapientiam. *Ibidem.*

33. Fortuna homini plus quam consilium valet, malo consilio fœminæ vincunt viros. *Ibidem.*

34. Recta consilia capere possumus, si, quæ nos lædere potuere, agnoscamus. Si solicitus fueris, judicium prævenies: occasio tabernaculum mentis est, si in bono utaris: si in malo, caligo. *Ibidem.*

35. Hoc plerumque facimus, ut consilia eventibus ponderemus: et cui bene quid processerit, multum illum prævidisse: cui secus, nihil sensisse dicamus. *Ci. in Ra.*

Vide etiam in tit. Fortitudo, núm. 13. in tit. Prudentia, núm. 9, 14, 18, 19, 20, 21.

CONSOLATIO.

1. Hoc est quod nos et lætificat in omnibus laboribus et periculis vitæ hujus: amor noster in Deum, et pium studium, et certa spes, et fervor spiritus. *Aug. super Joan.*

2. Si paupertas angit, si luctus mœstificat, si dolor corporis inquietat, si ulla calamitas vexat, adsunt boni homines, qui non solum gaudere cum gaudentibus, sed flere cum flentibus norunt, leniuntur aspera, relevantur gravia, et superantur adversa. *Aug. ibid.*

3. Consolatio mitis debet esse, non aspera: quæ magis dolorem leniat, fervorem mitiget, quam commotionem excitet. *Ambr. in lib. de Joseph.*

4. Paupertatem times, sed bonos pauperes Christus appellat. Labore terreris, nemo athleta sine sudoribus coronatur: de cibo cogitas, sed fides famem non timet. Deus ipse omnium rector ac dominus cum omnia angelorum militia certamen tuum expectat: tibi contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. *Hier. in quadam epist.*

5. Non plangam cum Jacob et David filios in lege morituros, sed cum Christo in Evangelio suscipiam resurgentes, Judeorum luctus, Christianorum gaudium. Unde Moyses moriens plangitur: Jesus absque funere et lacrymis in monte non sepelitur. *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Hier. ad Heliod. de mor. Nepot. presb.*

6. Quum volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, ordo consolationis est, ut studeamus prius mœrendo, ejus luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori: quia eo ipso quod à mœrentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur. Sed emolliri prius debet animus, ut afflicto congruat: congruens inhæreat, inhærens trahat: nec ferrum ferro conjun-

gitur, si non utrinque exustione ignis liquetur. Durum molli non adhæret, nisi prius ejus duritia mollescat. Sic nec jacentem erigimus, nisi à rigore nostri status inclinemur: quia dum rectitudo dantis à jacente discrepat, eum, cui condescendere negligit, nequaquam levat. *Greg. lib. 15. moral.*

7. ' Magna consolatio tribulationum est Auctoris nostri dona ad memoriam revocare. *Greg. VI moral.*

8. Magna est consolatio in eo, quod displicet quod ordinante illo erga nos agitur: cui non nisi justum placet. *Greg. lib. 2. moral super illud: Dominus dedit, Dominus abstulit, etc.*

9. Festina consolatio bonorum, consideratus finis malorum: dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt, quod evadunt, leve æstimant, quicquid adversum in hac vita patiuntur. *Greg. 21. moral. super illud Job. Perditio est iniq. etc.*

10. Facilius erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæ fecimus ad memoriam delicta revocamus, atque hæc jam non flagella, sed dona esse conspicimus, si quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus. *Greg. in re.*

11. Non sis miser ante tempus, quum illa quæ velut imminentia expavisti, fortasse nunquam ventura sint, certe non venerunt. Quædam ergo nos magis torquent, quàm deberent: quædam ante torquent, quam debent: quædam autem torquent, cum omnino non debeant, aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præocupamus. Si enim futurum est, quid juvat dolori suo occurrere? Satis cito dolebis quum venerit. Interim tibi meliora promitte. Aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est, et aliquis carnifici suo superstes fuit. Sæpe enim nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid prænuntient, animus sibi falsas imagines fingit: aut verbum aliquod dubiæ significationis detorquet in pejus: aut majorem sibi offensam proponit alicujus, quam est, et cogitat non quantum iratus ille sit, sed quantum liceat irato. *Sen. 15. epist.*

12. Quicquid fieri potest quasi futurum cogitemus,

circumspicienda duo sunt: et futuri timor, et veteris incommodi memoria: hoc ad me jam non perficiet, illud nondum. Grata superveniet, quæ non sperabitur hora. *Senec. 79. epist.*

13. Noli mala tua facere tibi graviora, et te querelis onerare. Levis dolor est, si nihil illi opinio adjecerit: e contra, si te exhortari cœperis, ac dicere, nihil est, aut certe exiguum est, duremus, jam desinet: levem illum dum putas, facies: omnia ex opinione suspensa sunt, tam miser est quisque, quam credit. *Senec. 88. epist.*

14. ' Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, si tanto tempore reparentur cuncta, quanto finiuntur. *Idem epist. 92.*

15. Socrates cum ex amicis quemdam graviter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatusque est, ut per omnes subjectorum ædificiorum partes oculos circumferret: quo facto, cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis, et olim fuerunt, hodieque versentur, et in sequentibus seculis sint habitaturi, ac mitte mortalium incommoda, tanquam propria dellere. *Val. Max. lib. 7. de memor.*

16. Numerum convivarum incipere oportet à Gratiarum numero, et progredi ad numerum Musarum, id est, proficisci à tribus, et consistere in novem, ut non sint pauciores quam tres, nec plures, quam novem. Non convenit enim multos esse, eo quod turba est plerumque turbulenta. Nec loquaces, inquit, convivas, nec mutos eligere oportet: quia eloquentia in foro, silentium verò non in convivio, sed in cubiculo. Sermones igitur illius temporis habendos non de rebus anxiis, non tortuosis sed ex quibus ingenium venustatis fiat, et amœnum, et cum quadam voluptate utile. *Aul. Gel. lib. 15.*

17. ' Hæc sunt officia consolantium: tollere ægritudinem funditus, aut sedare: nec pati manare longius, aut ad aliam traducere. *Cicer. 3. Tusc.*

18. ' Sunt qui consolationem respuant: sed refert quomodo adhibeatur: ut enim tulerit quisque eorum,

qui sapienter tulerunt, non quo quisque incommodo prædicandum est. *Ibidem.*

19. * Consolationum multæ sunt viæ: sed illa rectissima, impetret ratio quod dies impetratura est. *Cicer. ad Ate.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 11, 29. in tit. Amissio et Conscientia, núm. 6. in tit. Dolor, núm. 2, 4, 7. in tit. Gaudium, núm. 5. in tit. Mors, núm. 2. 20, 70. in tit. Paupertas, núm. 14. in tit. Sapientia, núm. 32. in tit. Timor, núm. 23, 24, 25, 26. in tit. Tribulatio, núm. 13, 15, 23.

CONSUETUDO.

1. Consuetudo quasi secunda, et quasi affabricata natura dicitur. *Aug. lib. 6. de Mus.*

2. Solet recta opinio pravam corrigere consuetudinem, et prava opinio rectam depravare naturam. *Aug. de doct. Christ.*

3. *In dolore paries filios.* Verum est sacramentum hujus sententiæ, quod nulla abstinentia sit à voluptate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectatur: quod quum pervenerit, quasi natus est filius, id est, ad bonum opus paratus affectus per consuetudinem bonam: quæ consuetudo ut naceretur, cum dolore reluctandum est consuetudini malæ. *Aug. de Gen. cont. Man. lib. 2.*

4. Lex peccati, est violentia consuetudinis: qua trahitur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur. *Aug. lib. 2. confes.*

5. Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ utilitate adjuvat, tamen novitate perturbat, quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est. *Aug. lib. 1. ad Jan.*

6. Peccata, quamvis magna et horrenda, quum in consuetudinem venerint, aut parva esse aut nulla creduntur: usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda diffamandaque videantur. *Aug. in Enchirid. cap. 82.*

7. Vincere consuetudinem dura est pugna. *Aug. super Psalm. 30.*

8. Moles imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima: nec resurgere, nec respirare permittitur, dictum est autem, *quatriduanus est.* Revera istam consuetudinem de qua loquor, quodam progressu pervenit anima. Prima est quasi titillatio delectationis in corde: secunda consensio: tertia factum: quarta consuetudo. *Aug. super Matth. ho. 45.*

9. Nolite fratres mei contemnere peccata, in quibus forte consuetudinem jam fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit: et sit homini quasi nullum sit: obduruit jam, dolorem perdidit, et valde putre est: nec dolet: quod non dolet, non pro sano habendum est, sed pro mortuo computandum est. Quando aliquid pungitur et dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet, pro mortuo habendum ac de corpore præcidendum. *Aug. in ser. quartæ dominicæ de adventu.*

10. In his rebus, de quibus nihil certi divina statuit Scriptura, mos populi Dei, et olim instituta majorum, pro lege tenenda sunt: et sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coërcendi sunt. *Aug. in epist. ad Casul. et ponitur 11. di. in his.*

11. Mos est simul habitantium consensus, qui inveteratus consuetudinem facit. *Aug. de diffin.*

12. Asperam nobis et insuavem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo: quæ si in alteram partem transferatur, invenitur semita justitiæ levis. *Hier. in ep. ad Celan.*

13. Quum culpa in usum venerit, ei jam animus, etiam si appetat, debilius resistit: quia quod vicibus pravæ frequentationis astringitur quasi tot vinculis ad mentem ligatur. *Greg. lib. 4. moral.*

14. Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem conatur et labitur: quia

ubi diu sponte perstitit, ibi quum noluerit coacta cadit. *Greg. super Evang. homil. 31.*

15. Sæpè nonnulli exire à pravis actibus cupiunt: sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi á semetipsis exire non possunt. *Greg. lib. 11. moral.*

16. Tenent pravæ consuetudines, quem semel ceperunt: atque quotidie duriores existunt: et non nisi cum peccatoris vita finiuntur. *Greg. lib. 15. moral.*

17. Antiquus hostis prius quasi consulens blanda ad animum loquitur: sed quum semel dentem delectationis infixerit, violentia post consuetudinem penè insolubiliter innodatur. *Ibidem.*

18. Abscindatur ferro aculæ compunctionis ulcus inveteratæ consuetudinis: si est acerbus dolor, leniatur unguento devotionis. *Bern. super Cant.*

19. Usus facit virtutes, non natura: tuum est autem abutendo facere vitia, aut bene utendo virtutes. *Bern. de consid. lib. 2.*

20. Consuetudo est jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur et tenetur, quum ea deficit. *Isid. lib. 2. de Etym.*

21. Consuetudo authoritati cedat: pravum usum lex et ratio vincat: quum verò nec sacris canonibus, nec humanis legibus consuetudo obviare monstratur, inconcussa servanda est. *Isid. in Synoni. lib. 2.*

22. Difficilè est peccati consuetudinem vincere: pravus usus vix aboletur: assidua consuetudo vitium in naturam convertit. Animus sceleribus astrictus, vix ab eis divelli potest. *Isid. lib. 1. soliloquiorum.*

23. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum regem, orbisque dominatorem in moribus et incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus parvulus adhuc fuerat imbutus. *Beda de templ. Sal. lib. 2. Et est glos. super illud Prov. 22. Adolescens juxta viam suam, etc.*

24. Non parvus est labor, ut se aliquis á priori non bona consuetudine reflectat, ac revocet: quoniam

quidem mos longo tempore confirmatus, vim quodammodo obtinet naturæ. *Basil. in sua reg.*

25. Quidam de sapientibus dixit: Benè consuetos pudebit dissuecere: et iterum: Bona loquamur, transiet sermo in affectum, juxta illud: Qui non assuescit virtuti, dum jùvenescit, à vitiis nescit discedere, quando senescit. Et econtra: Quod in juventute addiscitur, in matura ætate servatur. *Max. in serm. de Joan. Bapt.*

26. Consuetudo quæ apud quosdam irrepserat, impedire non debet, quo minus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est, propter quod relicto errore sequamur veritatem: scientes quòd veritas vincit, veritas valet, et invalescit in æternum: et vivit, et obtinet in sæcula sæculorum. *Cypr. in serm. et ponitur dist. 8. dec.*

27. Sic fit ubi homines majorem vitæ partem in tenebris agunt, ut novissime Solem quasi supervacuum fastidiant. *Senec. lib. 2. Rhetoricæ suæ.*

28. Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent: et desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt. *Senec. 28. epist.*

29. Diu in istis vitiis jacuimus: evelli difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti. Non est morbus inter vitia contemnendus: potest adolescentia injurias ferre, et se adversus morbos contumaciter gerere: ubi verò senectus incubuit, facilius est morborum vitia prohibere, quam impetum regere. *Sen. 85. epist.*

30. Inter causas malorum nostrorum quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nolemus imitari: quum plures facere cœperunt, quasi honestius sit: quia frequentius sequimur, et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. *Senec. in extr. par. epist.*

31. Educatio et disciplina mores facit: et id sapit unusquisque, quod didicit. Itaque bona consuetudo exculere debet, quod mala instruxit, bene docet lo-

qui, bene docet facere. *Senec. in lib. de moribus.*

32. Gravissimum est imperium consuetudinis. *Sen. in pro.*

33. Quicquid in excelso fastigio positum est, humili et certa consuetudine quo fit venerabilius, vacuum esse convenit. *Val. Max. lib. 2. de mem.*

34. * Consuetudinis magna vis est, pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. *Cicer. 2. Tusc.*

35. * Consuetudo peccandi, maleficii removet dubitationem. *Cicer. ad He.*

Vide etiam in tit. Conversatio, núm. 1, 2. in tit. Devotio, núm. 3. in tit. Homo, núm. 10.. in tit. Lascivia, núm. 1. in tit. Lex, núm. 6. in tit. Obstinatio, núm. 5. in tit. Peccatum, núm. 1. 6. in tit. Voluptas, núm. 16.

CONTEMPLATIO.

1. Contemplatio est illa species, quæ rapit omnem animam desiderio sui tanto ardentiorem, quanto mundiorem: et tanto mundiorem, quanto ad spiritualia surgentem, quanto carnalibus desideriis, et terrenis affectibus morientem. *Aug. de Trinit.*

2. Qui didiscerunt á Domino Jesu Christo miles esse et humiles corde, plus cogitando et orando proficiunt, quam legendo et audiendo. *Aug. in epist. ad Paulinum.*

3. Tuta vita est, in qua nihil sit, quod timeas, quæ compensatur mentis placiditate, levatur usu, sustentatur otio, non occupatur alienis molestiis, non urgetur urbanis discursibus. *Amb. in epist. ad Vercell. Ecclesiam.*

4. Hæc in Judæa usque hodie perseverat consuetudo, non solum apud nos, sed etiam apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, et patrem non habent in terra, nisi solum Deum, totius orbis foveantur ministeriis. *Hier. cont. Vigil.*

5. Mens nostra ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his, quæ exterius implicant, studiose subtrahatur. Mens nostra nullo modo ad viam intimæ contemplationis rapitur, nisi studiose prius á terrenorum desideriorum tumultu sopiatur. *Greg. lib. 5. moral.*

6. Nunquam commolioni contemplatio jungitur, nec prævalet mens perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec Solis radius cernitur, quum commotæ nubes cœli faciem obducunt: nec turbatus fons respicientis imaginem reddit, quam tranquillus proprie ostendit: quia quo ejus unda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat. *Ibid.*

7. Contemplari Dei sapientiam non possunt, qui sibi videntur esse sapientes: quia tanto ab ejus luce longè sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt: quia in eorum mentibus dum rumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit: et unde se lucere præ cæteris æstimant, inde se lumine virtutis privant. *Greg. lib. 18. moral.*

8. Perfectus prædicator non est, qui propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. *Greg. super Ezech.*

9. Contemplativa vita est, charitatem Dei et proximi retinere, et ab exteriori actione quiescere. Soli desiderio conditoris inhærere, ut nil jam habere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat. *Ibidem.*

10. Contemplativa vita meritò major est, quàm activa, quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa verò sapore intimo venturam requiem degustat. *Greg. super Ezech.*

11. Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis appetunt, de quo si districte judicentur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. *Greg. in quadam epist.*

12. Sæpe enim qui contemplari Deum quiete poterant, occupationibus pressi ceciderunt: et sæpe qui occupati humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. *Greg. lib. 6. moral.*

13. Sæpe misericors Deus, quo suos tenere diligit, eo solicite ab externis actionibus abscondit. Nam et plerumque pater familias ad eum laborem servos dirigit, à quo subtiles suspendit, et inde filii vexatione decori sunt, unde servi in pulvere fœdantur. *Greg. lib. 25. moral.*

14. Omnis, qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet: quia et cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet, et in ipso stat, quia pedem amoris seculi, quem ponere in terra consueverat, jam à terra suspensum portat. *Greg. super Ezech. ho. 2. ext. pa.*

15. Quum contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, prius se in campo per exercitium operis probent, ut solicité sciant, si nulla jam mala proximis irrogant, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si objectis bonis temporalibus, nequaquam mens lætitia solvitur, si subtractis non nimio mœrore sauciantur: aut deinde perpendant si quum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quod spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium umbris trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt. *Greg. 6. moral.*

16. Sine contemplativa vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt: sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari, quæ possunt. *Greg. ho. 2. super Ezech.*

17. ' Contemplatio divinæ suavitatis et gloriæ solis mente et corpore puris conceditur. *Bern. in Cant. serm. 67.*

18. ' Contemplationis accessus duo sunt, unus in intellectu, alter in affectu: unus in lumine, alter in fervore, unus in acquisitione, alter in devotione. *Ibid. serm. 46.*

19. ' Contemplationis quies pro lucro animarum libenter intermittenda est. *Ibid. serm. 55.*

20. Noli nimis insistere oculis contemplationis: quia meliora sunt verba prædicationis: nam et si Rachel formosior, Lia tamen fœcundior est. *Bern. super cant. serm. 9.*

21. Felix domus et beata semper congregatio, ubi de Maria Martha semper conqueritur: nam Mariam Marthæ æmulari indignum prorsus est. *Bern. in quadam epist.*

22. Tria sunt quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque contemplatione veri luminis excludunt, scilicet tenebræ peccatorum, recordatio eorumdem peccatorum, et cura terrenorum actuum. Contra triplicem morbum triplex remedium est. Nam primus ejicitur per confessionem: secundus per orationem: tertius per quietem. *Bern. de consid. ad Eugen.*

23. Utilius est per simplicem actionem ire ad vitam æternam, quam per contemplationis errorem mitti in gehennam. Multos enim Deus ex carnalibus sua gratia visitat, et ad contemplationis fastigium elevat: multosque á contemplatione justo judicio deserit, et lapsos in terrenis operibus derelinquit. Loth enim in perversa civitate justus fuit, et in monte peccavit. *Isid. de sum. bon. lib. 3.*

24. Qui prius in activa vita proficit, bene ad contemplationem conscendit: merito enim in ista extollitur, qui in illa utilis invenitur. *Isid. de sum. bon. lib. 3.*

25. Activa vita est, panem esurienti tribuere, verba sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissis nobis, qualiter subsistere valeant providere. *Bern. super illud Luc. Intravit Jesus, etc.*

26. Nemo potest eorum qui delectantur presentibus et caducis, cœlestia ac spiritualia contueri: qui verò ista contempserit, et velut umbram hæc ac pulverem duxerit, velocius ad illam perveniet. Nam et

apud homines hic mos est, ut tunc thesauros suos, reconditasque divitias patefaciant filiis suis, quum eos adultos jam viderint, et puerilis lasciviæ vitia respuisse. *Chrysost. in lib. de compunctione cordis.*

27. Habet activa profectum, contemplativa fastigium: hæc facit sanctum, illa perfectum: hujus vitæ est nulli prorsus injurias irrogare: illius irrogatas æquanimiter sustinere. *Prosp. lib. 1. de vita contemplativa.*

28. Iste activus, qui suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subjectum, redimendo captivum, tuendo violenter oppressum, jugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, et vitam suam bonorum operum fructibus ditat. *Ibidem.*

29. Ille contemplativus, qui facultatibus suis in usus pauperum distributis, simul se expoliavit mundo, et totis viribus adhæret cœlo. Res mundi mundo projecit: et seipsum Christo devota mente restituit. *Ibidem.*

30. Activa vita habet solicitum cursum: contemplativa gaudium sempiternum. In hac acquiritur regnum, in illa percipitur. Hæc facit pulsare bonorum operum velut quibusdam manibus januam: ista vocat consummandos in patriam. In hoc contemnitur mundus, in illa videbitur Deus. *Prosp. ibid.*

31. Quis enim nescit, quod sicut otium studiosum à carnalibus, ineffabilem suavitatem sapientiæ cœlestis infundit otioso; ita spiritualis occupatio, laborum sanctorum multiplices affert fructus humanæ societatis occupatio? Itineribus quidem diversis incedunt, sed ad unam patriam tendunt, et ad unum regnum disparibus militantes officiis Christo rege omnium vocante perveniunt. *Prosp. lib. 3. de vita contemplativa.*

32. Tria sunt genera meditationum. Unum in creaturis: unum in scripturis: unum in moribus. Primum surgit ex admiratione: secundum ex lectione: tertium ex circumspectione. Admiratio generat quæstionem, quæstio investigationem, investigatio inventionem. Lectio ad cognoscendam veritatem materiam ministrat, meditatio coaptat, oratio sublevat, operatio componit, et contemplatio in ipsa exultat. *Hugo. in meditationibus suis.*

33. Circumspectio in moribus duplici consideratione discurrit, intus et foris: foris ad famam: intus ad conscientiam: ut quid expediat, et quid deceat: deceat ad exemplum, expediat ad meritum: nobis ad vitium, proximis ad exemplum. *Hugo. ibid.*

34. Cogitatio vaga incessu semper huc et illuc divertit: sed meditatio destinata promotione semper in ulteriora tendit: contemplatio autem est libera mentis perspicatia, in sapientiæ speculo cum admonitione suspensa. Meditationis est perscrutari occulta, contemplationis est admirari perspicua. *Hug. in lib. de arca mystica.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 2. in tit. Caro, núm. 21. in tit. Consideratio, núm. 26, 27. in tit. Judex, núm. 7. in tit. Justitia, núm. 22. in tit. Meritum, núm. 4. in tit. Parentes, núm. 16. in tit. Perfectio, núm. 8. in tit. Religio, núm. 28. in tit. Solicitudo, núm. 6, 9, 16. in tit. Solitudo et Tentatio, núm. 15.

CONTEMPTUS.

1. Sedulo monendi sunt scolastici, ut humilitate induti christiana discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quam verborum amplius devitare, quia licet per ignorantiam grammaticæ artis aliquid vitiosum proferant presbyteri vel episcopi, non tamen ideo à scholasticis sunt despiciendi, sed corde casto prælatorum linguam exercitatam scholastici præferre non audeant: quam etiam proferre consueverant. Morum enim vitia magis, quam verborum sunt præcavenda. *Aug. de Catechizandis rudibus, et est. 28. distinct.*

2. Omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere contemnit. *Aug. ibid.*

3. Sicut solet generari ex assiduitate contemptus: sic attenditur ex ipsa raritate devotio. *Ambros. in quodam serm.*

4. Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt. *Hier. in epist. ad Lætam.*

5. Facile est viro opes contemnere, pecuniam dissipare, et projicere, quæ in momento et perdi et inveniri potest. Nam facile objicitur, quod extrinsecus hæret: hoc fecit Socrates, Thebanus, Antisthenes: fecerunt plurimi philosophi, quos vitiosissimos legimus. *Hier. in epist. ad Pammac.*

6. Quod enim sumus, hodie novimus: quid autem post paululum esse possumus, nescimus: hi verò, quos fortasse despicimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est, ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur: quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. *Greg. lib. 25. moral.*

7. Super altitudines terræ sustolitur, etiam ipsa, quæ gloriosa præsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat. *Greg. in registro super illud Sustollam te, etc.*

8. Pulchrè à conditis amorem subtrahunt, qui in ipsum auctorem pulchritudinis cordis passibus tendunt. *Greg. in moral.*

9. Si reum regiæ majestatis quamvis humanæ humanis legibus capite plecti, sancitum est, quis, finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? *Bern. super cant.*

10. * Qui terrena contempsimus, necesse est, ut flagrante desiderio cœlestia requiramus. *Bern. in Par. serm.*

11. Contemne divitias, et eris locuples: contemne gloriam, et eris gloriosus: contemne supplicia inimicorum, et tunc eos superabis: contemne remissionem, et quietem, et tunc eam recipies. *Chrys. super epist. ad Hebr. serm. 25.*

12. Intolerabilis res poscere nummos et contemnere. Indixisti pecuniæ odium, hoc professus es: hanc personam induisti, agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloria egestatis acquirere. *Senec. lib. 2. de beneficiis.*

13. Paupertati domum aperire, voluptates tenere sub fræno, meditari vel lætari de dolorum patientia: hæc qui apud se versat, in magno gaudio est, sed parum blando. *Senec. 22. epist.*

14. Facile contemnit omnia, qui ad contemptum sui venit. Vis ergò habere omnia? contemne omnia. *Senec. 85. epist.*

15. Insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit. Inexpugnabilis est, quem multis machinis lacessitum fortuna non transfixit: nunquam major est, quàm ubi aliena disposuit, et fecit sibi pacem, nil timendo divitias, nil concupiscendo. *Senec. epist. 85.*

16. Fabricius Pyrrhi regis aurum repulit, majusque regno judicavit, regias opes posse contemnere. *Senec. 5. de Benefic.*

17. Nondum felix es, si non te turba deriserit. Si beatus vis esse, cogita hoc, primum contemnere, et ab aliis contemni. *Senec. in lib. de moribus.*

18. Gravius est contemni, quam stultitia percuti. *Senec. in proverb.*

19. Sunt plurimi, qui multa verbis non re contemnunt, sed ipsa quæ spernunt, clam furantur. *Ibid.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 42, 43. in tit. Avaritia, núm. 68. in tit. Clericus, núm. 3. in tit. Consuetudo, núm. 33. in tit. Contemplatio, núm. 26. in tit. Contritio, núm. 3. in tit. Convitium, núm. 10. in tit. Cupiditas, núm. 14. in tit. Divitiæ, núm. 19, 39, 50, 51. in tit. Gloria bona, núm. 2, 3. in tit. Gloria vana, núm. 1. in tit. Honor, núm. 4, 24. in tit. Magnanimitas, núm. 11, 16. in tit. Mandatum, núm. 7. in tit. Munus, núm. 2. in tit. Nobilitas, núm. 2. in tit. Relinquere studium, núm. 1, 11. in tit. Virginitas, núm. 18. in tit. Vita, núm. 28. in tit. Christus, núm. 6.

CONTRITIO.

1. Alia est compunctio sive contritio, quæ per amorem nascitur, alia quæ per timorem, quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. *Greg. lib. 5. moral.*

2. Sæpe quod torpentes latuit, flentibus innotescit, et afflicta mens certius invenit malum, quod fecerat, et reatum suum, cujus secura non meminit, hunc in se commota deprehendit. *Greg. ibid.*

3. Qui nescit lugere, quod gravat, non valet proferre, quod subleval. Vis compunctionis poros cordis aperit, et pennas virtutum fundit: quumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit. *Greg. 21. moral.*

4. * Compunctionis principalia sunt, timor et amor. *Greg. lib. 3. Dialog.*

5. Quo uberius culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renovatur. *Greg. lib. 27. moral.*

6. Sola compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. *Chrys. in lib. de compunctione cor.*

7. Contritio est humilitas cordis, vera compunctio, magna agere, et humilia loqui, juste operari, et super peccatis timere, ac tremere. *Ibidem.*

8. * Compunctionem vel contritionem peccatorum qui non habet, non habet mundam orationem. *Bern. ad Soliloq.*

9. Gemitus dictus geminatus luctus, quem meritò fideles appetunt, quoniam diligentes consolatur, pœnitentes emundat, diabolum effugat, Christo conciliat: amaritudo dulcis, lachrymæ fœlices, salutaris afflictio. *Cass. super Psal. 6. Laboravi in gemitu, etc.*

10. Dominus nescit differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare. *Cass. super illud Psal. Ad Dom. cum tribularer etc.*

11. Contritio est gemebundi cordis commotio salutaris, seipsum lachrymarum eruptione testificans. *Hugo. lib. 3.*

12. Contritio est compunctio animi cum lachrymis, oriens ex recordatione peccati, et timore judicii. *Ibidem.*

13. Argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulatio est, quum ipsi ægros se esse sensere. *Senec. epist. 2.*

14. Magna pars bonitatis est, velle fieri bonum *Senec. 53. epist.*

15. Sciat se culpabiliter durum et durè culpabilem, qui corporalem amici sui mortem deplorat, et spiritualem animæ suæ mortem non deflet. *Innocent. de vilitate conditionis humanæ.*

16. * Contritio est unguentum sua fragantia totam domum ecclesiæ replens. *Bern. in cant. serm.*

Vide etiam in tit. Delitiæ, núm. 6. in tit. Devotio, núm. 11. in tit. Lachrymæ, núm. 3, 4, 6, 12, 18. in tit. Peccatum, núm, 8. in tit. Pœnitentia, núm. 13, 17, 27.

CONVERSATIO.

1. In diversis observationibus nulla disciplina melior gravi et prudenti Christiano, nisi ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quám fortè devenerit ad discendum, quod opus est. *Aug. de doct. Christ.*

2. Quisquis rebus prætereuntibus strictius utitur, quàm sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido in culpa est. *Aug. lib. 3. de doct. Christ. Et ponitur 41. distinct.*

3. * Conversationis alienæ sumus curiosi exploratores, aut judices temerarii. *Bern. in Cant. serm. 45.*

CONTRITIO.

1. Alia est compunctio sive contritio, quæ per amorem nascitur, alia quæ per timorem, quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. *Greg. lib. 5. moral.*

2. Sæpe quod torpentes latuit, flentibus innotescit, et afflicta mens certius invenit malum, quod fecerat, et reatum suum, cujus secura non meminit, hunc in se commota deprehendit. *Greg. ibid.*

3. Qui nescit lugere, quod gravat, non valet proferre, quod subleval. Vis compunctionis poros cordis aperit, et pennas virtutum fundit: quumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit. *Greg. 21. moral.*

4. * Compunctionis principalia sunt, timor et amor. *Greg. lib. 3. Dialog.*

5. Quo uberius culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renovatur. *Greg. lib. 27. moral.*

6. Sola compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. *Chrys. in lib. de compunctione cor.*

7. Contritio est humilitas cordis, vera compunctio, magna agere, et humilia loqui, juste operari, et super peccatis timere, ac tremere. *Ibidem.*

8. * Compunctionem vel contritionem peccatorum qui non habet, non habet mundam orationem. *Bern. ad Soliloq.*

9. Gemitus dictus geminatus luctus, quem meritò fideles appetunt, quoniam diligentes consolatur, pœnitentes emundat, diabolum effugat, Christo conciliat: amaritudo dulcis, lachrymæ fœlices, salutaris afflictio. *Cass. super Psal. 6. Laboravi in gemitu, etc.*

10. Dominus nescit differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare. *Cass. super illud Psal. Ad Dom. cum tribularer etc.*

11. Contritio est gemebundi cordis commotio salutaris, seipsum lachrymarum eruptione testificans. *Hugo. lib. 3.*

12. Contritio est compunctio animi cum lachrymis, oriens ex recordatione peccati, et timore judicii. *Ibidem.*

13. Argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulatio est, quum ipsi ægros se esse sensere. *Senec. epist. 2.*

14. Magna pars bonitatis est, velle fieri bonum *Senec. 53. epist.*

15. Sciat se culpabiliter durum et durè culpabilem, qui corporalem amici sui mortem deplorat, et spiritualem animæ suæ mortem non deflet. *Innocent. de vilitate conditionis humanæ.*

16. * Contritio est unguentum sua fragantia totam domum ecclesiæ replens. *Bern. in cant. serm.*

Vide etiam in tit. Delitiæ, núm. 6. in tit. Devotio, núm. 11. in tit. Lachrymæ, núm. 3, 4, 6, 12, 18. in tit. Peccatum, núm, 8. in tit. Pœnitentia, núm. 13, 17, 27.

CONVERSATIO.

1. In diversis observationibus nulla disciplina melior gravi et prudenti Christiano, nisi ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quám fortè devenerit ad discendum, quod opus est. *Aug. de doct. Christ.*

2. Quisquis rebus prætereuntibus strictius utitur, quàm sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido in culpa est. *Aug. lib. 3. de doct. Christ. Et ponitur 41. distinct.*

3. * Conversationis alienæ sumus curiosi exploratores, aut judices temerarii. *Bern. in Cant. serm. 45.*

4. * Conversari sic debet Christi minister, ut ex moribus exterioribus compositiones interiores existimentur. *Idem de trip. jud.*

5. * In initio conversationis nulla virtus magis necessaria, quàm simplicitas humilis et gravitas verecunda. *Idem in Epiph. Dom. serm. 4.*

6. Magis mores commendant statum, quàm status mores: etenim quo status inferior, eo virtus eminentior. *Ambr. in quad. epist.*

7. Semper in comitatu tuo graves fœminas habeas: mores enim et studia dominarum plerumque ex ancillarum et comitantium moribus judicantur: qualis enim quæque sit, talium consortio delectatur. *Hier. in epist. ad Demetr.*

8. Falsus rumor citò opprimitur, et vita posterior judicat de priori. Raro invenies qui ita irreprehensibilem vitam suam exhibere velint, ut non reprehendant alienam. *Hier. in quadam epist.*

9. Pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia: quomodo libidinosum, qui sua celat verba et vitia callide, interdum turpis sermo demonstrat: minoribus enim majora monstrantur. Vultuque et oculis dissimulari non potest conscientia, dum luxuriosa et lasciva mens lucet in facie, et secreta cordis motus corporis et gestibus indicat. *Hier. super 12. Prophetas, lib. 2. super illud, Ezech. Filii hominis, etc.*

10. Non valde laudabile est, bonum esse cum bonis sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse. *Greg. moral. super illud. Vir erat in terra. etc.*

11. * Res eximii prelii est inter malos laudabiliter conversari. *Greg. 1. moral.*

12. Sit in gestu tuo gravitas, in motu simplicitas, in incessu honestas, nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in tuo incessu appareat, animus enim in corporis gestu apparet, et species corporis, simulachrum est mentis, figuraque probitatis. *Isid. 2. lib. Soliloq.*

13. Sancta conversatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum. *Ibidem.*

14. Philosophus sic inter hostes vivendum censuit, tanquam inter amicos: et inter amicos, ac si in mediis hostibus viveretur. *Chrysost. lib. 3. de vestigiis philosoph.*

15. Cor hominum de operum ostenditur qualitate, et formas mentium species detegit actionum. *Leo papa in quodam serm.*

16. Quod potest redimi, non timetur: esse jam inter nocentes innoxium, crimen est: malos quisquis non imitatur, offendit consensere jura peccatis, et cœpit licitum esse quod publicum est. *Cypr. epist. 2.*

17. Disciplina est conversatio bona et honesta, cui parum est, non malum facere, sed stude etiam in his quæ bene agis, irreprehensibilis apparere. *Hugo in lib. de disciplina monach.*

18. Disciplina honestæ conversationis ex quatuor perpendi potest: ex gestu, motu, affatu et convictu. Gestus autem reprehensibilis est, si est aut mollis, aut disolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis, significat lasciviam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus sive impetuosus inconstantiam. *Hugo. ididem.*

19. Gestus hominis in omni actu debet esse gratiosus, sine mollitie: quietus sine dissolutione: gravis sine tarditate: alacer, sine inquietudine: maturus sine protervia, et sine turbulentia severus. *Hug. de disciplina monachorum.*

20. Temperanda est etiam facies et modificanda in gesto suo, ita ut nec protervè exasperetur, nec molliter dissolvatur, sed semper habeat rigidam dulcedinem, et dulcem rigorem, secundum illud Ecclesiastici XIX. *Ex visu cognoscitur cir, et ab occursu facici cognoscitur sensatus. Amictus corporis et risus dentium, et incessus hominis, enunciant e illo,* scilicet qualis sit: quia per illud, quod foris sive bene sive male agitur, interior animi qualitas intuentium oculis patenter indicatur. *Ibidem.*

21. In motu corporis cavendum est, ne in tardationibus adeo molli gressu utamur, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus non suscipiamus nimias celeritates: quæ quum fuerint, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur, quæ signa sunt inconstantis animi. *Ibid. et ponitur in lib. problematum.*

22. Quod enim inordinati motus corporis dissolutionem indicent mentis, probatur testimonio Salomonis, qui dicit. *Homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur dolum, et in omni tempore jurgia seminat*, quia quum mens interius à custodia sua solvitur, membra foris ad omnem actum inordinatè commoventur, et velut corpus paralytici motum quidem habet: sed officia membrorum in suis actionibus servare non valet. *Hug. de disciplina monach.*

23. In affectu sine locutione disciplina honestæ conversationis attenditur: in qua quinque res sunt observandæ: hoc est quid, cui, quomodo, quando, et ubi dicatur. Quid, ut nunquam in sermonibus ociosa adhibeantur. Ociosa autem sunt, quæ sunt aut nociva, aut inhonesta, aut inutilia. Inutilia autem sunt, quæ nec loquentibus nec audientibus prosunt. Inhonesta sunt, quæ vel illius, qui loquitur, vel cui loquitur, vel de quo loquitur, dignitati non conveniunt. Nociva autem sunt, quæ suis suasionibus animos auditorum ad errorem sive pravitatem inducunt. *Ibid.*

24. *Cui*, primo consideret an propter se, vel propter illum loquatur. Si propter se, videat, ut ille talis sit, de cujus colloquio utilitas ei provenire possit. Si propter illum loquitur, caveat ne talis sit ille, qui vel sua exhortatione non indigeat, vel ita etiam in malo sit obstinatus, ut exhortatione alterius corrigi se non permittat. Si ergo sic est, nunquam nisi ad nostram vel aliorum eruditionem loqui debemus. *Ibidem.*

25. *Quomodo*, exhortemur ad constantiam timidos, ad timorem superbos, ad frugalitatem prodigos, ad

liberalitatem avaros, ad humanitatem parcos, ad parcitatem gulosos, ad consilium temerarios, ad silentium verbosos, ad verbum exhortationis tacitos, ad mansuetudinem impatientes, ad indulgentiam crudeles, ad verecundiam procaces, ad quietem præcipites, ad prudentiam incautos, et omnino quicquid dicere volumus, ex ipsa prius nostri sermonis qualitate colligamus. *Ibidem.*

26. *Ubi*, quædam enim sunt loca in quibus silentium est servandum: quædam in quibus intelligentia et ex ratione scripturarum collationes, cum disciplina tamen et reverentia, hoc est, sine contentione et clamore verborum haberi possunt: quædam in quibus pro instructione morum verba habenda sunt, quædam in quibus magis loquendi licentia laxatur: ita ut non solum de spiritualibus, sed etiam de exteriorum dispositione et provisione sermones admittantur. Loca autem in quibus vana et superflua dici debeant, invenire non possum. *Ibidem.*

27. *Quando*, est enim tempus quando nihil: est tempus, quando aliquid est dicendum: nullum verò tempus est, quando dicenda sunt omnia: tempus enim tacendi debet præcedere tempus loquendi, propterea enim non ait Salomon *tempus loquendi et tempus tacendi* sed *tempus tacendi et tempus loquendi*: quia prius per silentium tempus tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi proferunt. Sapiens enim æque cavet, vel ne tempore quando loqui debet, per negligentiam sileat: vel ne in omni tempore, quando loqui licet, per licentiam concessam in multiloquium cadat. Rectè ergo tempus loquendi discernitur: sic homo non semper quando loqui debet, sileat, nec semper quando licet, loquatur. *Ibidem.*

28. Modus autem loquendi in tribus consistit, scilicet quo gestu, quo sono et significatione aliquid dicatur. Disciplina enim jubet, ut loquentis sit gestus modestus, et humilis, sonus demissus et suavis, significatio verax et dulcis. *Ibidem.*

29. In convictu sive comestione disciplina honestæ conversationis attenditur, scilicet in seipso, et in suo cibo: in seipso tripliciter, scilicet in disciplina tacendi, videndi, sese continendi, ut scilicet linguam suam à loquacitate restringat, oculos suos à circumspectione cohibeat, et ut cætera membra omnia cum modestia et quiete contineat. *Ibidem.*

30. Non sicut quidam faciunt, qui quum ad edendum assederint, inquieta quadam agitatione membrorum intemperantiam animi sui designant, caput exculiunt, brachia exerunt, manus in altum expandunt, et non sine magna turpitudine quasi totum epulum sint absorpturi, ingentes quosdam conatus et gestus satis indecoros ostendunt, in uno loco sedentes, oculis et manibus quæ propè et longè sunt omnia circumcurrunt, simul panes comminuunt, vinum in calices effundunt, discos in gyrum circumducunt, et velut rex super obsessam civitatem assultum facturus, dubitant, unde primum expugnationem aggrediantur, dum simul in omni tempore irruptionem facere concupiscitur. *Ibidem.*

31. Disciplinam honestæ conversationis in suo cibo debet quis observare, videlicet, quid, quantum, quomodo cibum sumere debeat. *Quid* ut scilicet non nimis pretiosa et delicata expetat: nec nimis rara et insolita requirat: nec nimis accurate et laute præparata concupiscat. In primo luxus arguitur: in secundo curiositas ostenditur: in tertio superstitio notatur. *Ibidem.*

32. *Quantum*, cujus mensura hæc mihi esse videtur, ut neque contra honestatem, neque supra necessitatem sumatur. Non omnis venter idem sapit, alius plus, alius minus: ergo ille cui parum sufficit, magis superfluitatem caveat. Ille vero cui multum opus est, magis ad honestatem attendat: quia neque ille, nisi temperantiæ metas transierit, ad turpitudinem veniet: neque iste, nisi prius honestatis oblitus fuerit, in superfluitatem impinget. *Aug. ibid.*

33. *Quomodo*, hoc est quam munde, et quam

temperate. Quidam enim bibentes digitos medio tenus poculis immergunt: alii unctas manus ad vestimenta sua dant, rursus ad cibaria tractanda redeunt. Alii nudis articulis vice cochlearis olera sua piscantur, ita ut in eodem jure manus ablutionem, et venter refectionem quærere videatur. Alii reliquias dentium suorum offas facturi in poculis demergunt. *Ibid.*

34. Hæc dicentibus erubescenda essent, si à facientibus præsumpta non fuissent: sed nescit aliquando impudentia erubescere, nisi fuerit manifestè confusa. Nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam. *Hæc Hu. de san Vic. de discip. monach.*

35. Omnia omnium rerum si bene observentur indicia sunt, et argumentum morum ex minimis poteris cognoscere impudicum: et incessus ostendit, et manus mota, et interdum responsum, et relatus ad caput digitus, et flexus oculorum. Improbum et insanum risus, vultus habitusque demonstrat. *Sen. 58. epist.*

36. Quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit: ita oratio pressa non audax: summa ergo summarum hæc erit: tardiloquum te esse jubeo. *Senec. ibid.*

37. Barbarismus est morum, sermo jucundus, et animus dolosus: domi quidam se contrahunt, foris dilatant et extendunt. Vitium est hæc diversitas, et signum vacilantis animi et nondum habentis tenorem suum. *Senec. in epist.*

38. Non magis utilitati est ager cum reditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis. Sit tibi erga singulos falsi libra sermonis, ut te blandum pueri, comitem juvenes, graves senes metiantur. *Ibid.*

39. Nulla res magis animos induit honestos, et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio: paulatim enim descendit in pectora, et vim præceptorum obtinet frequenter aspici, frequenter audiri. *Senec. epist. 9.*

40. Id agamus, ut meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non ut contrariam: alioquin, quos emendare

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

volumus, fugamus à nobis, et avertimus. *Sen. 5. epist.*

41. Si quid in aliquibus ex sordida conversatione servile est, honestorum convictus excutiet. *Seneca. 35. epist.*

42. Tunc felicem te esse judica, quum poteris in publico vivere, quum te parietes tui tegent, non abscondent, quos plerumque nobis circundatos judicamus, non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius. Rem dicam ex qua mores nostros æstimes: Vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia opposuit, non superbia. Sic vivimus ut deprehendi, sit subito aspici se. *Sen. 42. epistola.*

43. Ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis. *Sen. 2. epist.*

44. Sic certe vivendum est tanquam in conspectu vivamus, sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intuitum trahere possit. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum, quum nihil Deo clausum est? *Senec. 83. epist.*

45. Salutare est, non conversari dissimilibus et diversa cupientibus. Turba etsi non mutat te, impedit tamen, multum autem nocet etiam qui moritur. In vitia alter alterum trudimus, quomodo autem revocari possunt ad salutem, quos nemo retinet, populus impellit? *Senec. 82. epist.*

46. Hic modus mihi placet, temperatur vita inter bonos mores et publicos, suscipiant omnes vitam nostram, sed agnoscant. Quid ergo eadem faciamus quæ cæteri, nil inter nos et illos intererit? Plurimum dissimiles nos vulgo sciat, qui inspexerit propius, non conturbavit sapiens publicos mores, nec populum in se novitate vitæ convertet. *Senec. 15. epist.*

47. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis. *Senec. 97. epist.*

48. Omnes tibi pares facies, inferiores superbiendo non contemnas, superiores rectè vivendo non timeas. In reddenda officiositate neque exactor, neque negligens appareas, cunctis estò benignus, nemini

blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Severior estò judicio, quam sermone, et vita, quam vultu, clementiæ cultor, clemens ultor, sævitiæ detestator, famæ bonæ neque tuæ seminator, neque alienæ invidus, rumoribus, criminibus, suspicionibus minime credulus: sed malignis potius, qui per speciem simplicitatis aliquibus surrepserint, oppositissimus, ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in adversis firmus, in prosperis cautus, occultator virtutum, sicut alii vitiorum, vanæ gloriæ contemptor, et bonorum, quibus præditus es non acerbus exactor, nullius imprudentiam despicias, rari sermonis ipse, loquentium patiens, severus severis, sed hilares non aspernans. *Sen. de quatuor virtutibus.*

49. Si tempus jocos exigit, hos quoque cum dignitate sapientiæ gere, ut te nec gravet quisquam tanquam asperum, nec contemnat tanquam vilem: non erit tibi scurrilis, sed grata urbanitas. Sales tui sine dente sint, joci sine vilitate, risus sine cachinnatione, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies tibi non desidia erit: et quum ab aliis luditur, tu sancti honestique aliquid tractabis. *Sen. ibid.*

50. Cum quidam stolidus audiente Pythagora diceret, malle cum mulieribus esse quam cum philosophis conversari: et sues, inquit, in cœno libentius quam in pura aqua versantur. *Val. Max. lib. 7. de memor. dictis.*

Vide etiam in tit. Conscientia, núm. 20, 27. in tit. Consuetudo, núm. 31. in tit. Contemplatio, núm. 33. in tit. Disciplina et Doctrina, núm. 29. in tit. Excusatio, núm. 15. in tit. Exemplum, núm. 34. in tit. Innocentia, núm. 7. in tit. Ordo, núm. 4. in tit. Sanctitas, núm. 18. in tit. Societas et Solitudo, núm. 6. 23, 24.

CONVERSIO.

1. Ut sit homo aliquid, convertat se ad illum, à quo creatus est: recedendo enim frigescit, accedendo fervescit, recedendo tenebrescit, accedendo cla-

rescit: à quo enim habet, ut sit apud illum, habet ut bene sit. Ergò qui vult simul esse cum Deo, non ab illo recedat, sed ad illum accedat. *Aug. super Psalm. 70.*

2. * Conversio nostra semper inveniet Deum paratum. *Aug. in Psal. 6.*

3. * Conversio ad bonum non homini, sed Deo adscribenda. *Aug. epist. 130.*

4. Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit dolor et labor, et viva erit vita mea tota plena te: nunc autem quem tu imples, sublevas eum, et quia tui plenus non sum, ideo mihi oneri sum. *Aug. 10. lib. confess.*

5. Scio quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed in meipso, et omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. *Aug. 14. lib. conf.*

6. Conferamus nos ad te, et benè nobis erit de te. Malum est nobis de nobis, quia dimissimus te dimissisti nos nobis. *Aug. de verb. Dom. serm. 4.*

7. Ovis perdita nunquam reverteretur, nisi pii pastoris misericordiam consequeretur. *Aug. in serm.*

8. Quæramus lapidem quo percutiatur incredulus, et percussus quassetur, quassatus comminuatur, comminutus in pulverem convertatur, conversus in pulverem compluatur, complutus seratur, satus faciat fructum, non quod igne consumatur, sed quod horreo condatur. *Aug. cont. 5. hær.*

9. Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, cras veniam, sed jam exigis: nemo differt, nemo excusat: redemptio animæ promittitur, et nemo festinat. *Ambr. in ser. de eleemos. et jejun.*

10. Nunquam est sera conversio: latro de cruce transiit ad paradisum. *Hier. in epist. ad Lætan.*

11. Tres modi sunt conversorum, inchoatio, medietas atque perfectio. In inchoatione autem inveniuntur blandimenta dulcedinis, in medio tempore certamina tentationis, ad extremum verò perfectio plenitudinis. Prius ergò illos dulcia suscipiunt quæ consolentur: postmodum amara quæ exerceant, et tunc

demum suavia atque sublimia quæ confirment. *Greg. 24. moral.*

12. Vitam uniuscujusque conversi et inchoatio blanda permulcet, et aspera medietas probat, et plena post perfectio roborat. *Greg. ibid.*

13. Cum Pharao dimisisset populum, non eos duxit dominus per viam terræ Philisthiim, qua vicina est: reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverterentur in Ægyptum. Ex Ægypto itaque exeuntibus è vicino bello subtrahuntur: quia derelinquentibus seculum, quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati atque territi redeant ad id, quod evaserunt. Prius ergò suavitatem sentiunt, securi prius pacis quiete nutriuntur: post cognitam verò dulcedinem tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quantò altius in Deo cognovere quod amant. *Ibidem.*

14. Plerumque conversus quisque talibus tentationum stimulis agitatur, qualibus ante conversionis gratiam, nunquam pulsatum se esse reminiscitur: non quia tunc hæc eadem tentationis radix deerat, sed quia non apparebat. *Ibidem.*

15. Ferrum de terra tollitur, quum fortis pugnator ecclesiæ à terrena sua conversatione separatur. Non ergo in eo debet despici quicquid fuit, qui jam cœperit esse quod non fuit. *Greg. 16. moral.*

16. Lapis solutus calore in æs vertitur, quando dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur, ut peccator, qui prius insensibilis extiterat, postmodum per auctoritatem fortis, et per prædicationem sonorus fiat. *Greg. libr. 16. moral.*

17. A regione nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus, sed ad eam necesse est flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradisi gaudiis per de-

lectationem recessimus, ad hæc per lamenta revocamur. *Greg. ho. 10. super illud Matth. Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda.*

18. Majus de peccatore converso quam de justo stante gaudium fit in cœlo: quia et dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter peremit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, et nunquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas, uberes fruges profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit, et nunquam fertilem messem produxit. *Greg. ho. 34. super Evang.*

19. Prima vigilia est pueritia, secunda adolescentia, tertia senectus. Qui ergo in prima vigilia vigilare noluit, secundam custodiat: ut qui converti à pravitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem tempore juventutis evigilet: et qui ad vias vitæ juventutis tempore non evigilat, saltem in senectute resipiscat: nam quos diu, ut convertantur, tolerat non conversos durius damnat. *Greg. tractans illud in Hom. Et si in secunda vigil. seu in tertia.*

20. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Corporis conversio, si sola fuerit, erit nulla. Forma siquidem conversionis est, non veritas vacuam virtutem gerens et speciem pietatis. *Bern. super Cant. serm. 36.*

21. Dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad eum. Neque enim ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia gravem et severum imaginantur, qui pius est: durum et implacabilem, qui misericors est: ferum et terribilem, qui amabilis est, et mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo, quod non est ipse. *Bern. super Cant.*

22. Solet inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio pravæ consuetudinis, et vix possunt extingui jacula ignita diaboli. *Bern. super Cant.*

23. Primordia conversorum blandis refovenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant, exterriti ad priores lapsus recurrant. Qui enim conversum sine lenitate erudit, exasperare potius quam corrigere novit. *Isid. lib. 3. de sum. bon. c. 8.*

24. Vitia ante conversionem quasi pacem in homine habent, quando autem expelluntur, acriore virtute consurgunt. *Ibid. c. 9.*

25. Utile est Dei servo post conversionem tentari, quatenus à torpore negligentiæ sollicitantibus vitiis ad virtutes animum per exercitium præparet vitiorum. *Ibidem.*

26. Multos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tempore resolvit. *Isid. lib. 2. de sum. bon. c. 10.*

27. Valet interdum conversis pro animæ salutæ mutatio loci: plerumque enim dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruum est enim inde etiam corporaliter evelli, ubi quisque illecebris deservivit. Nam locus, ubi quisque pravé vixit, hic aspectui mentis opponit, quod semper ibi, vel cogitavit vel gessit. *Isid. ibid.*

28. In illa ætate quando flavescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, juvenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit: quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus jucundior, qui in hæc ætate se domant et Deo se sociant, præmium Joannis expectant. *Hug. de claustro anim. lib. 3. c. 10.*

29. Tales offerunt hostiam viventem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, et ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum: sed, ut ita dicam, porcum curtatum. Sicut enim porcus in immunditiis: sic senex jacuit in vitiis: et sicut porcus siliquis pascitur, sic senex fabulis, et rumoribus delectatur. *Ibidem.*

30. Non locorum mutatio, sed conversio sensuum

adversa depellit, mœrores fugat, desperationes abjicit, excludit angustias, et intra domicilium synceri pectoris, lætitiæ divinæ æternam præparat mansionem. *Pet. Rav. serm. 46.*

31. Interim cum Hierosolymitanis habitat Jebusæus: interim in horto patris familias, simul sunt saliunca et abies, urtica et myrtus. In grege Jacob animalia alba, et nigra, agni et hœdi, in rete Petri pisces boni et mali. In archa Noe animalia munda et inmunda. In agro Domini lilia inter spinas, zizania inter spicas. In area domini granum cum palea. In cella Christi vinum cum agresta, oleum cum amurca. Nostrum non est quemquam judicare. Novit enim dominus, qui sunt ejus, quique futuri sunt *primi novissimi, et novissimi primi*. Nos enim præcedere potest ad vitam, quem novissimum reputamus. *Pet. Rav. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 20. in tit. Beatitudo, núm. 15. in tit. Consuetudo, núm. 17, 24. in tit. Creatio, núm. 2. in tit. Error, núm. 9. in tit. Homo, núm. 8. in tit. Meritum, núm. 10. in tit. Misericordia, núm. 1, 18. in tit. Oratio, núm. 1. in tit. Pœnitentia, núm. 18 21, 34, 35, 48. in tit. Reconsiliatio, núm. 2. in tit. Religio, núm. 1, 19. in tit. Relinquere, núm. 1, 9. in tit. Recidivatio, núm. 4, 6. in tit. Simplicitas, núm. 7. in tit. Voluntas, núm. 14.

CONVITIUM.

1. Si utilitate proximi moveor in laudibus meis: cur minus moveor, si quisquam ab aliis injuste vituperetur, quàm si ego? cur ea contumelia magis mordeor, quæ in me, quam in alium eadem iniquitate coram me jacitur? *Aug. 10. lib. confes.*

2. Si non aurem solam percutit iracundia criminantis, verum etiam conscientiam mordet veritas criminis: quid mihi prodest, si me continuis laudibus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat laudantis præconium, nec convulnerat conviciantis opprobrium. *Aug. contra Petil. lib. 3.*

3. Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, leviter transit, sed graviter urit, leviter animum penetrat, sed non leviter exit: leviter profertur, sed non leviter revocatur. Facilé volat, ideò facile charitatem violat. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest, substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum invenitur: tenuis est et lata, ideo aptissimum evacuandis sordibus instrumentum. *Bern. in quodam serm.*

4. Convitia quis facile tolerat, cum in secreto mentis ad mala perpetranda recurrit. *Greg. 3. moral.*

5. Nihil sævius, nihil violentius amaris asperisque sermonibus, quorum vulnera tantò difficilius curantur, quantò facilius proferuntur. *Val. epist. in quodam serm.*

6. Invenimus multos aliquoties uno atque eodem sermone verbis dulcibus venena miscere, et fictis pacis blanditiis, litium pugnas introire. Quid istis infelicius? quid periculosius esse potest, qui fallacis linguæ studio vitæ insidiantur alienæ? *Ibidem.*

7. Videmus frequenter verborum facta in crimen venire, et nimia facilitate verborum amicitiis odia succedere: quando autem potest fieri, ut homo, aut magniloquus, aut maliloquus non habeatur ingratus? *Val. ibid.*

8. Quamvis quis vitam fide muniat, scientia regat, castitate et sobrietate componat: nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore lingua displiceat. *Ibidem.*

9. Plena victoria est á clamatione tacere, et non respondere provocanti. Habes enim mercedem, et de tua patientia, et de fratris medela, si oblivioni detur injuria. Sicut nihil est deformius quam respondere furiosis: ita nihil utilius quam tacere provocatis. Nullus est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. *Val. ibid.*

10. Malis displicere, laudari est: nullam auctoritatem habet, ubi qui damnatus est, damnat. Male de me loquuntur homines, quia bene loqui nesciunt:

faciunt, non quod mereor, sed quod solent. *Sen. 77. epist.*

11. Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, et ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus. *Ibidem.*

12. Multi cum aliis maledicunt, sibiipsis convitium faciunt. *Senec. de moribus.*

13. Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor rerum per verba dediscitur. *Ibidem.*

14. Non potest generosus animus contumeliam pati. *Senec. de sententiis orator.*

15. Antitanes cuidam dicenti sibi, maledixit tibi ille: respondit, non mihi, inquit, sed illi, qui in se, quod ille culpat, agnoscit: sed et si mihi maledicere curet, non curo: quia auditus lingua debet esse robustior, cum singulis hominibus linguæ sunt singulæ, sed aures binæ: aliquatenus tamen curo, quia eo ipso me fateor esse superiorem: quia superioris personæ usus est hoc pati, inferioris facere; gauderem itaque nisi urgente humanitate, homini compaterer infelici. *Senec. ibid. et Val. Max. lib. 4.*

16. Titus tacitus maledicente sibi Metello, facile est, inquit, in me dicere, cum non sim responsurus, tu, inquit, didicisti maledicere: ego conscientia teste, didici maledicta contemnere, et sicut tu, inquit, linguæ tuæ, sic ego aurium mearum sum dominus. *Ibidem.*

17. Si merito objurgaverit te aliquis, scito quia profuit: si immerito, scito quia prodesse voluit. *In epist.*

18. Ipse aperte invidet, abjecte fingit, serviliter superbit. Indicit ut dominus, exigit ut tyrannus, calumniatur ut barbarus, tota die á metu armatus, ab avaritia jejunus, á cupiditate terribilis, á vanitate crudelis, in concilio tacet, in ecclesia jocatur, in jejunio prædicat, in cubili damnat, in quæstione dormitat. Implet quotidie sylvas latronibus, villas hostibus, altaria reis, carceres clericis. *Sid. lib. 2. epist.*

19. Ipse loquax nec dicax, ridiculus nec lætus, arrogans nec constans, curiosus nec perspicax: tempora præsentia colens, præterita carpens, futura fastidiens: beneficii si rogaturus est importunus petendi, derogator negati, æmulator accepti: at si rogatus, dissimulator petiti, venditor præstiti, calumniator morati, inficiator soluti, odiosior jejuniorum, sectator epularum, laudabilem proferens, non de bene vivente, sed de bene pascente, sententiam. *Sid. ibid. lib. 3. epist. 13.*

20. Inter hæc jejunat, quoties non vocatur: si invitetur excusans: si evitetur explorans: si admittatur exultans: si verberetur expectans: avidus bibendi, avidior adulandi, avidissimus detrahendi: rabido ore pariter spirans cœnum, spumans vinum, loquens venenum, facit ambigi an temulentior an facinorosior existimetur. *Sid. lib. 3. epist. 13.*

21. Prodigus in pœna, parcus misericordia, furore repletus, pietate deficiens, verbo falsus, opere imperfectus, vitiis deditus. Domino indevotus, crudelitate Herodes. *Sid. ibid.*

22. Habet quemdam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac boni viri difficillime possunt. *Tull. 3. Ac. in Verr.*

Vide etiam in tit. Advocati, núm. 12, 13, 14. in tit. Conscientia, núm. 1, 4. in tit. Detractio, núm. 11, 16, 34. in tit. Fama, núm. 15, 16. in tit. Hospitalitas, núm. 9. in tit. Humilitas, núm. 6. in tit. Injuria, núm. 1, 3, 9. in tit. Ira, núm. 1, 8. in tit. Justitia, Laus, núm. 10, 40. in tit. Loquacitas, núm. 15, 16, 20. in tit. Mirabile, núm. 16. in tit. Patientia, núm. 19, 37, 46, 47. in tit. Prælatio, núm. 13. in tit. Venia, núm. 16. in tit. Verecundia, núm. 23, 24.

COR, SIVE MENS.

1. Væ duplici corde suo, partem faciunt Deo, et partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia sit ibi pars diabolo, discedit, et totum diabolos possidet. *Aug. super Joan.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. Beati mundo corde, non exterioribus oculis, sed corde videbitur Deus. *Aug. de verb. domin.*

3. Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucris. *Hier. super illud Matth. 5. Ubi thesaurus tuus etc.*

4. Omnipotens Deus humanum cor destruit, quum relinquit: ædificat, quum replet: neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. *Greg. in moral.*

5. Quid est cor durum? ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sævum ad judicia, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens: ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omninò non præterit: futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio est. *Bern. 5. de consideratione.*

6. Elatum cor, durum et expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis. *Bern. in serm. ibid.*

7. Non discordet cor tuum à facie tua: non habeas faciem sursum, et cor deorsum. *Bern. super Cant. ibid.*

8. Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde. *Ibidem.*

9. Semper in robusto et vegeto corpore animus mollior jacet, atque tepidum cor, et rursum in corpore debili et infirmo fortior viget, promptiorque spiritus. *Bern. in apolog.*

10. Puritas cordis in duobus consistit: in quærenda gloria Dei, et utilitate proximi. *Ibidem.*

11. An non confunderis sursum caput habere, qui sursum cor non habes: corpore rectus stare, qui corde repis terram. *Bern. in serm.*

12. * Cor in quatuor affectibus est, quid diligas, quid

metuas, unde gaudeas, seu contristeris. *Bern. de jejun. serm. 2.*

13. In omni namque creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius reperitur: quapropter nihil aliud quærit à te, nisi cor tuum. *Hugo lib. 1. de anim.*

14. Plura machinatur cor meum uno momento, quam omnes homines perficere possent uno anno. *Hugo ibid.*

15. Solus regnat, qui deposito cordis imperio, legibus rationis ordinat totam familiam motuum interiorum et exteriorum. Si consurgat leonina rabies, punitur per patientiam: si petulantia hirci, per abstinentiam: si ferocitas apri, per mansuetudinem: si superbia unicornis, per humilitatem. Non invenitur autem inter cæteras artes liberales, ars ista præ aliis liberalis, qua teneatur cor, quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est. *Hugo lib. 3. de anim.*

16. Cor parvum est, et magna cupit: vix ad unius milui refectionem sufficere posset, et totus mundus ei non sufficit. *Ibidem.*

17. ¿Vis scire de fratre tuo quale cor habeat? attende unde libentius et frequentius loquatur. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Cass. super illud Psal. Egrediebatur foras.*

Vide etiam in tit. Charitas, núm. 16. in tit. Conversatio, núm. 13. in tit. Delitiæ, núm. 8. in tit. Devotio, núm. 1. in tit. Ornatus, núm. 20. in tit. Relinquere, núm. 16. in tit. Voluntas, núm. 5.

CORRECTIO.

1. Correctio est errorem innatum vel consuetudine factum fræno rationis inhibere. *Aug. de diffic.*

2. Nihil probat spiritualem virum, sicut peccati alieni tractatio: quum liberationem ejus potius, quam insultationem, poliusque auxilia, quam convitia me-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. Beati mundo corde, non exterioribus oculis, sed corde videbitur Deus. *Aug. de verb. domin.*

3. Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucris. *Hier. super illud Matth. 5. Ubi thesaurus tuus etc.*

4. Omnipotens Deus humanum cor destruit, quum relinquit: ædificat, quum replet: neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. *Greg. in moral.*

5. Quid est cor durum? ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sævum ad judicia, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens: ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omninò non præterit: futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio est. *Bern. 5. de consideratione.*

6. Elatum cor, durum et expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis. *Bern. in serm. ibid.*

7. Non discordet cor tuum à facie tua: non habeas faciem sursum, et cor deorsum. *Bern. super Cant. ibid.*

8. Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde. *Ibidem.*

9. Semper in robusto et vegeto corpore animus mollior jacet, atque tepidum cor, et rursum in corpore debili et infirmo fortior viget, promptiorque spiritus. *Bern. in apolog.*

10. Puritas cordis in duobus consistit: in quærenda gloria Dei, et utilitate proximi. *Ibidem.*

11. An non confunderis sursum caput habere, qui sursum cor non habes: corpore rectus stare, qui corde repis terram. *Bern. in serm.*

12. * Cor in quatuor affectibus est, quid diligas, quid

metuas, unde gaudeas, seu contristeris. *Bern. de jejun. serm. 2.*

13. In omni namque creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius reperitur: quapropter nihil aliud quærit à te, nisi cor tuum. *Hugo lib. 1. de anim.*

14. Plura machinatur cor meum uno momento, quam omnes homines perficere possent uno anno. *Hugo ibid.*

15. Solus regnat, qui deposito cordis imperio, legibus rationis ordinat totam familiam motuum interiorum et exteriorum. Si consurgat leonina rabies, punitur per patientiam: si petulantia hirci, per abstinentiam: si ferocitas apri, per mansuetudinem: si superbia unicornis, per humilitatem. Non invenitur autem inter cæteras artes liberales, ars ista præ aliis liberalis, qua teneatur cor, quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est. *Hugo lib. 3. de anim.*

16. Cor parvum est, et magna cupit: vix ad unius milui refectionem sufficere posset, et totus mundus ei non sufficit. *Ibidem.*

17. ¿Vis scire de fratre tuo quale cor habeat? attende unde libentius et frequentius loquatur. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Cass. super illud Psal. Egrediebatur foras.*

Vide etiam in tit. Charitas, núm. 16. in tit. Conversatio, núm. 13. in tit. Delitiæ, núm. 8. in tit. Devotio, núm. 1. in tit. Ornatus, núm. 20. in tit. Relinquere, núm. 16. in tit. Voluntas, núm. 5.

CORRECTIO.

1. Correctio est errorem innatum vel consuetudine factum fræno rationis inhibere. *Aug. de diffic.*

2. Nihil probat spiritualem virum, sicut peccati alieni tractatio: quum liberationem ejus potius, quam insultationem, poliusque auxilia, quam convitia me-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ditatur, et quantum facultas tribuit, suscipit. *Aug. super epist. ad Gal.*

3. Nunquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium: nisi quum internis interrogationibus examinantes conscientiam nostram, liquido nobis coram Deo responderimus dilectione nos facere. *Aug. ibid.*

4. Quicquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis: dilige et dic quicquid voles. *Ibidem.*

5. Raro et magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen ut in his etiam ipsis, non nobis, sed Deo serviatur, instemus. *Aug. lib. 2. de serm. Dom. 1.*

6. Molestus est medicus furenti phreneticæ, et pater indisciplinato filio: ille ligando, iste cædendo sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, et perire permittant: ista potius falsa mansuetudo crudelis est. *Aug. ad Bonif. de correct. donat.*

7. Cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum: verum in hujusmodi causis, ubi pergraves dissensionum scissuras non hujus, aut illius hominis periculum, sed populorum strages jacent. Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas syncera subveniat. *Ibidem et ponitur lib. di. ut cum.*

8. Non vos judicetis malevolos esse, quando alterius crimen judicatis: magis quippe nocentes estis, si fratres vestros, quos judicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet secari: non ne à te crudeliter sileretur, et misericorditer indicaretur? quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde. *Aug. de commun. vita vel reg. cleri.*

9. Quæ peccantur coram omnibus, coram omnibus corripienda sunt, ut omnes timeant. Qui secreto peccavit in te, secreto corripe: nam si solus nosti, et eum vis coram aliis arguere, non es corrector,

sed proditor. *Aug. de verb. Do. super illud Matth. 18. Si peccaverit in te, etc.*

10. Foris terribilis personet increpatio: intus lenitatis teneatur dilectio, neque consentientes sitis malis, ut approbetis; neque negligentes, ut non arguatis; neque superbientes, ut insultanter arguatis: hoc est, exire inde: hoc est, immundum tangere, et voluntate non consentire, et omne non parcere. *Aug. de verb. Dom.*

11. Magis amat objurgator sanans, quam adulator dissimulans. *Aug. in epist. ad Mar.*

12. Plurimum interest, quo animo quisque parcat: sæculi enim est aliquando misericordia puniens, ita et crudelitas parcens. *Aug. ad Maced. in epist. 64.*

13. Non omnis qui parcit, amicus est: nec omnis qui verberat, inimicus: qui phreneticum ligat, et lethargicum excitat: ambobus molestus, ambos amat, ambos sanat, ambos quamdiu ægri sunt, indignantur: sed ambo sanari gratulantur. *Aug. in epist. ad Vincent. Donat.*

14. Fidelis dispensator Paulus veritatis non falsitatis Petrum arguendo. Petrus vero benigna pietate suscepit: atque tam rarius atque sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, et á posterioribus corrigi. Laudabilius, inquid, est accipere corrigentem, quam audacter corrigere ita devianteni. *Aug. in epist. ad Hier.*

15. Non potes te amare servum, quando eum non cædis: aut tunc amare filium, quando ei non das disciplinam: aut tunc amare filium tuum, quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor. *Aug. de char. serm. 7.*

16. Nam si propterea objurgandis et corripiendis male agentibus quis parcit, quia opportunum sibi tempus inquirit: vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur: vel ad bonam vitam et piam erudiendos impediant, aliosque infirmos premant, atque avertant à fide: non videtur esse cupiditatis oc-

casio, sed consilium charitatis. *Aug. in lib. 1. de civit. Dei.*

17. Plerumque ab eis admonendis, objurgandis, et corripiendis male dissimulatur: ne vel eos offendamus, vel ut eorum inimicitias devitemus: ne impediant, et noceant in istis temporalibus rebus, quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas: sive quas amittere formidat infirmitas. *Aug. ibid.*

18. Accusare vitia, officium est bonum: quod tamen mali faciunt, alienas partes agunt. Cogitemus ergo, quum aliquem reprehendere nos necessitas coegerit, utrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, et tunc cogitemus nos homines esse et habere potuisse: vel quod tale habuimus, et jam non habemus: et nunc tangat memoriam communis fragilitatis ut illam correctionem non odium, sed misericordia præcedat. Si autem invenerimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus: sed ingemiscamus, et ad æqualiter deponendum invitemus. *Aug. in serm. Dom. in monte.*

19. Juste alios reprehendit, qui non habet quod in se aliud reprehendat. *Aug. in Psal. 5.*

20. Qui cordis sui domum excolere non valet: quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? et qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? *Amb. in pa. sive in lib. de dignit. sacerdotal.*

21. Gravissimus nodus in ligno non potest expelli nisi gravissimo oppresorio. *Ambr. super Matth.*

22. Peccatum unius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat: imo omnes qui norunt, et non devitant, aut quum possunt arguere, dissimulant: non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur vel vitatur. *Ambr. super epist. 1. ad Cor. tractans illud Modicum fermentum.*

23. Non osculatur pater filium, sed aliquando castigat: ergo quando castigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim et amor plagas suas, quæ dulciores sunt, quum amarius inferuntur.

Dulcior enim est religiosa castigatio, quam blanda remissio. *Ambr. in serm. ad Vin. Pet.*

24. Plus proficit amica correctio, quam accusatio turbulenta: illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. *Ambr. super Luc.*

25. Novit Deus mutare sententiam. si tu noveris emendare delictum. *Ibidem.*

26. Inter cætera mandata peccantes posse arguere maximæ libertatis est: sed ille potest facere, qui non meretur audire. Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo: *Hier. super illud Ephes. Magis arguite etc.*

27. Quid necesse est bis pungere non recalcitrantem, per se satis erubescentem confundere amplius, cui sua ratio magister est, cui propria conscientia virga et ingeminata verecundia lex disciplinæ est. *Her. in epist. ad Occea.*

28. Paulus apostolus inimicus nobis factus vera dicens salvatoris: quia dura videbantur eloquia, plurimi discipulorum retrorsum abierunt. Unde non mirum, si et nos ipsi vitiis detrahentes offendimus plurimos. Disposui nasum secare fætentem: timeat qui criminosus est. Quid ad te, qui te intelligis innocentem? ne te dictum putas in quodcumque vitium styli mei mucro conlorquetur. *Hier. in epist. ad Marcellam.*

29. Phinees austeritatem, Eliæ zelum, Petri severitatem, Ananiam et Sapphiram trucidantis, Paulique constantiam, qui Elimam magnum viis Domini resistentem æterna cæcitate damnavit, non est crudelitas, sed pro Deo pietas. Unde et in lege dicitur: *Si frater tuus et amicus, et uxor, quæ est in sinu tuo, depravare te voluerit: sit manus tua super eos, et effunde sanguinem eorum, et auferes malum de medio Israel. Hier. in epist. ad Viper. de aust. corrèct.*

30. Quomodo potest præses ecclesiæ auferre malum de medio ejus: qui in delictum simile corruerit? aut qua libertate corripere peccantem potest cum tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse quæ corripit? *Hier. super epist. ad Tit.*

31. Quæ est ista justitiæ inimica bonitas? Palpare criminosos, et vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare? quod si eos durissimam pœnitentiam per plures annos viderimus agere, tunc nos et saluti eorum possemus consulere, et statuta canonum deberemus temperare. Cum verò aliquibus non compunctio humilitatis, nec instantia operandi appareat, nec beatum David imitetur, qui dicit, *lavabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum*, etc. Et illud: *cinerem tanquam panem manducabam, et poculum*, etc. nec eos jejuniis et lectionibus vacare videamus: possumus agnoscere, si ad primos gradus vel honores redirent: cum quanta negligentia, et cum quanto torpore et inimica animæ suæ securitate permanerent. *Hier. in quadam epist.*

32. Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem: et sic alterum commendetur ex altero: ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Greg. lib. 9. moral.*

33. In correptione quippe vitiorum subesse debet iracundia, non præesse: ut executione justitiæ non dominando prævenial, sed simulando subsequatur, et notum judicium possesa impleat et percurrat. *Greg. lib. 26. moral.*

34. *Si quis est Domini jungatur mihi*: si ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur: profecto se esse Dei denegat, qui in quantum sufficit vitam carnalium corrigere recusat. Fit plerumque Deo gratior amore ardens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. *Greg. in past. 49.*

35. Qui non corrigit resecanda, committit: et facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. *Greg. in re.*

36. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda: sed palam sunt arguendi, qui palam noscent, ut dum aperta objurgatione sanantur, hi, qui eos imitando delinquerant corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur: et melius est,

ut pro multorum salute unus condemnetur, quam quod per unius licentiam multi periclitentur. *Ibid.*

37. *Verba sapientum quasi stimuli*, et cæt. Clavis atque stimulis verba sapientum comparantur: quia culpas delinquentium nesciunt calcare, sed pungere. *Greg. super Evang. ho. 6.*

38. Paulus arguit Petrum: Petrus verò laudavit Paulum. Amicus ergò veritatis laudavit quod reprehensus est, seque etiam minori fratri ad consensum dedit, quatenus qui prius erat in apostolatus culmine, et esset prius humilitatis. Et sequitur: ecce à minori suo reprehenditur, et reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat, quod prius in apostolatum vocatus est: non quod claves regni cœlestis accepit, etc. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona quæ acceperat, quasi à memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret. *Greg. super Ezech. pa. 2. ho. 6.*

39. Multi homines et culpam confitentur, et humiles non sunt. Nam multos novimus, qui arguente nullo, peccatores se confitentur. Cum verò de culpa sua fuerint fortasse correpti, patrocinium defensionis quærunt, ne peccatores esse videantur. Et sequitur: Initia autem veræ confessionis sunt, ut sicut quisque peccatorem se dicit, ita id de se dicenti altero non contradicat. Et superbiæ vitium est, ut quod faleri de se quisque sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur. *Greg. lib. 21. mor. super illud Job. 31. Si celavi in sinu meo.*

40. Tunc protervos melius corrigimus, quum ea quæ bene egisse credunt, male acta monstramus, ut unde adepta gloria creditur, inde utilis confessio subsequatur. *Greg. in past.*

41. Major culpa, quo citius, quia culpa est, agnoscitur, eò etiam celerius emendatur. Minor verò dum quasi nulla creditur, eò pejus, quo et securius in usu tenetur. *Greg. ibid.*

42. Juvenes plerumque severitas admonitionis profectum dirigit: senes verò ad meliora opera deprecatio blanda componit. *Ibidem.*

43. Si is, qui corrigere nititur, ira superatur, opprimit ante, quàm corrigat: nam dum plus quam debet accendit, sub justæ ultionis obtentu ad immanitatem crudelitatis effrænatur. *Greg. 26. moral.*

44. Mundus esse á vitiis debet, qui aliena corrigere curat: qualenus tantò perspicacius aliis fugienda videt, quantò hoc ipse per scientiam, et vitam celerius declinat: quia nequaquam puré in membro maculam considerat oculus, quem pulvis obtenebrat, et superjectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. *Greg. lib. 6. moral.*

45. Si ab increpatione idcirco relicemus, quia contra nos insurgere derisionis odia formidamus, non jam lucra Dei, sed nostra quærimus. *Greg. lib. 25.*

46. Nonnumquam qui inter flagellorum duriliam remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi: nam plerumque, quos cruciamenta non corrigunt, ab iniquis actibus lenia blandimenta compescunt: quia et ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua revocavit. *Greg. in past. c. 8.*

47. Sæpè hoc magnis doctoribus, mirandisque contingit, ut quo alta charitate fervent, modum correctionis exagerent: ut lingua aliquid quod non debet, dicat: quia mentem dilectio, quantum debet, inflammat. *Greg. in past. et inmor.*

48. Sicut laudabile decretumque est, reverentiam et honorem debitum exhibere majoribus: ita rectitudinis et Dei timoris est, si quid in eis correctione indigeret, nulla dissimulatione postponere: ne totum corpus (quod absit) incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite. *Greg. in reg.*

49. * Qui potest emendare, et negligit, participem proculdubio se constituit: qui alterius bonum juvat, suum facit. *Greg. 33. moral.*

50. * Difficilius malum corrigitur, quod perfectiore etiam prosperitate fulcitur. *Bern. lib. 3. de consid.*

51. Impunitas, incuriæ soboles, insolentiæ mater: radix impudicitiæ, transgressionum nutrix est. *Bern. lib. 3 de consid.*

52. Magna crimina et tardè credenda sunt, quum audiuntur, et citius punienda, quum veraciter agnoscuntur. *Bern. super Cant.*

53. Mira perversitas medicanti irasci, qui non irascitur sagitanti, id est, adulanti, vel ad peccatum incitanti: *qui sagitant in obscuro rectos corde. Bern. ibidem.*

54. Quum carpuntur vitia, et inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit, quod argui debeat: non ille qui arguit. Non ergò timeas contra charitatem esse, si unius scandalum multorum recompensaveris pace. Melius est enim ut pereat unus, quàm unitas. *Bern. super cant. c. 2.*

55. Prælati nostri culicem liquant et camelum deglutiunt dum majora prætermittentes, minora discutiunt. Optimi rerum æstimatores, qui magnam in minimis, et parvam aut nullam in maximis adhibent diligentiam. *Bern. tractans illud Matth. 23. Duces cæci, etc.*

56. Qui delinquentem superbo vel odioso animo corrigit, non emendat, sed percutit. Quicquid enim protervus vel indignans animus protulerit, objurgantis furor est, non dilectio corrigentis. *Isid. lib. 3. de sum. bon. c. 91.*

57. Qui blando verbo castigatus non corrigitur, acrius necesse est arguatur: cum dolore sunt abscindenda, quæ leniter sanari non possunt. *Isid. ibidem c. 46.*

58. Qui admonitus secretè de peccato corrigi negligit, publice arguendus est, ut vultus, quod occulte sanari nescit, manifeste debeat emendari. *Isid. lib. 3. de sum. bon. c. 96.*

59. Facilius reprehendimus vitia aliena quam nostra: nam sæpé, quæ perversa in aliis judicamus, in nobis nocibilia esse minus sentimus. *Isid. ibid.*

60. Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus fuerit involutus. Improbum enim est, arguere quicquam in alio, quod adhuc reprehendit in seipso. Qui enim veraciter fraternam vult

corripere ac sanare infirmitatem, talem se præstare fraternæ utilitati studeat: ut eum, quem corripere cupit, humili corde admoneat. Sicut enim viri spirituales alieni peccati emendationem expectant: ita protervi, delinquentibus deridendo insultant, et quantum in ipsis est, insanabiles putant. *Isid. lib. 8. de sum. bon. c. 32.*

61. Plerumque princeps justus malorum errores dissimulare novit: non quod iniquitati eorum corsentiat, sed quod aptum tempus correctionis expectet: quando eorum vitia vel emendare valeat vel punire. *Isid. ibid. lib. 3. in fine.*

62. Non uniformiter secundum mensuram delictorum increpationes quoque oportet inferri, sed diligenter aspicere eorum, qui deliquerunt vires atque propositum: ne forte volens rupta sarcire, majorem operetur diruptionem: et cupiens erigere collapsa, casum inferat graviorem. *Chrisost. in suo Did. lib. 2.*

63. Semper scelera, dum non resecantur, in augmenta facinorum prosilitur, quoties secura impunitate peccatur. Dum enim in Absalon fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur. *Chrysost. in quod. serm.*

64. Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem, et gravia facientem. *Chrysost. in ill. Matth. 18. Digito etc.*

65. * Correctio igne et ferro vehementius operatur. *Chrysost. ep. ad Hebr. ho. 13.*

66. Si docens mysteria legis aperias, secretorum arcana discutias, peccantem verò non arguas, negligentem non corripias, severitatem disciplinæ non teneas, obtulisti quidem coccum, sed non duplicatum. Ignis enim tuus tantum illuminat, non accendit. Qui ergò recte offert, et recte dividit, coccum offert duplicatum, ut conscientiæ igniculum lumine severitatis admisceat. *Origines in exod. ho. 30.*

67. Non vult te Dominus, si forte videris peccatum fratris tui, continuo evolare ad publicum, et

proclamare passim, et divulgare aliena peccata: quod esset utique non corrigentis, sed potius infamantis: solus, inquid, inter te et ipsum corripe eum: ubi enim servari sibi mysterium viderit, ille qui peccat, servabit, et ipse emendationis pudorem. Si verò diffamari se viderit, illico ad denegandam impudentiam converteretur, et non solum non emendaveris peccatum, sed duplicaveris. *Orig. in Levit. c. 55. tractans illud. Si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te et ipsum.*

68. Illud non ociose transcurrendum est, quod uno peccante, ira Dei super omnem populum venit: hoc quomodo accidit? quando sacerdotes, qui populo præsunt, erga delinquentes benigni volunt videri, et verentes peccantium linguas, ne forte male de eis loquantur, sacerdotalis severitatis immemores, volunt complere, quod scriptum est: *peccantes coram omnibus argue, ut etc. Idem super num.*

69. Dum sacerdotes uni parcunt, universæ ecclesiæ molluntur interitum. Quæ est ista bonitas, ista misericordia, uni parcere, et omnes in discrimen adducere? Polluitur enim ex uno peccatore populus sicut ex una ove morbida universus grex inficitur. *Orig. ibid. super lib. nu. hom. 14.*

70. Ita peccat, qui videt fratrem peccare, et tacet: sicut qui pœnitenti non indulget: nam qui dixit, si peccaverit, dimitte: præmisit si peccaverit, increpa, ne difficilis sit venia, et remissa indulgentia. *Rav. super illud Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus.*

71. Puella in domo patris arbitri surgit, et eis, ut nemini manifestent præcipit. Juvenis extra portam turba comitante. Lazarus quoque coram multis: quia publica noxa publico egel remedio, levis leviori, et occulta culpa secreta indiget pœnitentia. *Rav. super illud Matth. 9. Puella surge.*

72. Leviter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. *Prosp. lib. 8. de vita contemplativa.*

73. Odio habeantur peccata non homines: corripiantur lumidi, tolerentur infirmi, et quod severius castigare necesse est, non sævientis plectatur animo sed medentis. *Leo papa et ponit. 86. distinct.*

74. Facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare: et libat domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa, et negligere cum possit, perturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere: nec caret scrupulo confessionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Primus innocentiæ gradus est, odisse nefanda. Latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum: et nihil prodest alicui, non puniri proprio, qui puniendus est de alieno peccato. *Ibid.*

75. Iniquitas quippe mortalium more putredinis sine fine vagaret, si eam medicinalis increpatio minime desecaret. *Cass. in Psal. 38.*

76. Occurrendum est, ne tractu temporis impunita malitia convalescat, et vires iniquitati dissimulatio, vel indulgentior gratia subministret: sed clarius audita correctio doceat imperitiam, et compescat audaciam. *Cass. super quadam epist.*

77. Culpam indulgentia prævenire non debet, ne securitas audaciam alat, et ad delinquendum fiducia remissionis invitet. *Ibidem.*

78. Malum, quum perseverat, augetur, et remediabile bonum est in peccato accelerata correctio. *Cass. lib. 3. epist.*

79. Ægris non una causa salutis est, alter his reficitur, alter per abstinentiæ beneficia tenuatur, hic lavacra mollia, ille ferrum quærit ad vulnera, et varium poscit remedium diversa qualitas passionum. Feroces districtione premendi sunt, mansueti civiliter admonendi, dolosi caute, simplices sub lenitate tractandi sunt, et ideo ubique necessaria probatur esse prudentia, quæ rebus omnibus abhibere videtur accommoda. *Cass. 9. epist.*

80. Exhibe te Joannem incestuosis, Matthiam apostatis, fornicantibus Phineem, Eliam idololatris,

Petrum mentientibus, blasphemantibus Paulum, negotiantibus Christum. Brevissimus est hujus vitæ temporalis excursus, finis autem horribilis et incertus. *Pet. Rav. in quodam serm. sive in epist.*

81. Perversum corrigere, nihil aliud est, quam stimulare insanum, quam oleum adhibere camino, et ventis incendia superare. *Pet. Rav. in quodam serm.*

82. Difficile est cor malitia induratum ad formam disciplinæ, et speciem honestatis incurvare: sed necesse est, ut dura materia, quum facile ad formam non flectitur, ei acrioris flammæ incendium, et mallei gravioris percussio adhibeatur. *Hugo de S. Vict. in lib. de institut. novitiorum.*

83. Severitas est per quam judiciaria potestas, vel vindicta districtius in aliquem exercetur. *Tullius 2. Rhetor.*

84. Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariæ, in quibus utendum est fortè et vocis contentione majore, et verborum gravitate acriore. *Tullius 1. Offic.*

85. Terentius intuens villicum suum male meritum, sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem. Maluit enim impunitum relinquere, quam per iram amplius justo punire. *Val. Max.*

86. In judicando sive corrigendo hæc tria lex secula est, quæ princeps quoque sequi debet: Ut aut eum quem punit, emendet: aut pœna eos cæteros meliores reddat: aut sublatis malis, securiores cæteri vivant. *Senec. de clementia ad Neron.*

87. Non minus turpia sunt principi multa supplicia, quam medico multa funera. *Senec. ibid.*

88. Fortassis, de quo conquereris, si diligenter inspexeris, in sinu reperies. Inique publico crimini irasceris stulte, tu, ut absolvaris, ignosce. *Ibidem.*

89. Objurgationi semper aliquid blande commisce: facilius penetrant verba, quæ mollia vadunt, quam quæ aspera. *Senec. in quadam epist.*

90. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis nocet, qui malis parcit. *Senec. in lib. de moribus.*

91. Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Res enim optima est, non sceleratos extirpare, sed scelera. *Ibidem.*

92. Audebo peccanti mala sua ostendere: vitia ejus si non excidero, inhibebo: non desinent, sed intermittent. Fortasse autem desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint. *Senec. 48. epist.*

93. Nobilis equus umbra virgæ regitur, ignavus nec calcaribus concitari potest. Vulgi imperitiam ad res justas sola constringit necessitas. *Senec. de moribus.*

94. * Quantum potes, teipsum coargue, inquire in te accusatoris plurimum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris, aliquando etiam te ostende. *Senec. 28. epist.*

95. Puniendis peccatis tres esse causas existimatum est, una cum adhibetur pœna castigandi atque emendandi gratia, ut is, qui deliquit, attentior fiat correctiorque: Alia est quum dignitas ejus auctoritasque, in quem peccatur, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemptum ejus pariat. Tertia propter exemplum, ut cæteri metu pœnæ terreantur. *Gell. lib. 6. Et ponit Taurus in commen. Pla.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 14. in tit. Adulatio, núm. 5, 36. in tit. Amicitia, núm. 3, 59, 98. in tit. Communitas, núm. 1, 5. in tit. Confessio, núm. 14, 28. in tit. Consideratio, núm. 7. in tit. Consuetudo, núm. 21. in tit. Conversatio, núm. 1, 12. in tit. Crudelitas, núm. 1, 4, 5, 6. in tit. Disciplina, núm. 4. in tit. Discordia, núm. 1. in tit. Discretio, núm. 13. in tit. Divitiæ, núm. 1, 5. in tit. Doctrina, núm. 12. in tit. Excusatio, núm. 8, 11. in tit. Exemplum, núm. 6, 29, 32. in tit. Homicidium, núm. 5. in tit. Ira, núm. 39. in tit. Justitia, núm. 2. in tit. Malitia, núm. 17. in tit. Mansuetudo, núm. 5, 7. in tit. Medicina, núm. 1, 4. in tit. Miseria, núm. 7, in tit. Munus, núm. 1. in tit. Pœnitentia, núm. 11. 33. in tit. Prædicatio, núm. 28, 29. in tit. Prælatio, núm. 18, 19, 20, 49, 69. in tit. Sacerdos, núm. 19, 24, 38. in tit. Subjectio, núm. 3. in tit. Venia, núm. 16.

in tit. Verecundia, núm. 15. in tit. Veritas, núm. 5. in tit. Vitium, núm. 15.

CREATIO, SIVE CREATOR.

1. Tria quædam maxime scienda de creatura, nobis oportet intimari: quis eam fecerit, per quid fecerit, quia fecerit. Si ergò quærimus quis fecerit, Deus est. Si per quid, dixit, fiat, et facta sunt. Si quare fecerit, quia bonus est. Nec enim auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quam ut bonum crearetur á Deo bono. Hanc etiam causam condendi mundum Plato justissimam dicit, ut à Deo bono opera bona fierent. *Aug. lib. 11. de Civ. Dei c. 21.*

2. Intelligat qui potest, judicet qui potest: majus ne sit justos creare, quam impios justificare. Certe enim et si æqualis est utraque potentiæ, hæc majoris est misericordiæ. *Aug. super Joan.*

3. Ex perpetuitate creaturarum intelligitur creator æternus, ex mansuetudine omnipotens, ex ordine et dispositione sapiens, ex gubernatione bonus. *Aug. ibidem.*

4. Non est fas, angelos neque bonos, neque malos putare creatores. *Aug. lib. 2. de Trin. c. 7.*

5. * In creaturis siquid erratum cogitamus, inde est, quod non congruis sedibus ea quærimus. *Aug. lib. 3. de lib. arbitrio c. 2.*

6. Considera septem in beneficio creationis: quod creavit te commodo tuo, cui ait: *bonorum meorum non eges* David: sine merito tuo: quia nihil ante promeruit, qui penitus nihil fuit. Cogita qualem fecit, secundum corpus egregiam creaturam: secundum animam, magis egregiam, utpote imagine Creatoris insignem, rationis participem, beatitudinis sempiternæ capacem: considera et dominationis potestatem: terror enim hominis super cuncta animantia imminere decernitur: considera ergò largitatis demonstrationem, quanta tibi largitus est ad sustentationem, quanta ad

eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ad correctionem, quanta ad delectationem, quid ni gratias agas? *Bern. in quodam serm.*

7. Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto? hoc modo: nec enim tam facile refectus quam factus. In primo opere, me mihi dedit, in secundo se: et ubi se dedit, me mihi reddidit: datus ergo et redditus me pro me debeo et bis debeo. Sed quid Domino pro se retribuam? nam et si me millies reprehendere possem, quid sum ad Dominum meum? *Bern. de diligendo Deo.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 21. in tit. Deus, núm. 14. in tit. Homo, núm. 11. in tit. Parentes, núm. 1.

CRUDELITAS.

1. Numquid stultis et insensatis ac brutis animalibus levia verba et non magis aspera, ut tales decet, dum delinquunt objicienda sunt? Sæpius enim contingit, ut leniter ac dulcedine correctio prolata spernatur, et econtra humilitatis verba despectionis jacula emittuntur, et protervia dicit. *Aug. in lib. de conflictu vitiorum et virtutum.*

2. Persequi facit homines aut divitiarum ambitus, aut superbiæ odiosa jactantia. Pauperem et mendicum insequi sola sævitia est vel crudelitas, cujus nec honor quæritur nec abundantia facultatis ambitur. *Cass. super Psal. Persecutus est hominem inopem.*

3. Quid prodest crudelibus persequi, quos vident persecutionibus semper augeri? *Cass. ibid.*

4. Evitabis crudelitatem, et ministram crudelitatis iram. Et alibi: Respue crudelitatem, et matrem crudelitatis iram. *Senec. in lib. de moribus.*

5. Severissimè enim nos adversum peccantes erigimus, et ipsi eadem committimus. *Senec.*

6. Nam tam omnibus ignoscere est crudelitas quam nulli modum tenere. *Seneca de clementia ad Ner.*

7. Crudelitas nihil aliud est, quam atrocitas animi in pœnis exigendis. Crudeles vocabo, qui puniendi causam habent: modum non habent. *Sen. ibid.*

8. Crudelitas minime humanum malum est, indignumque regio animo: ferina ista rabies est, sanguine gaudere, ut vulneribus, et abjecto homine in sylvestre animal transire. *Ibidem.*

9. Plerumque homines in suis domibus sævissimi tyranni, in alienis humillimi servi sunt. *Seneca.*

Vide etiam in tit. Conjugium, núm. 14. in tit. Correctio, núm. 7, 30, 58, 74, 83, 85. in tit. Magnanimitas, núm. 8.

CRUX.

1. Crux Christi nobis totius causa beatitudinis est: hæc nos à cæcitate liberavit erroris: hæc à tenebris reddidit luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos Deo conjunxit: à longè constitutos proximos præsentavit: hæc peregrinantes cives ostendit: hæc discordiæ amputatio est: hæc pacis firmamentum: hæc donorum omnium abundans largitio. *August. in serm. de parasceve.*

2. Hodie crux fixa est, et seculum sanctificatum est: hodie crux fixa, et demones dispersi sunt: hodie crux fixa est, et mors subversa est: hodie crux vincit, et mors victa est: hodie diabolus vinctus est, et homo solutus est, et Deus glorificatus est. *Aug. ibid.*

3. Crucem, ut in ea gloriemur, dominus suo gestans humero pro virga regni nobis commendavit, quod est grande ludibrium impiis: grande mysterium piis: et unde mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit: quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia et gloria. *Aug. super illud Gal. 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce, etc.*

4. Signum crucis à nobis expellit exterminatorem si tamen cor nostrum Christum habeat inhabitatorem. *Aug. super Joan.*

5. Auctor pietatis in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: Apostolis persecutionem, Judæis corpus, patri spiritum, Virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatori infernum,

Christianis verè pœnitentibus crucem commendavit. *Amb. in serm. de pass.*

6. Dei filius sustinuit ignominiam crucis, et tu beatos putas, qui felicitate istius sæculi et deliciis perfruuntur. *Hier. in epist.*

7. Si ingressi fuerint ad te latrunculi per oculos, per aspectum crucis perime eos. *Ibidem.*

8. Duobus modis crux tollitur: quum, aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. *Greg. in hom. Si quis. etc.*

9. Diabolus in virga crucis transglutiens carnem humanitatis, transfixus est homo divinitatis. *Gregor. in hom.*

10. Christus in passione paticuliam exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, charitatem perficit: his virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur, et est super omnia charitas, à dextris obedientia, à sinistris patientia, in profundo radix virtutum humilitas. *Bern. super Cant. serm. 65.*

11. *Scapulis tuis obumbrasti mihi*, etc. Sub his scapulis quatuor nobis beneficia conferuntur: sub his enim abscondimur, sub his ab incursu accipitrum et milvorum protegimur, quæ sunt aëreæ potestates: sub his umbraculum salubre nos refrigerat, et nimium solis ardorem repellit: sub his quoque alimur et fovemur: his virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur. *Bern. ibid.*

12. O verè cœlestis planta pretiosior cunctis, sanctior universis: ò verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare salutis fructum. *Bern. in serm.*

13. Vide, quid de Deo tuo sentias, vide quantum de eo præsumas. Vide quis brachiis vicariæ charitatis amandus et amplectendus sit, qui tanti te æstimavit: imò qui tanti te fecit. De latere enim suo te formavit, quando pro te in cruce abdormivit, et ob hoc somnum mortis excepit. Propter te á Deo patre exivit, et matrem synagogam reliquit, ut adhærens ei, unus cum eo spiritus efficiaris. *Bern. super Cant. serm. 28.*

14. Crux est humilium tuitio invicta, superborum dejectio, victoria Christi, perditio Diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vita justorum de qua Joannes Chrisostomus: Crux est Christianorum spes, crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, conversorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. *Cass. super illud Psal. Signatum est super nos, etc.*

15. Crux Christi clavis est paradisi, hæc infirmorum baculus, pastorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus et corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum datrix. *Damas. lib. 4.*

16. Crux non solum dicitur quæ tempore passionis ligni afflictione conficitur, sed quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptantur, ut non solum intelligatur crux ligni patibulum, sed piæ vitæ virtutisque propositum. Unde omnis Christiani vita, qui secundum Evangelium vixerit, crux est atque martyrium. *Maxim. in serm. de martyr.*

Vide etiam in tit. Passio.

CUPIDITAS.

1. Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum et corpus suum, flagellum vocatur: quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur: et hæc duo sunt genera omnium peccatorum. *Aug. de doctrina Christ.*

2. Superbia et cupiditas in tantum unum malum sunt, ut nec superbia sine cupiditate, nec sine superbia cupiditas possit inveniri. *Aug. ad quendam Comit.*

3. Non est in carendo difficultas, nisi quum fuerit in habendo cupiditas. *Aug. in lib. confess.*

4. Tanto magis inhæret Deo quilibet, quanto minus diligit proprium. *Aug. in quadam epist.*

5. Cupiditas dicit, valde sine culpa es, qui quidem habenda concupiscis, quia non multiplicari ap-

petis: sed egere pertimescis, et quod malus alius retineret, ipse melius expendis. *Aug. in l. de conflict.*

6. Sicut hi, qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident, ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum credit videre, semper reditus compulat. Aurum gratius, quam solem intuetur, ipsa ejus oratio et supplicatio ad dominum, aurum quærit. *Ambr. super il. Joan. Attulit ager cujusdam divitiis.*

7. Cupidus ait: Quid injustum est, si cum aliena non invadam, propria diligentia servo? O impudens dictum! propria dicis, quæ ex rebus reconditis in hunc mundum detulisti, quando in hanc ingressus es lucem? Quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibusque subsidiis stipatus intrasti? Sequitur. Tantorum ergo te scias invadere bona, quantis possis præstare, quod vales. *Ambr. ibid. et ponitur 97. dist.*

8. Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptis indomitis volvitur, laniatur, affligitur. *Ambr. lib. de virgin.*

9. Quum augere opes, aggregare pecuniam, occupare terras possesionibus cupimus, præstare divitiis, justitiæ formam exuimus, benelicentiam communem amittimus. *Ambr. in lib. de offic.*

10. Bonorum auctori aliter inhærere non valemus, nisi cupiditatem á nobis quæ omnium malorum radix est, abscindamus. *Greg. in hom.*

11. Cui cupiditas dominari dicitur, subjectus malis omnibus demonstratur. *Greg. lib. 15. moral.*

12. In pœna modum impatientiæ, in paupertate cupiditatis scrupulum, in obedientia nodum caveas propriæ voluntatis. *Bern. in quodam serm.*

13. Nihil in hac vita laboriosius, quam desideriis terrenis æstuare: et nihil hic quietius, quam hujus sæculi nihil appetere. *Bern. in serm. 6.*

14. Qui semel Christi servus effectus est, non erit mammonæ famulus, cujus certe é regione fit dominus.

Illa enim ut fugientem sequi, ita fugere consuevit sequentem, nullum sic honorat ut contemptorem sui, nec ita irridet aliquem ut eos, qui eam nimium concupiscunt. *Chrys. ho. 9. super Matth.*

15. Appositio divitiarum majorem accendit flammam, et vehementer fit cupido. *Chrys. ibid.*

16. Virum Catholicum, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore, ita nulla oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ avida, nec abstinere novit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. *Leo papa in serm.*

17. An non tibi videtur á terra devorari ille, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, qui de terra litigat, terram desiderat, et omnem spem suam ponit in terra, qui ad cœlum non respicit, qui futura non cogitat, qui judicium Dei non meluit, nec beata ejus promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, et ad æterna non suspirat? Talem quum videris, dicito quia devoravit eum terra. *Orig. ho. 19. super Levit.*

18. *Quid faciam? destruam horrea mea*, etc. Quis non talem misereatur? quis non infelicitatem ejus doleat? Angustatur ex abundantia, constringitur et testatur ex opulentia, infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et ideo ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit graviores. *Basil. in hō. super illud.*

19. Omnium malorum radix est cupiditas, transgresionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, siccaria virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum. *Pet. Rav. 11. serm.*

20. Radix malorum est cupiditas, hæc sacrilegia committit, furta et rapinas exercet et prædas, bella gerit et homicidia, simoniace vendit et emit. Inique petit et recipit, et injuste negotiatur et fœneratur. Instat dolis et imminet fraudibus, dissolvit pactum, et violat juramentum, corrumpit testimonium, et pervertit judicium. *Innoc. de vilitate conditionis hum.*

21. Tria maxime solent homines affectare, opes, voluptates, honores: de opibus prava, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt. Nam opes generant cupiditatem et avaritiam, voluptates pariunt gulam et luxuriam, honores nutriunt superbiam et jactantiam. *Ibidem.*

22. O ignis inextinguibilis, cupiditas insatiabilis, quis unquam primo voto fuit contentus? quum adipiscitur quod optaverat, desiderat ampliora, semper in habendis, et nunquam in habitis finem constituit. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes. Affer, affer:* nam Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. *Ibidem.*

23. Ex eo quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum: filiam quis habet, pecunia est opus: duas, majore: plurimas majore, etiam si (ut ajunt) Danao quinquaginta sint filiæ, tot dotes magnam quæruut pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, ut ante dixi divitiarum modus. Quid de eo, qui filias non plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quæ brevi tempore magnas copias exhaurire possint? *Senec. in quad. epist.*

24. Qualem dicimus seriem causarum esse, ex quibus nectitur fatum, talem dicimus cupiditatem: altera ex fine alterius nascitur: in eam dimissus est vitam quæ nunquam tibi terminum miseriarum ac servitutis ipsa factura sit. Plurima et undique ingesta non satiant. Utrum istorum mavis, in inopia saturitatem, an in copia famem. *Senec. 9. epist.*

25. Quamdiu tibi satis nil fuerit, ipse aliis non eris. Quomodo, inquis, exibo? utrumque cogita, quam multa temerè pro pecunia, quam multa laboriose pro honore tentaveris? quantum ad successum accesseris, tanto accedet et metus. *Seneca.*

26. Vidisti aliquando canem missa frustra panis aperto ore captantem: quicquid accepit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis, quicquid expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluntate dimittimus: statim ad rapinam

alterius erecti et attoniti, in Epicurum illud Chaos incidimus, inane sine termino est. *Senec. 13. epist.*

27. Nullum habet majus malum cupiditas quam quod ingrata est: nemo quos vincit, sed à quibus vincatur, aspicit, et illi non tam jucundum est multos videre post se, quam grave aliquem ante se: habet hoc vitium omnis ambitio, nec respicit, nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis incipit à fine. *Senec. epist. 74.*

28. Cupiditas felicitatem suam non intelligit, quia non unde venerit, respicit, sed quo tendat. *Ibidem.*

29. Nunquam parum est, quod satis est, et nunquam multum, quod satis non est. Neminem pecunia divitem fecit: imo contra nulli non majorem sui cupidinem ingessit. *Senec. in epist.*

30. Fortissima pestis est cupiditas, quæ solet egenos facere, quos capit, dum finem quærendi non invenit: nam altera cupiditas ex alterius fine nascitur, et ideo fortior est, qui cupiditatem vincit quam qui hostem subjicit. *Ibidem.*

31. Alienum nobis, nostrum plus aliis placet: effugere cupiditatem, regnum est vincere. *In Prov.*

32. Cupiditati tarda est etiam celeritas. Valerius avidissimum quemque egenissimum esse dicebat. *Sen. ibid. in Prov.*

33. Cupiditates honoris, imperii, potentiæ, gloriæ, in maximis animis splendidissimisque ingeniis existunt. *Cicer. 1. offic.*

34. * Cupiditates non foris sólum se jactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusæ inter se dissident, atque discordant. *Cicer. de finibus lib. 1.*

35. * Cupiditates sunt insatiabiles, quæ non modo singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant sæpe rempublicam. *Ibidem.*

36. * Ex cupiditatibus, odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Ambitio, núm. 26, 27. in tit. Amor, núm. 2. in tit. Avaritia et Charitas, núm. 2. in tit.

Cor, núm. 11, 16. in tit. Divitiæ, núm. 6, 9, 45, 48, 49, 53. in tit. Fama, núm. 6. in tit. Mors, núm. 77. in tit. Pax, núm. 28. in tit. Potestas, núm. 17. in tit. Prudentia, núm. 5. in tit. Relinquere, núm. 21, 25, 31, 34. in tit. Superbia, núm. 11.

CURIOSITAS.

1. Curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad corrigendum suam. *Aug. lib. 10. confess.*

2. * Curiositas causa ferè est omnium, quæ cognoscuntur á nobis.

3. Humilitati saluberrimæ, qua Dominus noster Jesus Christus, ut docet, humiliatus est, maximè adversatur quedam, ut ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus quid Anaximedes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, et cæteri hujusmodi, ut docti eruditique videantur, cum à doctrina et vera eruditione longe absint. *Aug. in epist. ad Dioscor.*

4. Compescat se humana temeritas: et id, quod non est, non quærat: ne illud, quod est, non inveniat. *Aug. de Gen. cont. Man. lib. 1.*

5. Fons elationis et delectatio libidinis, et venenum curiositatis motus sunt animæ mortuæ, quia non ita moritur, ut omni motu careat, discedendo à fonte vitæ moritur, atque suscipitur à prætereunte seculo, et conformatur eidem. *Aug. in lib. confess.*

6. Multo facilius invenit syderum conditorem humilis pietas, quam syderum ordinem superba curiositas. *Aug. in ser. de eclip. Sol.*

7. Sunt qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta sit majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè perquirant. Unde etiam tanta superbia gignitur, ut in ipso cœlo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur. *Aug. in lib. de moribus eccle.*

8. In consideratione creaturarum non est vana et peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, et semper manentia faciendus. *Aug. de vera relig.*

9. Dæmonum cibus est, carmina Poetarum, sæcularis scientia, Rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla justitiæ refectio reperitur: studiosi earum in fame veri, et virtutum penuria perseverant. *Hier. in epist. de duobus filiis.*

10. Nugas tenemus, et, fonte veritatis amisso, opinionum rivulos consectamur. *Ibidem.*

11. Sacerdotes, dimissis evangeliis, et prophetiis, videmus comœdias legere, et amatoria bucolicorum versuum verba cantare. *Ibidem.*

12. Grave curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandum vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, ut aliena sciens, se nesciens sit: et curiosus animus, quanto peritius fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. *Greg. hom. 36. sup. illud: Juga boum emi quinque.*

13. Curiosus foras egreditur, et exterius omnia considerat, qui sic interna despicit, prælerita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit. *Bern. in quodam serm.*

14. * Pius pulsator plerumque invenit quod temerarius scrutator invenire non potest. *Bern. super cant. serm. 24.*

15. Multi student plus alta, quam apta proferre, et erubescunt plana et humilia, ut hæc solum scire videantur. *Bern. in serm.*

16. Doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. *Bern. super Cant.*

17. Adolescentibus in ludo literarum positis non tam placent solida, quam picta, quæque potius pulchra, quam utilia sectantur, nec tam agentia diligunt, quam sonantia. Magis gaudent foliorum amœnitate conspargi, quam fructuum ubertate nutriri. *Chrysost. in prol. super Matth.*

18. Pharisæi de Deo quærere contendentes, nihil aliud se invenisse confessi sunt, nisi quod incognos-

Cor, núm. 11, 16. in tit. Divitiæ, núm. 6, 9, 45, 48, 49, 53. in tit. Fama, núm. 6. in tit. Mors, núm. 77. in tit. Pax, núm. 28. in tit. Potestas, núm. 17. in tit. Prudentia, núm. 5. in tit. Relinquere, núm. 21, 25, 31, 34. in tit. Superbia, núm. 11.

CURIOSITAS.

1. Curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad corrigendum suam. *Aug. lib. 10. confess.*

2. * Curiositas causa ferè est omnium, quæ cognoscuntur á nobis.

3. Humilitati saluberrimæ, qua Dominus noster Jesus Christus, ut docet, humiliatus est, maximè adversatur quedam, ut ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus quid Anaximedes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, et cæteri hujusmodi, ut docti eruditique videantur, cum à doctrina et vera eruditione longe absint. *Aug. in epist. ad Dioscor.*

4. Compescat se humana temeritas: et id, quod non est, non quærat: ne illud, quod est, non inveniat. *Aug. de Gen. cont. Man. lib. 1.*

5. Fons elationis et delectatio libidinis, et venenum curiositatis motus sunt animæ mortuæ, quia non ita moritur, ut omni motu careat, discedendo à fonte vitæ moritur, atque suscipitur à prætereunte seculo, et conformatur eidem. *Aug. in lib. confess.*

6. Multo facilius invenit syderum conditorem humilis pietas, quam syderum ordinem superba curiositas. *Aug. in ser. de eclip. Sol.*

7. Sunt qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta sit majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè perquirant. Unde etiam tanta superbia gignitur, ut in ipso cœlo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur. *Aug. in lib. de moribus eccle.*

8. In consideratione creaturarum non est vana et peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, et semper manentia faciendus. *Aug. de vera relig.*

9. Dæmonum cibus est, carmina Poetarum, sæcularis scientia, Rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla justitiæ refectio reperitur: studiosi earum in fame veri, et virtutum penuria perseverant. *Hier. in epist. de duobus filiis.*

10. Nugas tenemus, et, fonte veritatis amisso, opinionum rivulos consectamur. *Ibidem.*

11. Sacerdotes, dimissis evangeliis, et prophetiis, videmus comœdias legere, et amatoria bucolicorum versuum verba cantare. *Ibidem.*

12. Grave curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandum vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, ut aliena sciens, se nesciens sit: et curiosus animus, quanto peritius fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. *Greg. hom. 36. sup. illud: Juga boum emi quinque.*

13. Curiosus foras egreditur, et exterius omnia considerat, qui sic interna despicit, prælerita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit. *Bern. in quodam serm.*

14. * Pius pulsator plerumque invenit quod temerarius scrutator invenire non potest. *Bern. super cant. serm. 24.*

15. Multi student plus alta, quam apta proferre, et erubescunt plana et humilia, ut hæc solum scire videantur. *Bern. in serm.*

16. Doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. *Bern. super Cant.*

17. Adolescentibus in ludo literarum positis non tam placent solida, quam picta, quæque potius pulchra, quam utilia sectantur, nec tam agentia diligunt, quam sonantia. Magis gaudent foliorum amœnitate conspargi, quam fructuum ubertate nutriri. *Chrysost. in prol. super Matth.*

18. Pharisæi de Deo quærere contendentes, nihil aliud se invenisse confessi sunt, nisi quod incognos-

cibilis est Deus: sed sicut qui innavigabile Occeanum usurpat navigare, dum non potest transire, necesse est, ut per eandem viam revertatur, sic et illi ab ignorantia cœperunt, et in ignorantia finierunt. *Chrys. super illud Matth. 21. Nemo novit filium nisi pater.*

19. Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda, ne et in illis illicite curiosi, et in his damnabiliter inveniantur ingrati. *Prosp. de vocatione gent.*

20. De altitudine discretionis Dei, non conturbabitur cor humilitatis nostræ: si firma et stabili fide omne judicium Dei justum, esse secretum, et ubi investigari non potest, quare ita judicet: sufficiat scire quis judicet. *Ibidem.*

21. Lauda et venerare, quod agitur: quia tuum est nescire, quod agitur. *Ibidem.*

22. Curiositas est superflua investigatio ad se non pertinentium. *Hugo.*

23. O quanti veritatem quærunt, non in veritate, sed in vanitate! quæsitam inveniunt, non ad veritatem, sed ad vanitatem: et quod miserrimum est, in verbis vitæ lucra mortis negotiantur. *Rich. de S. Victore in quodam serm.*

24. Odibilius nihil est subtilitate, ubi est sola subtilitas. Quid enim prodest in illis expendere dies suos, quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in claustro, nec in curia, nec in ecclesia, nec alicubi prosunt, nisi dumtaxat in scholis? Scribens Seneca ad Lucilium, Quid est, inquid, acutus arista, et in quo est utilis? tale est, inquit, ingenium, quod sola subtilitate lasciviens nulla in se residet gravitate. *Pet. Rav. in serm.*

25. Maximum vitium subtilitatis est, nimis se ostendere: utilissima autem est dissimulatio subtilitatis, quæ effectu adparet, habitu latet. *Ibidem.*

26. Quidam ante, quam disciplinis elementaribus imbuantur, docentur inquirere de puncto, de linea, et superficie, et quantitate animæ, de fato, de casu, et libero arbitrio, de materia et motu, et principiis corporum, de progressu multitudinis, et magnitudinis sectione, quid sit tempus, quid inane, quid locus, de refluctione Occeani, de ortu Nili, de variis latentis naturæ secretis, de variis figuris causarum, de primis rerum initiis, et aliis quampluribus, quæ plenioris scientia fundamentum, et eminentiores exigunt intellectus. *Pet. Rav. in serm.*

27. Quæ utilitas est schedulas evolvere, firmare verbo tenus summas, et sophismatum versutias inversare, damnare scripta veterum, et reprobare omnia, quæ non inveniuntur in suorum schedulis magistrorum? *Pet. Rav. ibid.*

28. Sobrius intellectus in omnibus optimus est, qui reficit animam, nec gravat mentem: unde mel invenisti, comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud, et perjures nomen Dei tui. *Glo. super illud Eccles. 3. in super vacuis rebus noli scrutari multipl.*

29. Acrior est cupiditas ignota cognoscendi, quam nota repetendi: hoc in histrionibus, hoc in oratoribus, hoc in omnibus denique rebus videmus accidere: ad nova homines concurrunt, ad nova conveniunt, adeo ut quicquid insolitum est in turba, etiam notabile est. *Senec. lib. 3. Rheto. sua.*

30. Multum temporis illi verborum cavillatio eripuit: nectimus nodos, et ambiguam significationem verbis illigamus, ac deinde dissolvimus. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo unquam nisi, dum disputat, captus est? Res fallunt, illas discerne. Sophismata nec ignoranti noscent, nec scientem juvant. *Senec. 45. epist.*

31. Nam illi non inventa, sed quærenda nobis reliquerunt, et invenissent forsitan necessaria, nisi supervacua quæsissent. *Senec. ibid.*

32. Verba copiosa componis, et interrogans vincula nectis, et dicis, acuta sunt ista; nihil acutius arista, et in quo est utilis? quædam inutilia et inefficacia ipsa subtilitas reddit. *Senec. 83. epist.*

33. Nulla est sine difficultate subtilitas. *Senec. 45. epistol.*

34. Relinque istum ludum literarum Philosophorum, rem magnificam ad syllabas vocant, qui animum minuta discendo diminuunt et conterunt, et id agunt, ut philosophia potius difficilis, quam magna videatur. Socrates, qui totam Philosophiam revocavit ad mores, hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere. *Senec. 72. epist.*

35. Istæ ineptiæ Poetis relinquantur, quibus aures oblectare propositum est, et dulcem fabulam nectere. Sed qui ingenia sanare et fidem in rebus humanis relinere, ac memoriam officiorum animis ingerere volunt, serio loquantur, et magnis viribus agantur. *Sen. in lib. de beneficiis.*

36. Demens omnibus merito viderer, si eum saxa in munimentum murorum senes et fœminæ congererent, cum juventus intra portas armata signum eruptionis expectaret, cum hostilia in portis tela vibrarent, et ipsum solum suffosionibus et stimulis tremeret, sederem otiosus, et hujusmodi quæstiunculas ponens: *Quod non perdidisti, habes: cornua autem non perdidisti, cornua ergo habes*: numquid tibi demens videar, si istis impendero operam, et nunc obsideor? quid agam? mors me sequitur, vita fugit. Adversus hæc me doce aliquid: effice ut ego mortem non timeam, et vita me non effugiat. *Senec. 16. epist.*

37. *Mus syllaba est: mus autem caseum rodit, syllaba ergo caseum rodit.* Quod mihi ex ista sententia periculum imminet? quod incommodum? An forte acutior est ista collectio: *Mus syllaba est, syllaba autem caseum non rodit, mus ergo caseum non rodit?* O pueriles ineptias, in hoc supercilia subduximus, in hoc barbam dimisimus, hoc est quod tristes docemus et pallidi. Si multum esset ætatis, parce dispensandum erat, ut sufficeret necessariis: nunc quæ dementia est supervacua discere in tanta temporis egestate? *Sen. 49. epist.*

38. Quid te torques, et laceras in quæstione? quam subtilius est contempsisse, quam solvere? *Sen. epist. 1.*

39. Quid horum ad virtutem viam sternit syllabarum enarratio, verborum diligentia, et fabularum memoria, et versuum lex, et modificatio? quid ex his metum demit, cupiditatem frænat? Musica monstrat mihi qui sunt modi flebiles: monstret potius quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometer docet latifunda, potius doceat quomodo metiar, quantum homini satis sit: docet quomodo nihil perdam ex finibus meis: at ego discere volo, quomodo totus hilaris amittam. Scis rotunda metiri, si artifex es, metire hominis animum, dic quàm magnus, dic quam pusillus sit. Scis quæ recta sit linea, quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras? *Senec. in lib. de 7. liberalibus artib. Ibidem.*

40. Hoc scire quid proderit, ut solicitus sim, quum Saturnus et Mars ecntrario stabunt: aut quum Mercurius vespertinum faciet occasum videnie Saturno: potius quam hoc discam, ubicumque ista sint, propicia esse, nec posse mutari. *Ibidem.*

41. Ista liberalium artium consectatio molestos, intempestivos, verbosos sibi placentes facit, et ideo non discentes necessaria: quia supervacua didicerunt: quare ergo liberalibus studiis filios erudimus? non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem præparant. *Senec. ibid.*

42. Innumerabiles quæsliones fiunt de anima tantum. Unde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quamdiu sit, an aliunde alio transeat, et domicilia mutet, et ad alias animalium formas, an non amplius, quam semel serviat, et emisus vagetur in toto, quid sit facturus animus: quum per nos aliquid facere desierit, quomodo libertate sua usurus, quum ex hac effugerit cavea, an obliviscatur priorum. Hæc tam multa, tam magna, ut habere possim liberum hospitium, supervacua ex animo tollenda sunt, non dabit se in has angustias virtus. Expellantur omnia, totum pectus illi vacet. *Senec. ibid.*

43. Non multum nocebit tibi ista transire, quæ nec licet scire, nec prodest. Quicquid enim nos me-

liores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit. *Ibidem.*

44 Quatuor millia librorum Didymus Grammaticus scripsit: misererer homini, si præsens esset, si in tam multa legisset supervacua. In his libris de patria Homeri quæritur, de Æneæ matre vera: his an libidinosior aut ebriosior vixerit, in his an Sappho publica fuerit: et alia quæ erant dedicenda, scire si scires. Sed si ad nostros quosque perveneris, ostendam multa securibus resecanda. Metire ergo ætatem tuam, tam multa non capit. Audi quantum mali faciat nimia subtilitas, et quam infesta sit veritati. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 1, 2. in tit. Doctrina, núm. 22, 38. in tit. Error, núm. 7. in tit. Judex, núm. 19. in tit. Meritum, núm. 3. in tit. Philosophia, núm. 11. in tit. Studium, núm. 29.

DAMNUM, SIVE DAMNATIO.

1. Non sic sapit lucrum, quomodo dolet damnum: fortior est in confessione Christi, qui damna non timuit, quam qui lucra contempsit. *Aug. in serm. de S. Steph.*

2. Vis ut ille non damnet, tu damna: vis ut ille ignoscat, tu ignosce. Nemo nisi per indebitam misericordiam liberatur, et nemo nisi per debitum judicium damnatur. *Aug. de Char.*

3. Est pulchritudo universæ creaturæ per hæc tria: inculpabili damnatione peccatorum, exercitatione justorum, perfectione bonorum. *Aug. de ver. relig.*

4. Apertus damnationis testis est, ipse timor iniquitatis: quia et timetur, quod agitur: et tamen malum non vincitur, quod timetur. *Greg. in moral.*

5. Melius est enim in præsentia damna contemnere, quam exiguo quæstu perpetua commoda non habere. *Cass. lib. 4. epist.*

6. * Damna parva nonnunquam magni lucri sunt causa. *Greg. 5. diæ.*

7. * Damnum qui pati non debet, qui pro communi bono aliquid expendit. *Idem in re.*

8. * Damna majora timentes cœlestis iræ damna incurrunt. *Idem lib. 6. dial.*

9. Damnum nisi ex abundantia rarò venit. *Sen. in prov.*

10. Omnia perdidi, cum omnibus perire potuisti. Noli conqueri quod incideris, gaude quod evaseris. Qui se habet, nihil perdidit. *Senec. de rem. fort.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 8. in tit. Amissio et Consilium, núm. 18.

DEBITUM.

1. Sic sub auctoritate superbia, et humanus timor sub humilitate se palliant, ut sæpè nec ille valeat considerare quid Deo, nec iste, quid debeat proximo. *Greg. in moral.*

2. Deputemus intelligentiam datam quasi pecuniam mutuatam, quo plus nobis creditur ex benignitate, eo debitoris amplius tenemur in opere. *Greg. ibidem.*

3. Stultus est debitor, qui gaudens pecunias accipit: et tempus quo reddere debeat non attendit. *Greg. ibidem.*

4. * Debitores sumus præcipue quinque, scilicet corpori, cordi, fratri, sanctis et mortuis. *Bern. de ver. Dom.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 3, 5. in tit. Divitiæ, núm. 2, 15. in tit. Meritum, núm. 12, 13.

DECIMA.

1. Hæc est Domini justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revocaberis; id est, dæmonibus, quæ est decima pars angelorum, associaberis. Dabis, inquit, impio militi, quod non vis dare sacerdoti. *Aug. de doct. Christ. et ponitur 16. q. 1. Decim.*

2. Si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem animæ et cor-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

poris consequeris, quia decimas dando et terrena et cœlestia possis præmia promereri. Unde qui decimas dare nolunt, res alienas invadunt: et dominus qui dignatus est totum donare, decimas à nobis dignatus est recipere. *Aug. ibid. et ponitur 16. q. 1. Reverti.*

3. Attende quod creatura decima inter intellectuales creaturas est homo, quia angeli in novem ordinibus: decimus autem ordo est hominum. Et ideò est hominis decimam solvere, ut ruinam angelorum valeat suplere. *Aug. in serm. de Dec.*

4. Justitiam, misericordiam, et fidem non propter suam gloriam mandavit Deus, sed propter sacerdotes. *Chrys. super illud Matth. 23. Qui decimatis.*

5. Quia non reddidisti decimas et primitias, idcirco in penuria et fame maledicti estis: quia dum parva subtrahitis, ubertatem possessionum vestrarum et totam abundantiam frugum perdidistis. Sciatis vos ideo perdidisse abundantiam, quia fraudastis me parte mea. Moneo igitur ut reddatis mihi mea, et ego restituam vobis vestra. *Hier. in glo. super ill. Malac. 3. Inferte omnem etc. Et ponitur 16. q. 1. Revertimini.*

6. Sacerdotes, qui propter decimas corripiunt populum, et majora peccata tacent, docent colare culicem, et deglutire camelum: id est, à modico abstinere, et majora committere. *Chrys. ibid.*

Vide etiam in tit. Eleemosyna, núm. 2, 4.

DELITIÆ.

1. Qui dat pro modica delectatione illud pro quo CHRISTUS se tradidit, stultum Christum reputat mercatorem. *Aug. in quodam serm.*

2. Delectatio cecidit, et præteriit, vulneravit, et transiit: miserum fecit et abiit: infelicem reddidit et reliquit. *Ambr. in quodam serm.*

3. Quicumque à pueritia dederit se delitiis, manebit in servitute, ut vivens mortuus sit. *Ambr. in quadam epist.*

4. Corporales delitiæ, quum non habentur, grave in se desiderium accendunt: quum verò habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium vertunt: at contra spirituales delitiæ, quum non habentur, in fastidio sunt: quum habentur, in desiderio. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat. In istis autem saturitatem appetitus, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales delitiæ desiderium in mentem, dum saliant. *Greg. in hom.*

5. Hi frequenter majores tribulationes ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur. *Greg. lib. 12. moral.*

6. Sicuti impossibile est, ut ignis inflammetur in aqua: ita impossibile est compunctionem cordis vigere in delitiis. Contraria enim hæc sibi sunt invicem, et peremptoria. Illa enim mater fletus, hæc mater est risus: illa cor constringit, ista dissolvit. *Chrys. in lib. de comp. cord.*

7. Centum si placeat annos demus delitiis, adde et alios centum: si libet, adde et decies centum: quæ erit ex his ad æternitatem compensatio? Nonne omne tempus vitæ hujus quo delitiis frui videmur, et indulgere libidini, quasi noctis unius somnium ad æternitatis comparationem videtur? *Chrys. de rep. lap.*

8. Mens assueta delitiis, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. *Bern. in quadam epist.*

9. Facile onus afflictionis ii sentiunt, qui uti suavibus delitiis consueverunt. *Cass. lib. 4. epist.*

10. Plato etiam præcepit duas corporis summitates non velandas, nec assuefieri debere mollitiei, capitis scilicet et pedum. Cum enim hæc habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt. *Tull. de Parad.*

11. Effœminat animos amœnitas nimia. Quamlibet viam jumenta patiuntur, quorum dura in aspero ungula est. In molli palustrique pascuo saginata citò subteruntur, et fortior ille ex confragoso venit. Nullum laborem recusant manus, quæ ab aratro ad arma transferuntur. In primo pulvere deficit unctus et nitidus. *Senec. 55. epist.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

12. Mirum est fortiter aliquid dici ab homine molliciem professo. *Senec. ibid.*

13. Innatum est ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura descripsit: ut salvi essemus, non ut delicati: deliliis misserè ac solicitè omnia comparantur. Utamur ergò hoc naturæ beneficio inter magna numerando, et cogitemus nullo nomine illam melius meruisse de nobis, quam quia quicquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur. *Senec. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 19. in tit. Eleemosyna et Militia, núm. 2, 29. in tit. Paupertas, núm. 11. in tit. Periculum, núm. 3. in tit. Voluptas.

DESIDERIUM.

1. Qui desiderat, etsi lingua taceat, corde cantat: qui autem non desiderat, quolibet amore, quolibet clamore aures hominum feriat, intus mutus est Deo. *Aug. super Psal. 86.*

2. Etiam quod tempore acceleratur, desiderio tardum videtur. *Aug. 68. epist.*

3. *Quod oculus non vidit*, etc. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari in illud potest, dignè cogitari et verbis explicari non potest. Desiderium sinus cordis est. Capiemus, si desiderium quantum possumus, extendamus. *Aug. super Joan.*

4. Quo diutius abest, quod desideratur, tanto expectantis desideria majori quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur et augetur. *Ambr. super Beati immaculati.*

5. Cuncta desideria dilatione crescunt: si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. *Greg. ho. 25. super Evang.*

6. Sancti viri unde desideriorum suorum detrimenta tolerant, inde majora lucra conversis aliis reportant. *Greg. ibid.*

7. Valentiores voces apud secretissimas aures Dei non verba faciunt, sed desideria. *Greg. in moral.*

8. Quid clamas ad me? Voces apud aures Dei non faciunt verba nostra: sed desideria. Æternam enim vitam si ore petimus, nec corde desideramus, et ore tacemus, tacentes clamamus. *Ibidem.*

9. Etiam celeritas in desiderio mora est. *Senec. in pre.*

Vide etiam in tit. Concupiscentia, núm. 6. in tit. Cupiditas, núm. 13. in tit. Delitiæ, núm. 4. in tit. Opus, núm. 5. in tit. Tempus, núm. 1.

DESPERATIO.

1. Latro agnovit, Petrus negavit. In Petro demonstratur quemque justum non de se præsumere, in latrone nullum impium debere diffidere conversum. Timeat ergò bonus, ne pereat per superbiam, et malus non desperet per multam malitiam. *Aug. in lib. de symbol.*

2. Nemo desperet. Judam traditorem non tam scelus, quod commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. *Aug. in lib. de utilit. pœni. ag.*

3. Ne desperando augeamus peccata, propositus est penitentiæ portus: rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. *Aug. ibid.*

4. Desperatio certa mors est. *Ambr. super Luc. libro 2.*

5. Desperatio homicida est animæ. *Aug. Psal. 50.*

6. Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum, præmia divina desperet, novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. *Aug. serm. 6.*

7. Incumbit virtuti sæculi, qui desperat de adjutorio Dei. *Ambr. super Mar.*

8. Illius æternæ civitatis januas nobis desperatio claudit, spes aperit, fiducia latum præbet ingressum. *Chrys. de rep. laps.*

9. Nullus desperet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitentiam convertatur: unumquemque enim Deus de suo fine, non de vita præterita judicat. *Isid. de sum. bon. lib. 2.*

10. In vita hominis finis quærendus est: quoniam Deus non respicit quales antea vixerimus, sed quales circa finem vitæ fuerimus. *Ibidem.*

11. Perpetrare flagitium aliquod mors est animæ, sed desperare est in infernum descendere. *Ibidem.*

12. Sceleratior omnibus, ò Juda, et infelicior extitisti: quem non pœnitentia duxit ad dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. *Leo papa in serm.*

13. Prima salus est declinare culpam, secunda, non desperare veniam: quia ipse se in æternum punit, qui apud verum judicem ad pœnitentiam non recurrit. *Hugo de vera sap.*

14. Quamvis autem sint aspera et difficilia quæcumque sunt in excelsis posita, non dubie fit, ut in apertum campum veniant, si itinerantibus nihil desperationis occurrat. *Val. epist. in quodam serm.*

15. Desperatio est ad vitæ statum vel virtutum reditum fracta spei gubernatio. *Victorin.*

16. Nemo se mutat, qui se mutari desperat. *Sen. lib. de moral.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 55. in tit. Apostoli, núm. 2. in tit. Ignorantia, núm. 2. in tit. Pœnitentia, núm. 34, 35, 39. in tit. Spes, per totum.

DETRACTIO.

1. Quum ipsam scripturæ veritatem criminati obscurare non possunt: hos per quos prædicatur, inducunt in odium, de quibus effingere quicquid in mentem venerit, possunt. Unde jam Apostolicæ prophetiæ tempus videtur instare: *Erit tempus, in quo sanam doctrinam non sustinebunt. Aug. in ep. ad Ipon.*

2. * Detractione patientia nostra probatur. *August. lib. 3. cont. Petil.*

3. * Pejor est detractio in magni nominis viris, quam in plebeis. *Aug. in Psal. 49.*

4. Obloquium est absenti detrahere, et dolose mordere.

5. Plus nocent in membris detrahentes Christo, quia animas creditorum interficiunt, quam qui ejus carnem mox resurrecturam peremerunt. *Aug. de diffin.*

6. Si hilari vultu detractorem audieris, tu illi das fomitem detrahendi: si verò tristi, ut ait quidam, discit non libenter dicere, quod didicit non libenter audiri. *Aug. in gl. super illud Psal. Pro eo ut me.*

7. Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. *Greg. super illud prov. 25.*

8. Bilinguis serpens habetur, atque mortalis, eo quod diaboli minister aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur. *Aug. in lib. de parad.*

9. Cave ne aut linguam aut aures prurientes habeas, id est, aut ne ipse detrahas aliis aut alios audias detrahentes. *Hier. in epist. ad Nepot.*

10. Nulli unquam omnino detrahas: et si aliorum vituperatione te laudabilem videri velis, magis tuam vitam ornare disce, quam alienam carpere: ac semper memor esto scripturæ dicentis. *Noli diligere detrahere, ne erradiceris*: Pauci etenim sunt, qui huic vitio renuncient. *Hier. ad Celant.*

11. Rarumque invenies, qui irreprehensibilem vitam suam exibere velit, ut his non libenter reprehendat alienam: tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extraneum laqueum diaboli incidant. *Hier. ibid.*

12. Nihil tam facile, quam otiosum, et dormientem, de aliorum labore, et vigiliis disputare. *Hier. super Oseam.*

13. Cave ne ipse detrahas aliis, aut alios audias detrahentes, non minus auribus, quam lingua fugias detractionem: nam detractor dum te videt non libenter audire, non facile potest detrahere. *Hier. in epist. ad Nepot.*

14. * Vilium satis hominum est, et suam laudem quærentium, alios viles facere: quia alterius vituperatione se laudari putant: et qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione malorum. *Hier.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

15. Sicut sagitta, si mittatur contra duram materiam, nonnunquam inmittentem revertitur, et vulnerat vulnerantem: ita detractor, quum tristem faciem viderit audientis, imo non audientis, sed obturantis aures suas, ne audiat sanguinem, illico conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliva siccatur. *Hier. in epist. ad rustic. mon.*

16. Incongruum est lingua per totum mundum vagari, et corpore latere. *Hier. ibid.*

17. Per Salomonem dicitur. *Noli esse in conviviis potatorum, neque comedas cum eis, qui carnes ad vescendum conferunt.* Carnes ad vescendam conferre, est in collocutione derogationis vicissim in proximorum vitia dicere. *Greg. lib. 4. moral.*

18. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant: et in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant. *Greg. super Ezech. ho. 9.*

19. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in pulverem sufflant, et in oculos suos terram excitant, ut unde pulvis detractionis perflaverit, minus inde veritatis videant? *Ibidem.*

20. Linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant: ita per sui malitiam exitatas debemus æquanimiter tolerari, ut nobis meritum crescat. Aliquando autem compescere: ne dum de nobis mala disseminant, eorum, qui audire nos ad bona poterant: corda innocentium corrumpant. *Ibidem.*

21. *Non maledicas surdo* etc. Surdo maledicere, est absenti ac non audienti derogare: coram cæco offendiculum ponere est, discretam quidem rem agere, sed lumen ei, qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere. *Greg. in past.*

22. Omnem, qui palam veretur dicere, quod in aure loquitur, suspectum habeas: quod si coram te judicare ille tenuerit, delatorem judices, non accusatorem. *Bern in lib. de consid.*

23. Detractor, et libens auditor, uterque diabolum portat in lingua. Si pauper es, utilem et abjectum te reputat: si dives, ambitiosum, avarum et cupidum: si affabilis, disolutum: si prædicator vel doctor, honoris et humani favoris quæsitorem: si tacens, inutilem: si jejunus, hypocritam: si comedens, voratorem. *Bern. in serm.*

24. Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert: sed et is, qui citò aurem criminibus præbet. *Isid. de sum. bon. lib. 3.*

25. Non est ambiguum, omnem humanum eloquii sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse: quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque sit motus animorum, et contra veritatem aut non intellectam aut offendentem stultæ voluntatis error obnititur. *Hilar. in prin. lib. de Trinit.*

26. Dentes dicti sunt à demendo, ideò pulchré linguæ detrahentium dentes vocantur, quia sicut illi ciborum partes demunt: ita et isti opiniones hominum corrodunt. *Cass. super Psalm.*

27. Quis hominum sic cautus est, ut si inter æmulos loquatur, nullum verbum ejus incurrat aliquam quæstionem? nam menti furore ebriæ, omne quod rectum dicitur, perversum videtur. *Cass. super Psalm. Dixi custodiam, etc.*

28. Detractores autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas á detractore alta præmitti suspiria: sicque cum quadam gravitate et tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, et voce plangenti egredi maledictionem, et quidem tanto persuasibiliorem, quantò creditur ab his qui audiunt, corde non invido, sed magis condolenti affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quod diligo eum satis, et nunquam potui de hac re corrigere eum, et alias mihi quidem bene compertum fuerat de eo istud: sed per me nunquam innotuisset: at quoniam per alterum patefacta res, veritatem negare non possum, revera ita est. *Bern. super Cant. serm. 24.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

29. Numquid non vipera est lingua detractoris ferocissima? plane nimirum, quæ tam lætaliter inficiat flatu uno. Numquid non lancea est lingua ista? profecto acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. *Bern. in serm.*

30. Detractio est locutio ex invidia procedens bona aliorum denigrans. *Hugo.*

31. Detractor est qui bona proximi, in quantum potest, minuit. *Idem.*

32. Congregat paulatim minima, ut post longum silentium cuncta simul objecta plus noceant, quæ minus opinionem læderent, si per se singula prolata fuissent. *Hugo de S. Vict. super Psalm. 55.*

33. Fit enim, nescio quomodo, ut magnis in aliis cernamus, si quid delinquitur, quam in nobis. Unde poeta: Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? *Val. Max.*

34. Socrates dicente sibi quodam multos de eo male loqui, non desinis mihi, inquit, in auribus meis maledicere. *Val. Max. lib. 7.*

35. Diogenes cum ei nunciasset amicus: te amici cuncti viluperant: oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus feriri: esse enim meliorem indicat mala lingua, quem carpit.

36. Nulla tam molesta fælicitas est, ut malignitatis dentes vitare possit. Qui alienis malis sicut suis bonis lætantur, diviles sunt alienis jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. *Senec. in epist.*

37. Difficilem oportet habere aurem ad crimina. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 22. in tit. Conversatio, núm. 8. in tit. Convitium, núm. 6. in tit. Excusatio, núm. 11. in tit. Fama, núm. 16. in tit. Invidia, núm. 24. in tit. Loquacitas, núm. 22. in tit. Murmur, núm. 7. in tit. Odium, núm. 9. in tit. Profectus, núm. 3.

DEUS.

1. Deus tibi totum est: si esuris panis tibi est, si sitis, aqua tibi est. Si in tenebris es, lumen tibi est: si nudus es, inmortalitate tibi vestis est. *Aug. super Joan. serm. 19.*

2. O vera summa suavitas omni suavitate dulcior, sed non carni et sanguini: omni luce clarior, omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimior in se. *Aug. lib. 6. de confess.*

3. O æterna veritas, et vera charitas, et chara æternitas, tu es Deus meus, ubi suspiro die ac nocte. *Aug. lib. 7. confess.*

4. Deus medicamentum est non sano, regula est pravo, lux est tenebrato, habitatio est deserto. *Aug. de charitate.*

5. Deus vera et summa vita, in quo et á quo, et per quem bona sunt omnia, quæ beata sunt, Deus à quo averti, cadere: in quem converti, resurgere: in quo manere, consistere est. Deus á quo exire, mori, et in quem redire, reviviscere, et in quo habitare, vivere est. Deus quem nemo amittit nisi deceptus, quem nemo quærit nisi admonitus, quem nemo invenit, nisi purgatus. *Aug. in soliloq.*

6. Deus est in seipso sicut alpha et omega. In mundo sicut rector et auctor. In angelis sicut sapor et decor. In ecclesia sicut pater familias in domo. In anima sicut sponsus in thalamo, in justis sicut adjutor et protector, in reprobis sicut pavor et horror. *Aug. super illud: Pater noster qui etc.*

7. Quicquid præter Deum est, dulce non est: quicquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum et se mihi det. *Aug. super Psal. 26.*

8. Non est quò fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum. *Aug. super Psal. 74.*

9. Deus totus oculus est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur: totus pes est, quia ubique est. *Aug. epist. c. 56.*

10. * Nescio quid spiritualiter et corporaliter in nobis facit Deus, quod nec sonus sit qui percutiat, nec color qui oculis discernatur, nec odor qui naribus capiatur, nec sapor qui faucibus judicetur, nec

durum et molle quod tangendo sentiatur: et tamen aliquid est quod sentire facile est, explicare non possibile. *Aug. super Joan.*

11. * Quæramus inveniendum, quæramus inventum: ut inveniendus quæratur, occultus est: ut inventus quæratur, immensus. *Ibidem.*

12. * Deus si fert auxilium, misericors: si non, justus esse creditur. *Idem in qu. vet. Test. c. 36.*

13. Non in loco Deus videtur, sed mundo corde, nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu: et quum absens est, videtur: et quum præsens est, non videtur. *Ambr. super Luc. lib. 1.*

14. Creator omnium Deus pater omnipotens ubique est, et ubique totus est: in parte non est, quoniam ubique est: et tunc minus invenitur, quando is qui ubique totus est, in parte quæritur. *Greg. lib. 1. moral.*

15. Numquam deest, et tamen ab iniquorum cogitationibus longè est, nec tamen ibi deest ubi longè est: quoniam ubi non est per gratiam, adest per vindictam. Deus ubique præsens est, et vix inveniri potest: stantem sequimur et apprehendere non valemus. *Greg. ibid. et in ho. 8. super Ezech.*

16. Ponamus ante oculos quæ sit illa Dei natura quæ tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Nequaquam autem Deus ex una parte sustinet, atque ex alia superexcedit: neque ex alia parte implet, atque ex alia parte circumplectitur, sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet, sine inquietudine superius regens, sine latitudine inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumstans. Est itaque inferior et superior sine loco, est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione, et qui per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam suam nusquam deest. *Ibid.*

17. Deus manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem. Sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. *Greg. ibid. et in mor.*

18. Pené omne quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quo potuit dici: nam cujus laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficiet loquens lingua? *Greg. lib. 20. moral.*

19. Non parum apprehendisti, si hoc tibi de Deo compertum sit, quod nusquam sit, qui non claditur loco, et nusquam non sit, qui non excludit loco. *Bern. de consid. lib. 5.*

20. Deus non partibus constat, ut corpus: non affectibus distat, ut anima. Non formis substat, ut omne quod factum est. Numquid verendum ne cogitatio transvolet illum? quantumcumque in altum proficiat, ultra est. In terra, quod homo cogitare possit altissimum quærere, ridiculum est statuere ipsum; ultra, non circa quærendus est. *Ibidem.*

21. Quam dives es in misericordia, quam magnificus in justitia, quam munificus in gratia, Domine Deus noster! non est, qui similis sit tibi. Munerator copiosissime, remunerator æquissime, liberator piissime, gratis respicis humiles, juste judicas innocentes, misericorditer etiam salvas peccatores. *Bern. serm. 53.*

22. Quid est Deus? longitudo, latitudo, sublimitas, profundum. Longitudo, propter æternitatem. Latitudo propter charitatem. Sublimitas propter majestatem. Profundum propter sapientiam. Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, luetur ut salus, operatur ut virtus, revelatur ut lux, asistit ut pietas: quæ omnia faciunt et angeli, facimus et nos: sed longé inferiori modo: non utique bono, quod sumus, sed quod participamus. *Bern. de consid.*

23. * Deus, cui proprium est misereri, ex se mise-

randi sumit materiam: quod autem condemnat, eum cogimus. *Bern. super Cant. serm. 7.*

24. Unusquisque, quod præ cæteris colit, quod super omnia miratur et diligit, hoc ei Deus est. Si quid illud est, quod in dilectionis laude præponderat, hoc tibi Deus est. *Orig. super Jud. ho. 1.*

25. Dominus, nec splene ridet, nec vultu subsannat. Ita ergo Dei vocatur retributio peccatorum. Nam motus divinitas non patitur, quæ semper eadem æterna, atque immobilis perseverat: sed ista conversio humanæ convenit fragilitati, ut de læto quis tristis, de placato iracundus, de benevolo reddatur offensus. *Cass. super illud Psal. 2. Tunc loquetur.*

26. Quum diligimus Deum, omnia in ipso reperimus. Unus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile, ò compendium singulare, cur nos per diversa fatigamus? Ad ipsum ergo unanimiter festinemus, postquam cuncta bona ultra non quærimus, sed tenemus. *Cass. super illud Psal. Inquirentes dominum, etc.*

27. Virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia inefabilis, cujus diffinitio est, finem in sanctis laudibus non habere. *Cass. super illud Psalm. Magnus dominus.*

28. Sicut enim nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate et misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse. *Hug. lib. 1. de claust. animæ.*

29. Deus est splendor nunquam deficiens, vita indefessa non moriens, fons semper scaturiens, seminale vitæ seminarium, sapientiæ principale principium, initiale bonitatis initium. *Alan. de conq. natur.*

30. Propè Deus est, tecum est, intus est. Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos, hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat: bonus verò vir sine Deo nemo est. *Senec. in epist.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 6, 7, 25, 26, 45, 49, 50, 54. in tit. Anima, núm. 11. in tit. Beatitudo, núm. 2, 10. in tit. Cogitatio, núm. 14. in tit. Consideratio, núm. 1, 4. in tit. Conversio, núm. 1, 4, 5, 21. in tit. Creatio, núm. 1, 3. in tit. Curiositas, núm. 18, 20. in tit. Dilectio, núm. 1, 4, 18. in tit. Gloria æterna, núm. 18, 19. in tit. Laus núm. 21. in tit. Misericordia, núm. 3. in tit. Passio, núm. 22. in tit. Sapientia, núm. 3. in tit. Scriptura, núm. 4. in tit. Trinitas per totum.

DEVOTIO.

1. Non putrescit cor, si levetur ad Deum: frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret levares illud ad superiora. Frumento tuo quæris mutare locum, et cor permittis in terra putrescere? frumentum levares ad superiora, cor leva in cœlum. Et unde, inquis, possum? qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? gradus affectus est, iter tuum voluntas tua est, amando ascendis, negligendo descendis, stans in terra, in cœlo es, si Deum diligis. *Aug. super Psal. 85.*

2. Si habet animus unde oblectetur extrinsecus, sine deliliis manet interius. *Aug. super Joan.*

3. Anima Deo devota sic se actus corporis et terrenos exuit, mores ut vestiat, quomodo si velit rursus induere. Consuetudo enim boni usum veteris pravitatis amisit. *Aug. de virginit.*

4. Hæc est vera fortitudo, quæ naturæ usum, sexus infirmitatem, mentis devotione transgreditur. *Aug. in lib. de vita.*

5. Nescio, quid incorporaliter et spiritualiter in nobis facit Deus: quod nec sonus sit, qui aurem perculiat, nec color, qui oculis discernatur, nec odor, qui naribus capiatur, nec sapor, qui faucibus judicetur, nec durum et molle, quod tangendo sentiatur, et tamen aliquid est, quod sentire facile est, explicare non possibile. *Aug. super Joan.*

6. Si nos virtus devotionis in intimis afficit, omnis strepitus pravæ suggestionibus obmutescit. *Greg. in hom.*

7. Viros ad offerenda Deo munera venientes in medio civitatis interfecit: quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, surripiente hoste, dum devotionis portant hostiam, in ipso itinere perdunt vitam. *Greg. ibid. et in moral.*

8. Non omnibus eodem modo data est gratia ista, scilicet devotio. Porro Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo secreti hujus gratiam sunt assecuti. Prior mulier stravit in tuto loco humilitatis, posterior in solio spei, Thomas in fundamento fidei, Joannes in lecto charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis. Sic apud sponsum mansiones multæ sunt. *Bern. super Cant.*

9. Temporis præterili fructus est compunctio, futuri flos est devotio. *Ibidem.*

10. Mel in cera, devotio in litera: alioquin litera occidit, si absque condimento spiritus gluteris. *Ibid.*

11. Est unguentum contritionis, est unguentum pietatis: primum pungitivum dolorem faciens: secundum temperativum dolorem leniens, tertium sanativum morbum expellens. *Ibidem.*

12. Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora super mel et favum menti propinare non dignatur. Ubi curiosa ciborum diversitas, ubi divitis suppellectilis discolorum varietas oculos pariter pascit et ventrem, cœlestis panis jejunam deserit mentem. *Bern. super Cant.*

13. Melius est devotum in minoribus, quam indevotum in majoribus profectionibus inveniri. *Bern. in epist.*

14. Devotio est fervor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis manifestat indiciis. *Joan. Cass. in coll. Joan. Abba. Hugo.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 3. in tit. Contemptus, núm. 3. in tit. Delitiæ, núm. 4, 6. in tit. Desiderium et Servitium, núm. 2.

DIABOLUS.

1. Internas animæ cogitationes diabolum non videre certi sumus: sed motu eas corporis ab illo et affectionum indiciis colligi et experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille novit, ad quem dicitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominum. Aug. de diff. ecclesiasticorum dogmatum.*

2. Diabolus plerumque vult nocere, et non potest, quia potestas ista est sub potestate. Nam si tantum posset nocere diabolus quantum vult, aliquis justorum non remaneret. *Aug. super Psal.*

3. Anima nunquam á corpore vinceretur, nisi prius à diabolo teneretur. Nam nisi quis porci more vixisset, nunquam accepisset in eo diabolus potestatem: aut si accepisset, non ut perderet, sed ut probaret. Sine permissione Dei diabolum nocere non posse cognoscas: ne potentiam diaboli magis timeas, quam divinitatis offensam. *Hæc Ambr. super Luc.*

4. Prius complexionem unuscujusque adversarius perspicit, et tunc tentationis laqueos opponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit: quo ergo adversarius occultus facile capiat, vicinas complexionibus decepliones parat: quia lætitiæ voluptas, proxima lætis moribus, luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus peccatum discordiæ porrigit: quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæcumque voluerint, blandis favoribus trahit. Singulis igitur omnibus vitiis convenientibus insidiatur. *Greg. 29. moral. super illud Job. Dividitur æstus sup. terram.*

5. Perfecte adversarius vincitur, quando mens nostra in tentamenta ejus ad delectationem atque consensum non contrahitur, et inter contumelias proximi ab odio custoditur, et inter flagella Dei à murmuratione compescitur. *Greg. in hom.*

6. Injustum est servire diabolo, qui nullo placatur obsequio. *Bern. ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

7. * De diaboli manu non evaditur, nisi citius ad pœnitentiam recurratur. *Greg. 1. moral.*

8. * Diabolus primò opera nostra, deinde verba, et tandem cogitationes accusat. *Greg. 2. moral.*

9. * Quum diabolus mala quæ accuset non invenit, ad malum ipsa bona flectere quærit. *Ibidem.*

10. * Diabolus à facie Domini exiit, quia tentationis potestatem accipiens ad malitiæ suæ vota pervenit. *Ibidem.*

11. * Diabolus acrius insurgit, quando disciplinæ custodes ventri servire cognoscit. *Greg. 3. moral.*

12. * Diabolus non solum per seipsum, sed et per eos qui nobiscum sunt nos tentat. *Greg. 4. moral.*

13. * Diabolus, quo valentius vincitur, ei adhuc ad insidias ardentius instigatur. *Ibidem.*

14. Dæmonum est, mala suggerere: nostrum est, non consentire. Quoties eis resistimus, toties eos superamus, angelos glorificamus, Deum honoramus, qui visitat, ut pugnemus: adjuvat, ut vincamus: consolidat, ne deficiamus. *Bern. in serm.*

15. * Diabolus quum servos Dei tentat, etiam utilitat servit, quum eos per tentationes suas non decipit. *Bern. ad soror.*

16. * Invidet diabolus humano generi: volens illud habere subjectum, quia prævidet hominem futurum. *Bern. in serm. 18.*

17. * Hostes indefessi nos asidue oppugnant, modo aperte, modo fraudulenter, quos ne videre quidem possumus, quanto minus cavere. *Bern. in Evang. 7. p.*

18. In primis gravis et insuperabilis est impetus diaboli: quod si quis forti animo sustinuerit eum, in secundo inveniet eum infirmiorem. Quanto enim plus percussus fuerit, magis refrigescit et deficit. *Chrys. super Matth.*

19. Dæmones triplici acumine præscientiæ vigent, scilicet subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum *Isid. l. 1. de sum. bo.*

20. Quanto propinquius finem mundi diabolus videt: tanto crudelius persecutiones exercet: ut qui se

continuo damnandum conspicit, sibi socios multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur. *Isid. ibid.*

21. Diabolus quando decipere quemquam quærit, prius naturam uniuscujusque intendit, et inde applicat, unde aptum hominem ad peccandum inspexerit. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

22. Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur. *Isid. ubi supra.*

23. Contra eum, quem possidet diabolus, acrius sævit, quando se divina virtute ab eo expellendum cognoscit. *Isid. ibid.*

24. Lata et spatiosa itinera vitæ lætalis, illic illecebræ, et mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, ut fallat: arridet, ut noceat: allicit, ut occidat. *Cyprian. in quadam epist.*

25. Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, corruptor sæculi: hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia addit amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, humana violat, divina tentat. *Pet. Rav. tractans ill. Matth. 2. Ductus est Jesus, etc.*

26. Diabolus semper primordia bona pulsat, captat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens quod ea subvertere fundata non possit. *Pet. Rav. ibid.*

Vide etiam in tit. Antichristus, núm. 1, 2, 3, 17. in tit. Cor, núm. 1. in tit. Error, núm. 8. in tit. Fraus, núm. 3, 8. in tit. Homicidium, núm. 2. in tit. Mendacium, núm. 12. in tit. Mors, núm. 1, 3. in tit. Peccatum, núm. 1. 14. in tit. Pœnitentia, núm. 22. et in tit. Tentatio per totum.

DILECTIO.

1. Illi Deum diligunt, qui non aliud, quam unde

7. * De diaboli manu non evaditur, nisi citius ad pœnitentiam recurratur. *Greg. 1. moral.*

8. * Diabolus primò opera nostra, deinde verba, et tandem cogitationes accusat. *Greg. 2. moral.*

9. * Quum diabolus mala quæ accuset non invenit, ad malum ipsa bona flectere quærit. *Ibidem.*

10. * Diabolus à facie Domini exiit, quia tentationis potestatem accipiens ad malitiæ suæ vota pervenit. *Ibidem.*

11. * Diabolus acrius insurgit, quando disciplinæ custodes ventri servire cognoscit. *Greg. 3. moral.*

12. * Diabolus non solum per seipsum, sed et per eos qui nobiscum sunt nos tentat. *Greg. 4. moral.*

13. * Diabolus, quo valentius vincitur, ei adhuc ad insidias ardentius instigatur. *Ibidem.*

14. Dæmonum est, mala suggerere: nostrum est, non consentire. Quoties eis resistimus, toties eos superamus, angelos glorificamus, Deum honoramus, qui visitat, ut pugnemus: adjuvat, ut vincamus: consolidat, ne deficiamus. *Bern. in serm.*

15. * Diabolus quum servos Dei tentat, etiam utilitat servit, quum eos per tentationes suas non decipit. *Bern. ad soror.*

16. * Invidet diabolus humano generi: volens illud habere subjectum, quia prævidet hominem futurum. *Bern. in serm. 18.*

17. * Hostes indefessi nos asidue oppugnant, modo aperte, modo fraudulenter, quos ne videre quidem possumus, quanto minus cavere. *Bern. in Evang. 7. p.*

18. In primis gravis et insuperabilis est impetus diaboli: quod si quis forti animo sustinuerit eum, in secundo inveniet eum infirmiorem. Quanto enim plus percussus fuerit, magis refrigescit et deficit. *Chrys. super Matth.*

19. Dæmones triplici acumine præscientiæ vigent, scilicet subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum *Isid. l. 1. de sum. bo.*

20. Quanto propinquius finem mundi diabolus videt: tanto crudelius persecutiones exercet: ut qui se

continuo damnandum conspicit, sibi socios multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur. *Isid. ibid.*

21. Diabolus quando decipere quemquam quærit, prius naturam uniuscujusque intendit, et inde applicat, unde aptum hominem ad peccandum inspexerit. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

22. Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur. *Isid. ubi supra.*

23. Contra eum, quem possidet diabolus, acrius sævit, quando se divina virtute ab eo expellendum cognoscit. *Isid. ibid.*

24. Lata et spatiosa itinera vitæ lætalis, illic illecebræ, et mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, ut fallat: arridet, ut noceat: allicit, ut occidat. *Cyprian. in quadam epist.*

25. Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, corruptor sæculi: hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia addit amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, humana violat, divina tentat. *Pet. Rav. tractans ill. Matth. 2. Ductus est Jesus, etc.*

26. Diabolus semper primordia bona pulsat, captat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens quod ea subvertere fundata non possit. *Pet. Rav. ibid.*

Vide etiam in tit. Antichristus, núm. 1, 2, 3, 17. in tit. Cor, núm. 1. in tit. Error, núm. 8. in tit. Fraus, núm. 3, 8. in tit. Homicidium, núm. 2. in tit. Mendacium, núm. 12. in tit. Mors, núm. 1, 3. in tit. Peccatum, núm. 1. 14. in tit. Pœnitentia, núm. 22. et in tit. Tentatio per totum.

DILECTIO.

1. Illi Deum diligunt, qui non aliud, quam unde

nomen ejus glorificent, exercent. *Aug. de vita Christ.*

2. Breve præceptum tibi præcipitur, dilige, et fac, quod vis: sive taceas, dilectione taceas: sive clames, dilectione clames: sive emendes, dilectione emendes: sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum exire. *Aug. de laude charitatis.*

3. Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli. Signent se omnes signo crucis, respondeant omnes amen, cantent omnes alleluja, baptizentur omnes, intrent ecclesias, impleant parietes basilicarum, non discernuntur filii Dei á filiis diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo: qui non habent charitatem, non sunt ex Deo. Magnum indicium, magna discretio, quicquid vis habere, hoc solum nisi habeas, nihil tibi prodest: alia si non habeas, hoc habe et implesti legem. *Aug. ibid. super illud 1. Joan. In hoc manifesti sunt filii Dei, etc.*

4. Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit, quum non eram: redemit quum perieram. Non enim eram, et de nihilo me fecit, non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus, sed hominem voluit me esse: dedit mihi vivere, sentire, discernere, reduxit me de exilio, redemit de servitio, vocabit me nomine suo: ut memoriale suum semper esset apud me. Unxit me oleo lætitiæ, quo ipse erat unctus, ut ab uncto essem unctus: et á Christo dicerer Christianus. *August. de spiritu et anima.*

5. Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute, et non cum ratione ambuletur. *Aug. in epist.*

6. Quantum Deum diligas, debes ex dilectione legis ejus ostendere. *Aug. de S. spiritus litera.*

7. Omnes homines æque diligendi sunt: sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi, quasi

quadam sorte, junguntur. *Aug. l. 1. de doctrina christ.*

8. Primo diligendus est Deus, secundo parentes, inde filii, post domestici: qui etiam si boni sint, malis filiis præponendi sunt. Inimicos autem non sicut teipsum, sed simpliciter: sufficit enim quod odio non habeas. *Glo. Aug. super illud Cant. 2. Ordinavit. etc.*

9. Dilige et fac quicquid voles, nihil tam facilè bonæ voluntati, quam ipsa sibi: et hoc sufficit Deo. *Aug. de ver. Dom.*

10. Vere diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio, quam coacto præcepta conservat. *Ambr. super Beati immaculati.*

11. Dilectionem firmi Christiani nulla vincunt tormenta. Amantis enim plus incitatur charitas, si eum, cujus sensit beneficia, prohibeatur amare. *Ambr. de Trin. l. 5.*

12. Pro magno diligi non debet, quicquid fine concluditur: illa appetenda, illa summopere diligenda, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. *Greg. in registr.*

13. Nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, nihil desiderabilius diabolo extinctione charitatis. *Greg. in pastorali.*

14. Inimici dilectio tunc veraciter custoditur, quum non de profectu dejicimur, nec de ruina ejus lætamur: nemo enim amat aliquem, quem non vult esse meliorem: et eum stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur. *Greg. 21. moral.*

15. Quando ignorabam, me instruxit: quando errabam, me reduxit: quando peccabam, me correxit: quando steti, me tenuit: quando cecidi, me erexit: quando ivi, me duxit: quando veni ad ipsum, me suscepit: Nec pro his omnibus, quid rependam habeo, nisi tantum ut diligam. Non enim melius nec decentius, quam per dilectionem rependi potest quod per dilectionem datum est. *Bern. super, illud Psal. Quid retribuam dom. etc.*

16. Non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. *Bern. super cant.*

17. Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt: aut corpora sua minus diligenda plus diligunt, aut proximos suos non sicut seipsos, aut Deum plus quam seipsos forte non diligunt. *Prosp. lib. 1. de vita contemplativa.*

18. Dilectio Dei est omnia commoda et incommoda postponere causa perfruendi Deo. Dilectio proximi est privata commoda postponere causa perfruendi amico. *Hug. de substantia dilect.*

19. Necesse est, ut quo præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus: ideò veritas ait: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit:* ut ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus. Vis nosse ubi thesaurizas? attende quid cogitas: ita fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum judicio tuæ cogitationis intelligas. *Fulgentius in quodam serm.*

20. Diligere, quasi de omnibus eligere. Ignis est charitas Dei, virtutum progressionibus crescens, quæ quanto magis concupiscitur, tantò efficacius ampliatur. *Cass. super Psal. diligam te Dom. etc.*

21. Inaudita est dilectio, quæ amicum diligit, et præsentiam ejus non amat. *Ibidem.*

22. Cum humanæ conditionis status multiplici motu varietur, nihil in temporalibus invenio præter unum, quod vitæ cœlestis imaginem representet. Sola dilectio est, quam non alterat casualis eventus, quam separatio corporalis non dividit, quam temporis longitudo non abolet, quæ defectui non succumbit. Sola dilectio est, per quam amicos absentes videmus, alloquimur, amplexamur, quæ sic quadam angelica agilitate et imaginario commeatu transvolat et recurrit, ut nihil de damno corporeæ molis aut distantiæ localis injuria conqueramur. *Pet. Rav. in epist.*

23. Fortis est dilectio ut mors, cum enim compagem membrorum, animæque et corporis fœdus amicabile mors abrumperet, dilectio econtrario diversas voluntates conflat in unam, et in glutino charitatis diversarum animarum consolidat unionem. *Ibidem.*

24. Dilectio absentiæ damna non sentit: cumque diuturnitate temporum plerumque soleat infirmari dilectio: et temporis tractu et locali distantia convalescit. *Ibidem.*

25. Nihil est quod non toleret qui perfecte diligit. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 1. in tit. Amicitia, núm. 34. in tit. Amor, Charitas, núm. 14, 15. in tit. Correctio, núm. 3, 4. in tit. Crux, núm. 8. in tit. Deus, núm. 24. in tit. Discordia, núm. 11. in tit. Misericordia, núm. 1, 6. in tit. Perfectio, núm. 1, 2. in tit. Proximus et Prosperitas, núm. 12. in tit. Sanctitas, núm. 2. in tit. Virtus, núm. 1.

DISCERE.

1. Ad discendum quod opus est, nulla ætas sera videri potest: quod et si senes magis decet docere quam discere, magis tamen decet discere, quam ignorare. *Aug. in epist. ad Hier.*

2. * Ab omnibus libenter disce quod nescis: quia humilitas tibi commune facere potest, quod natura fecit commune. *Ibidem.*

3. * Naturæ ordo sic se habet, ut quum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. *August. de Morib. eccles.*

4. Nihil prodest facienda didicisce, et non facere. Melius est nescire aliquid quam cum periculo discere. *Hier. in epist.*

5. Optabile est et mihi præclarum usque ad ultimam discere senectutem, quoniam nulla ætas ad perdiscendum sufficere potest. Docere verò alios, affectare eum, qui non sufficienter instructus est, res mihi videtur antiqui proverbii: In dolio discere artem figuli: hoc est: in periculo animarum, doctrinam discere pietatis. *Greg. Nazian. in apolog.*

6. Sapiens quidam, cum de modo, et forma discendi interrogaretur: Mens, inquit, humilis, studium quærendi, vita quieta, scrutinium tacitum, paupertas, terra remota, hæc reserare solent multis obscura legendo. Audierat puto quod dictum est, mores ornant scientiam, et ideò præceptis legendi propterea quoque vivendi adjungit: ut et modum vitæ suæ et studii sui rationem lector agnoscat. Illaudabilis enim est scientia, quam vita maculat impudica: et idcirco summopere cavendum est ei qui quærit scientiam, ut non negligat disciplinam. *Hug. lib. 3. didascalicon.*

7. Multos hoc decipit, quod ante tempus sapientes videri volunt: ut jam et simulare incipiant, quod non sunt, et quod sunt, erubescere: et eo longius á sapientia recedunt, quo non esse sapientes se putari putant. Sed si magnorum et sapientium vel scripta audierunt, vel verba: nos inquiunt, vidimus illos, et nos ab illis legimus: sæpe nobis loqui illi solebant. Illi summi, illi famosi, cognoverunt nos, sed ut me nemo agnoscat, et ego cuncta noverim. *Ibidem.*

8. Ab omnibus libenter disce, quod tu nescis: quia humilitas commune tibi facere potest, quod natura cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Audi Chrysippum in proverbiis: Quod tu non nosti, fortassis novit asellus. *Hug. ibid.*

9. Qui enim diligenter inspicere velit, quid antiqui propter amorem sapientiæ pertulerint, quam memoranda posteris virtutis suæ monimenta reliquerint, quamlibet suam diligentiam inferiorem esse videbit. Alii calcabant honores: alii projecerunt divitias: alii acceptis injuriis gaudebant: alii pœnas spreverunt: alii contubernia hominum deserentes, ultimos recessus et secreta eremi penetrantes, se soli philosophiæ dedicabant: ut quantum mente et inteligentia à cæteris differrent ipsa locorum distantia demonstraret: ne una teneret habitatio, quos non eadem sociabat intentio. Cuidam philosopho referebat quidam dicens: Numquid

non vides quod te derident homines? et ille, Ipsi me, inquit, derident, et eos asini. Cogita, si potes, quanti æstimaverit laudari ab iis, à quibus nec viluperari timuit. *Ibidem.*

10. Quid est quod ex tanta turba discentium, quorum multi et ingenio pollent et exercitio vigent, tam pauci inveniantur, quibus ad scientiam pervenire contingat? Sciendum est quod in quolibet negotio duo sunt necesaria: opus videlicet et ratio operis: quæ ita sibi annexa sunt, ut alterum sine altero aut inutile sit, aut minus efficax. Verumtamen melior, ut dicitur, prudentia est fortitudine: quia et apponenda aliquando quæ viribus movere non possumus, arte levamus. Sic nimirum est in omni studio, qui sine ordine et discretione operatur: laborat quidem, sed non perficit: et quasi aerem verberans vires in ventum fundit. Aspice duos pariter sylvam transeuntes: et hunc quidem per devia laborantem, illum vero recti itineris compendia eligentem: pari motu cursum tendunt, sed non equæ perveniunt. Quid autem scripturam dixerim nisi sylvam? Cujus sententias quasi fructus quosdam dulcissimos legendo carpimus, tractando ruminamus. Quid ergo in tanta multitudine librorum discendi ac legendi ordinem non custodit, quasi in densitate saltus oberrans, tramitem recti itineris perdit: et ut dicitur, semper discentes, et nunquam ad scientiam pervenientes. Tantum enim valet discretio, ut sine ipsa et omne ocium turpesit, et labor inutilis. *Hug. ibid. lib. 5.*

11. Proximus cognitioni est, qui, quid debeat inquirere, prudenter agnoscit. Maxima enim pars intelligentiæ est, scire, quod nescias. *In collat. Isaac. secunda.*

12. Nunquam ad rationem veritatis intrabit, quisquis à discutione cœperit erudiri. *In collatione Nestoris abbat.*

13. Tria sunt, ut ait Alexander, quæ impediunt hominem apprehendere veritatem rei: scilicet amor altitudinis, subtilitas ac profunditas rei investigandæ,

et ignorantiæ inquisitoris, sive brevitas potentiæ suæ in apprehendendo. In nostro autem tempore est causa quarta, quam non numeravit Alexander, quia non erat in tempore suo, et hæc societas nutritiva, quoniam in natura hominis est amor sequendi illum, cum quo habet societatem, et diligere ea, in quibus nutritus est, adeo quod videbis habitatores villarum, licet sint ibi in sordibus et in defectu delectationum, et in malitia ciborum, ut odiant habitationem civitatum, nec delectantur in delitiis earum, et eligunt potius ea, in quibus nutriti sunt, quam ea in quibus non sunt: licet sint meliora. Simile contingit homini in scientiis et opinionibus, in quibus nutritus est ab infantia sua, quoniam diligit illas et confirmat rationes earum, et anxiatur in contrariis et ideo propter istam causam deficit intellectus hominis in apprehensione veritatis: et sequitur ea, in quibus nutritus est: et tunc renovabitur in eo dominatio cogitationum similium, et sequela defectuum, et malitia morum, id accidit propter societatem, et nutrituram cum illis, quorum opinio confirmatur in eo. *Rab. Moyses lib. 1. c. 30.*

14. Interdum expedit patriam negligere, ut sapientiam quis possit acquirere. Ulyses Ithacus nisi hoc fecisset, laboribus propriis fortè latuisset, cujus sapientiam hinc maximè Homeri nobile carmen asseruit: dum illi prudentiores sunt semper habiti, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditi. *Cass. lib. 3. epist.*

15. Desiderabilis est literarum eruditio quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi enim prudens invenit, unde sapientior fiat: ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur: inde princeps accipit quomodo populos sub æqualitate componat: nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum non auxeat gloriosa notitia. *Cass. lib. 3.*

16. Hic enim decorum est, terminum non habere, hic honesta probatur ambitio, cujus etiam et nimietas placet: omne siquidem scientificum quanto profundius quæritur, tanto gloriosius invenitur. *Cass. lib. 2.*

17. Quærat eruditus unde possit esse gloriosus: prudens frequentiam non respuat hominum, quos novit esse laudandos, alioquin fama tollitur virtutum, si earum merita in hominibus nesciantur. Nam quale desiderium est civium frequentiam deserere, cum aliquas quoque avium conversationi humanæ videamus se velle miscere? *Cass. in quadam epist. lib. 1.*

18. Quod in juventute non discitur, in matura ætate nescitur. Ars enim bellandi si non præluditur, quum fuerit necessaria, non habetur. *Cass. ibid.*

19. Ærè namque dediscitur, quod didicit ætas tenerior: quia: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu. Ibidem.*

20. Nihil tam incredibile, quod non discendo fiat probabile. *Ibidem.*

21. Lectio certa prodest, vera delectat. Qui quo destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas angetur: non ire istud, sed errare est. *Sen. epist. 43.*

22. Mutuo ista fiunt: et homines dum docent discunt: non est quod gloria publicandi ingenii producat in medium, ut recitare istis vellis, aut disputare. Si haberes isti populo idoneam mercedem, nemo est, qui intelligere te posset: cui ergo inquis, ista didici? non est quod timeas ne operam perdideris, si tibi didicisti. *Senec. epist. 7.*

23. Quid est stultius, quam quia diu non didiceris, non discere? omnis ætatis homines schola admittit. Tamdiu discendum est quamdiu nescias. Si proverbio credis quamdiu vivas, etiam seni discendum est. *Senec. 76. epist.*

24. Mores primum, mox sapientiam disce, quæ sine moribus malediscitur. *Ibidem.*

25. Debent homines viaticum senectutis literarum eruditione parare, discendo, ne defecerint insipienti animo: literas, tanquam baculum infirmo corpori reperias esse: eumdem finem esse discendi, qui et vivendi. *In Prov. Philosophorum.*

Vide etiam in tit. Adjutor Contemptus, núm. 1.

in tit. Curiositas, Doctrina, núm. 1, 12, 35, 38, 39, 40, 43, 55, 59. in tit. Sapientia, núm. 8, 9, 21, 24, 39. 40. in tit. Studium, Taciturnitas, núm. 13, 14.

DISCIPLINA.

1. * Disciplinarum usus extra Deum infelix, cum Deo non improbatur. *Aug. lib. 5. Confess. c. 4.*

2. Cor quod sine disciplina est, exaltari non valet: quia humana mens sicut male elevata in infimis premitur: sic bene pressa in sublimibus levatur. *Greg. lib. 13. moral.*

3. O quam compositum reddit omnem corporis statum, nec non et mentis habitum disciplina! Cervicem submittit, ponit supercilia: componit vultum, ligat oculos, cachinnationes cohibet, moderatur linguam, frænat gulam, sedat iram, formal incessum. *Bern. epist. c. 15.*

4. Jugo disciplinæ insolentia morum domanda est, quousque duris ac divinis seniorum attrita legibus humilietur, et sanetur cervicosa voluntas: bonumque in se naturæ quod superbiendo amiserat, obediendo recipiat. *Bern. super Cant. 1.*

5. Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, ad promissa cœlestia et divina præmia pervenire. *Cypr. epist. 2. de disciplina et habitu vir.*

6. Quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat: diligentibus tamen ibi conservanda est, ubi vel neglecta pluribus generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis est exemplum. *Hugo de institu. novi.*

7. * Summopere cavendum est ei, qui quærit scientiam, ut non negligat disciplinam. *Hugo lib. 8. Didasc.*

8. * Principium disciplinæ humilitas, cujus quum multa sint documenta, hæc tria ad auditorem vel lectorem pertinent: primum ut nullam scripturam,

nullam scientiam vilem teneat: secundum, ut à nemine discere erubescat, tertium, ut quum scientiam adeptus fuerit, cæteros non contemnat. *Hugo 1. Didasc.*

9. Qui brevi tempore in pudore disciplinam non patitur, omni tempore in pudore incipientia permanebit. *Pythag. in suis præceptis.*

10. Educatio et disciplina mores facit, et illud sapit unusquisque, quod didicit. *Senec. lib. de mor.*

Vide etiam in tit. Conversatio et Deliliæ, núm. 12.

DISCORDIA.

1. Dissentiones numquam debent amari: sed aliquando tamen aut à charitate nascuntur, aut charitatem probant. Quis enim facile invenitur, qui velit reprehendi? Et ubi est ille sapiens, de quo scriptum est: *Corripe sapientem, et amavit te?* Numquid tamen ideo non debemus reprehendere, et corripere fratrem, ne securus tendat in mortem? *Aug. ep. c. 57.*

2. Nihil minus semper optavi, quam inter eos, qui cum multum dixerint, multumque sermocinati sunt, oriri aliquid unde novus quasi conflictus exurgat. *Aug. contra Academicos.*

3. * In discordia nemo benedicit Dominum. *Aug. in Psalm.*

4. Melius est emigrare cum gratia, quam cohabitare cum discordia: melius est sine lite abire, quam cum jurgio residere. *Ambr. in lib. de Patriarch.*

5. Nulla spatia possunt satis esse discordibus, quietis et pacificis etiam angusta abundant, dissonis moribus etiam spatiosa arctantur. *Ibidem.*

6. Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. *Ambr.*

7. Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro. *Hier. super ep. ad Ro. Laudent nom.*

8. Ubi dissensio est, ubi invidia est, ibi chorus non est. *Ibidem.*

9. Qui modeste alloquitur proximum, gratum ac-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cipit responsum: et quasi de uberibus, in quibus lac quærebat, butyrum exprimit. Sed qui inceptо verbo rixam et discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens sanguinem elicit. *Hier. super Prover. 29. Qui vehementer emungit.*

10. Concordia minimæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Glos. super illud Eccl. 21. Objurgatio et injuria annullabunt.*

11. Sicut nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis: ita nihil est desiderabilius diabolo, extinctione charitatis. Quisquis ergo seminando jurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiarius servit. *Greg. in pastor.*

12. Per Salomonem dicitur: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Aqua propriè dimittitur, quum linguæ fluxus effrænatur: sed dimissor aquæ jurgiorum caput efficitur: quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. *Greg. 4. moral.*

13. Discordes tamdiu nullum boni operis sacrificium Deo immolant, quamdiu à proximorum charitate discordant. *Greg. in past.*

14. Perversæ mentes si semel ad studium contrarietatis eruperint, sive pravum, sive rectum quid à contradicentibus audiant, adversis hoc responsionibus impugnant: quia quum persona per contrarietatem displicet, nec recta, quæ protulerit placent. At contra bonorum corda quibus in odium non venit persona, sed culpa, sic perversa dijudicant, ut recta quæ dicuntur assumant, et sic male prolata respuunt: ut tamen approbent, quæ ex veritate cognoscunt. *Greg. lib. 9. moral.*

15. Discordia est aliquorum diversio, quos prius amoris vinculum colligavit. Concordia est convenientium in rectitudine animorum ind rupta quædam et unita complexio. Seditiosus est, qui dissensionem animarum facit, et discordias gignit. *Isid. Etym.*

16. Conspiratio apud spiritualiter viventes, contra ordinis disciplinam, et majorum instituta, confœderatio est. *Cass. super Psalm.*

17. Summopere jurgia fuge, nam contra parem contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum

inferiore sordidum, maximè autem contra fatuum conventionem inire: nam absentem lædit, qui cum ebrio litigat. *Ibidem.*

18. Principium discordiæ est, aliquid commune suum facere. Turpius nihil est, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 27, 42. in tit. Doctrina, núm. 1, 12. in tit. Jejunium, núm. 32. in tit. Loquacitas, núm. 8. in tit. Pax, Reconciliatio, núm. 3, 7. in tit. Testimonium, núm. 3.

DISCRETIO.

1. Ex studio arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur: qui si otium relaxationis non accipit, faciendi virtutem ipso usu tensionis perdit. Sic aliquando in exercitatione, virtus, quum per discretionem prætermittitur, reservatur, ut tanto post vitia valenter ferial, quanto à percussione interim prudenter cessat. *Greg. 29. moral.*

2. Plerumque virtus quum indiscrete tenetur, amittitur: quum discrete intermittitur, plus tenetur. *Greg. ibid.*

3. Sanctorum provida discretio, dum solicite circumquaque conspicit, in altum posita prius quam veniat, culpam deprehendit, eamque quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat. *Greg. 21. moral.*

4. Sæpe dum nosmetipsos plus justo discutimus, de ipso discretionis studio indiscretius erramus, et mentis nostræ acies quo plus cernere nititur, eo densius obscuratur: quia qui importune Solis radios aspicit, tenebrescit. *Ibidem.*

5. Ubi virtus discretionis perditur, intentio, quæ virtutis inimicum habet, criminis finem accipit. *Greg. 5. moral.*

6. Medii quidem incedere debemus inter nimium timidos, et nimium temerarios: ut simus quidem verecundiores his, qui ad indebitos honores fœda ambitione nituntur: et paulo confidentiores his, qui fu-

turi judicii metu etiam bonorum actuum cuncta fugiunt. *Greg. Nazianzen. in apocal.*

7. In cunctis nobis semper debet præesse discretio: et quasi moderando singulas discernere voluntates ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne quod bonum est, malum, ne quod malum est, bonum esse credatur. *Bern. super Cant. serm. 24.*

8. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem et perpetuitatem confert. Est ergo discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, et doctrix morum. Tolle hanc, et virtus vitium erit: ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. *Bern. super Cant.*

9. Tutius est chordas remitti intensius, quam protendi: remissarum namque intensio artificis perilia convalescit: sed quæ semel rupta est, nullo artificio reparatur. *Chrys. de cur. alienæ magis.*

10. Quicquid boni cum discretione feceris, virtus est: quicquid sine discretione gesseris, vitium est. Virtus enim indiscreta pro vitio deputatur. *Isid. in lib. de synon.*

11. Discretio est in dijudicandis rerum causis provida, et humanarum mentium ratio moderatrix. *Isid. in synonimis.*

12. Ratio est gerendorum ordo ex causa venientium, ut quid, quo loco facias ac dicas, intelligas. *Ibid.*

13. Omni conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri: quæ nos illæsos ab utraque potest nimietate servare. Vetus namque sententia est: Apogyca Isogyca, id est, nimietates æquales sunt. Ad unum enim finem nimietas jejunii, ac voracitas pervenit, eodemque dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni gravissimi torpor involvit. Nam per excessum continentiæ debilitatum quemque ad illum statum revocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur. *In collat. abbatis Moys. 2.*

14. In utraque enim parte sustinebit maximum detrimentum quisquis inæqualitatem tenens, nunc ventrem jejuniorum ariditate constringit, nunc escarum nimietate distendit. Ut enim mens cibi inanitate laxata, perdit orationum vigorem, dum carnis nimia laxitudine prægravata condormitare compellitur: ita rursum nimietate voracitatis oppresa emittere ad Deum preces puras levesque non poterit. *Ibidem.*

15. Cunctam disciplinam regularis ordinis moderetur æqualitas discretionis, ne vel nimia remissio nutritiva sit criminum, vel impia discretio parricida virtutum. *Pet. Rav. in quodam serm.*

16. Discretio virtutibus modum imponit, sine qua virtutes sunt vitia, nam si adsit timor et non discretio, transit in desperationem: si dolor, in amaritudinem: si amor, in adulationem: si spes, in præsumptionem: si lætitia, in dissolutionem: si ira, in furorem. *Ibidem.*

17. Ad rem gerendam quæ accidit, caveat ne id solummodo consideret, quod illa res honesta sit: sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipso considerandum est, ne aut temere despicias propter ignaviam, aut nimis confidas propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis prius quam aggrediare adhibenda est discretio. Considera ergo ne nimis cupias: nam in proverbio dicitur: qui nimis cupit, parum stringit. Et partiendum est opus sub quo in via non deficias, juxta illud: Qui plus posse putat sua, quam natura ministrat, posse suum superans se minus esse potest. *Anony.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 6. in tit. Correctio, núm. 13, 47, 80. in tit. Dilectio, núm. 5. in tit. Humilitas, núm. 10, 44. in tit. Loquacitas, núm. 7, 11. in tit. Prudentia, per totum.

DIVITIÆ.

1. Divitiæ sæculares si desunt, non per mala opera quærantur in mundo: si autem adsunt, per bona ope-

ra serventur in cœlo. Animum virilem et Christianum nec debent, si accedant, extollere, nec debent frangere, si recedant. *Aug. epist. 140.*

2. Veræ illæ sunt divitiæ, quas cum habuerimus, perdere non possumus. *Aug. super Matth.*

3. Morbus divitiarum, est superbia, nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur, major animus divitias suas vincens contemnendo. Magnus est ergo dives, qui non se ideo magnum putat, quia dives est. Superbus, qui et egenus est, in carne crepat, in corde mendicat, inflatus est, non plenus. *Aug. serm. 29.*

4. Difficile est, ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, divitiæ non nocebunt. *Ibidem.*

5. Aurum est materia laborum, periculum possidentium, aurum enervatio virtutum, aurum malus dominus, proditor servus. *Aug. in verb. Dom.*

6. Aurum amplius cruciat, apud quem largius fuerit: aurum amanti se nihil de sua possesione permittit, refundens ei reatum suum, cui visum negat. *Aug. ibid.*

7. Ideo rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. *Aug. in hom. de divite.*

8. Hoc attendite ne passim dives reprehendatis, et rursum ne de paupertate et egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de divitiis: quanto magis non est præsumendum de paupertate? pauper ulcerosus non habens escam, non ipsam vestem, ablatus est ab Angelo in sinum Abrahæ. Vides quis sublatus est, non vides quò sublatus est in sinum Abrahæ, lege scripturam, et invenies divitem Abraham. Sublatus est ergo in sinum divitis pauper, an potius ambo dives Deo, ambo à cupiditate paupe-res? *Aug. in origi. super Psal. 51.*

9. Divitiæ si affluant, nolite cor adponere. Ille igitur, qui non habet, non ambiat, is qui habet, non superbiat: et non dicit, nolite habere, sed cor adponere. Non enim damnat divitias, unde mereamur

cœlum, sed cor appositum, quod scillicet non expendit, sed recondit. *Glo. Aug. super Psalm. 61.*

10. Non divisim, non separatim tempore messis hoc faciet: dives intellige superbos, pauperes humiles: habeat quis multas pecuniarum facultates, si in eis non extollitur, pauper est: non habeat aliquid, et cupiat, et infletur: inter dives reprobos eum deputat dominus, quia dives et pauperes in corde interrogat Deus, non in arca aut in domo. *Glo. Aug. super illud Psalm. 68.*

11. Sufficientiam vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult, et non amplius, quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis et congruentem habitum personæ hominis, ut non inconveniens eis, cum quibus vivendum est. Ista ergo quum habentur, ut teneantur, quum non habentur, ut habeantur, orandum est. *Aug. ad Probam.*

12. Divitiarum morbus superbia est: nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tenetur. *Aug. serm. 24.*

13. Difficile est ut non sit superbus dives: tolle superbiam, et non nocebunt divitiæ. *Ibidem.*

14. Divites discant, non in facultatibus crimen haberi, sed in his, qui uti nesciunt: nam divitiæ ut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis. *Ambr. super Luc. lib. 8.*

15. Cæterum ita incubuerunt mores hominum in adulatione divitiarum, ut nemo nisi dives honore putetur dignus. *Ambr. de offic.*

16. Qui divitiarum servus est, divitias custodit ut servus: qui autem servitutis discusserit jugum, distribuit eas ut dominus. *Hier. lib. 1. super ill. Matth. Non potestis, etc.*

17. Unumquodque non hominum, sed rerum pondere judicandum est: nec diviti obsunt opes si bene utatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit. *Hier. in epist. ad Salvi.*

18. Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus dives efficiunt. Si ergo fratres dives esse cupitis,

veras divitias amate. Si culmen veri honoris quæritis ad cœleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia adscribi festinate. *Greg. ho. super illud Exiit qui seminat.*

19. Facile est homini tunc divitias despicere, cum habet: difficile vero, quum non habet, viles æstimare. *Greg. 11. moral.*

20. Terrena substantia æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temperalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. *Greg. in hom.*

21. Res suas, cum moreretur dives, secum tolleret, si ad petentis vocem cum viveret tulisset: nam terrena omnia, quæ servando amittimus, largiendo servamus. *Ibidem.*

22. Forsitan aliquam excusationem habuisset, si ad portam ejus non jacuisset, si remotus fuisset, et ulcera ejus non cognovisset. *Bern. lib. de consid.*

23. Aurum et argentum, et cætera hujusmodi quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala: usus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo pejor, quæstus turpior. *Bern. serm. 4.*

24. Filii Adam gerus avarum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum et argentum verè terra est rubea et alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosa: denique si vestra sunt, tollite ea vobiscum. *Bern. ibid.*

25. Veræ ergo divitiæ, non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. *Bern. in serm.*

26. Camelus unum solum pondus habet, dives duo: Unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud velit nolit, moriens retinet, nisi ante mortem deponat. *Ibidem.*

27. Sudat pauper foris in opere, sed numquid anxiè dives intus in sua cogitatione laborat? Aperit iste os suum in oscitatione, aperit ille in ructuatione, et interdum gravius ille fastidio, quam iste inedia cruciatur. *Ibidem.*

28. Divitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor injustus, arrogantia superba, omnisque irrationabilis motus. *Chrys. in lib. quod nemo læditur nisi à seipso.*

29. Si possibile esset in divites vindicta procedere, videres ex eis repleri carceres universos. Sed cum omnibus malis suis hoc malum habent divitiæ, quod in malignitate peccantes ab ultionibus eruunt. *Chrys. super ap. ad Heb. serm. 2.*

30. *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, etc. Hunc versiculum si saperent, qui in potentia et divitiis versantur, in parietibus omnibus, et in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in januis et ingresibus, et ante omnia in conscientiis suis, ut semper eum oculis cernerent et in corde sentirent. *Chrys. super Matth. homil. 30.*

31. Omnia bona mundi triplex interitus tollit, aut ex seipsis veterascunt, aut luxu dominorum suorum consumuntur, aut ab extraneis dolo vel violentia, vel calumnia diripiuntur. *Chrys. super illud Matth. 6. Ubi ærugo et tinea, etc.*

32. Apud antiquos autem prior æris, quam ferri cognitus usus, ære quippe prius proscindebant terram, ære certamina belli gerebant, eratque in pretio magis, aurum vero et argentum propter inutilitatem rejiciebantur: nunc versa vice jacet æs, aurum summo cessit honore. Sic volvenda ætas commutat tempora rerum, et quod fuit in pretio, sub honore est denique nullo. *Isid. lib. 6. etymol.*

33. Omne terrenum vel ærugine consumitur, ut aurum et argentum: vel putredine et vermibus ut vestis: et quod ab his immune est, à furibus tollitur, ut lapides pretiosi. In his ergo omne genus avaritiæ reprehenditur. *Rab. super Matth. 6. Ubi ærugo et tinea, etc.*

34. Magnæ dignitatis fuit apud sæculum, sed majoris meriti apud Deum: quia non erat dives divitiarum amore, sed tantummodo possessione. Ideo divites non excludantur à discipulatu Salvatoris. Iste

enim dives erat, et discipulus: quia non pecuniæ amator, sed ipsius distributor. *Rab. super illud Matth. 28. Homo quidam dives ab Arimat.*

35. Non reprehenditur dives, quod terram coluerit, vel fructus in horrea congregaverit, sed quod fiduciam vitæ in illis posuerit, nec pauperibus erogaverit, ut ab eis reciperetur in æternis tabernaculis. *Beda in gl. super illud Luc. 2. Cujusdam divitis, etc.*

36. Familiaris res est humanum cor opibus ac libertate dissolvi, ærumnis vero ac paupertate ad semetipsum recolligi. *Beda super Esd. lib. 1.*

37. Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis, illæ elevant ad superbiam, hæc incitant ad querelam. Tractat sanitas, tentat infirmitas, et illa materia est negligentiæ, et hæc causa tristitiæ, laqueus est in securitate, laqueus in timore, nec interest utrum animus, qui terreno tenetur affectu gaudiis occupetur, an curis: cum par morbus sit, vel sub vana delectatione languere, vel sub anxia solicitudine laborare. *Leo papa in serm.*

38. Auri custos, servator argenti securitatem non habet, nescit quietem: et cui deest securitas, quies perit. Pœna dives est ille, non censu. *Pet. Rav. in quodam serm.*

39. Aurum erogare, bonum est: reponere, malum: contemnere, validum: fugere, persecurum: quod sicut vincere virtutis est, ita felicitatis evasisse. *Ibid.*

40. Obturatis auribus nihil esset vox unius clamantis. Unde Dominus ad aperiendum cor ejus totum corpus ejus ulceribus coopernit, ut tot essent ora clamitantia, quot ulcera existentia. *Pet. Rav. in ser. de divit.*

41. Nihil tibi prosunt divitiæ, si divitiarum beneficiis non utaris: nam pars mendicitatis est, congestam secreto pecuniam possidere. *Val. epist. in ser.*

42. Nihil clausum constat, quod auro argentoque non pateat: nihil occultum, quod non pecunia indagante sit cognitum. *Val. Episc. ibid.*

43. Si possibile esset in divites vindictam procedere, videres ex eis repleri carceres universos, sed cum omnibus malis suis hoc unum malum habent divitiæ, quod in malignitate peccantes ab ultionibus eruunt. *Val. in epist. ad Hebr.*

44. Dives in superfluitate resolvitur, et jactantia effrænatur, currit ad libitum, et corruit ad illicitum, et fiunt instrumenta pœnarum, quæ fuerant oblectamenta culparum. Labor in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo, mentem ejus semper fatigat, solicitat et affligit: ubi est thesaurus suus, ibi et cor suum. *Innoc. de vil. cond. hum.*

45. Dives dicitur à Divo, qui quasi Deus, nihil creditur indigere. *Hugo.*

46. Divitiæ quantis implicitæ sint malis, brevissime monstrabo. Quid enim pecuniam ne congreges, conaberis, si eripias habenti? dignitatibus fulgere volens, danti supplicabis: et qui præire cæteros cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiam desideras, subjectorum insidiis obnoxius, periculis subjacebis. Gloriam petis, sed per aspera quæque distractus securus esse desistis. Voluptuariam vitam degas: sed quis non spernat atque abjiciat vilissimæ fragilissimæque rei corporis servum esse? *Boet. 4. de consol.*

47. Congeratur in te quicquid multi locupletes possederant, ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura vestiat, et ad hoc modus deliciarum opum te perducat, ut terram marmoribus abscondas, non tantum tibi habere liceat, sed caleare divitias. Accedant statuæ, picturæ: et quicquid ars illa luxuriæ elaboravit, majora cupere ab his disces. *Senec. 16. epist.*

48. Quid refert quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si alieno inhiet, si non quæsita, sed quærenda computat? Non enim pauper est, qui minus habet, sed qui plus cupit: nec qui plus habet, sed qui minus cupit, dives est. *Senec. ibid.*

49. Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, miser est: qui autem sibi satis est, cum divitiis natus est. *Senec. in epist.*

50. Nemo alius est Deo dignus quam qui opes contempsit: quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepide possideas. *Senec. 18. epist.*

51. Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est: quisquis contemnere potest omnia, habere omnia nemo potest. Necessarium est ergo parvo assuescere. Quicquid vult, nemo habere potest. Illud autem potest nolle, quod non habet. *Sen. 65. ep.*

52. Quemadmodum nihil refert utrum ægrum in ligneo lecto aut in aureo colloces: in quocumque illum transtuleris, morbum suum transferet secum. Sic nihil refert utrum æger animus in divitiis, aut paupertate ponatur, malum suum illum sequitur. *Senec. 18. ep.*

53. Nemo nascitur dives: quisquis exit in lucem, jussus est lacte et pane esse contentus, ab his initiis nobis regna non sufficiunt. *Senec. 20. epist.*

54. Quanta dementia hæredis sui res procurare et sibi omnia negare. Magna enim hæreditas ex amico inimicum facit: plus enim gaudebit tua morte, quo plus accepit. *Ibidem.*

55. Magnus qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi est, pati non posse divitias. *Senec. 5. epist.*

56. Si ad naturam vivas numquam eris pauper, si ad opiniones numquam eris dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. *Senec. 16. epist.*

57. Iste quem dominum existimas, pecuniæ loculpes est: multum habet, ignoras utrum avarus, an dives sit. Si prodigus, non habebit: si avarus, non habet Iste, quem tu felicem admirans credis, sæpè dolet, sæpè suspirat: multi illum comitantur, mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ: prædam sequitur ista turba, non hominem. *Sen. de rem. fort.*

58. Si vis inquit Pithocles, divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. *Senec. ibid.*

59. Is maxime divitiis fruitur, qui minime divi-

tiis indiget: nemo autem solido bono fruitur, qui aliquid intendit adjicere, et dum de incremento cogitat, oblitus est usus. *Senec. 14. epist.*

60. Divitem illum putas, quem aurea supellex in via sequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui multum suburbani agri possidet, quum omnia dixeris, pauper est: quare? quia debet: quantum inquis? omnia: nisi forte tu dicas, utrum ab homine, an à fortuna muluum sumpserit. *Senec. 28. epist.*

61. Divitiæ inflant animos, superbiam pariunt, invidiam parant, et eò usque mentem alienant, ut fama pecuniæ, nos etiam nocitura delectent. *Ibidem.*

62. Ingentis animi est, qui divitias sibi circumfusas diu multumque miratus, quod ad se venerunt, ridet: suas magis audit esse, quam sentiat. Magnum est non corrumpi divitiarum contubernio: magnus ille est, qui in divitiis pauper est. *Senec. 29. epist.*

63. In hoc excusabiles sunt Dii, quod ista, quæ urunt, quæ excruciant, optantibus conferunt. *Senec. 22. epist.*

64. Ista, quæ sic petimus, tanquam datura lætitiam ac voluptatem, causæ dolorum sunt. *Sen. 60. ep.*

65. Omnia ista nobis accedant, non hæreant, ut si auferantur, sine ulla nostri laceratione discedant. Utamur illis, non gloriemur, et utamur parce tanquam depositis apud nos. *Senec. 8. epist.*

66. * Primus divitiarum modus est, habere quod necesse est: proximus, quod sat est. *Senec. epist. 2.*

67. * Sapiens non amat divitias, sed mavult: nec respuit possessas divitias, sed contemnit.

68. * Divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt: apud stultum, in imperio: sapiens divitiis nihil permittit, nobis divitiæ omnia. *Senec. epist. 15.*

69. * Nihil est tam angusti animi, tamquam missi, quam amare divitias: nihil honestius magnificentiusque quam pecunias contemnere, si non habeas: si habeas ad beneficentiam libertatemque conferre. *Cic. 1. Offic.*

70. * Omnes sunt diviles (dicunt Stoici) qui cœlo et terra frui possunt. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 4. in tit. Ambitio, núm. 25. in tit. Amicitia, núm. 73. in tit. Anima, núm. 40. in tit. Avaritia, núm. 27, 37, 39, 47, 54, 71, 74. in tit. Beatitudo, núm. 16, 22. in tit. Bonum, núm. 3. in tit. Contemptus, núm. 5, 11, 14, 16. in tit. Cupiditas, et Eleemosyna, núm. 11, 33, 37, 38, 43. in tit. Gloria vana, núm. 26, 33. in tit. Homo, núm. 31. in tit. Honor, núm. 16. in tit. Laus, núm. 10. in tit. Paupertas et Proditio, núm. 1, 20. in tit. Prosperitas et Relinquere, núm. 12. in tit. Salus, núm. 3. in tit. Sapientia, núm. 22. in tit. Servitium, núm. 14. in tit. Superbia, núm. 7, 10. in tit. Veritas, núm. 30. in tit. Virtus, núm. 31, 33.

DOCTRINA SIVE DOCTOR.

1. Debet divinarum scripturarum Doctor fidei, ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere, et hoc opere et sermone conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus, quid expectare debeant, intimare. *Aug. de doctrina Christiana.*

2. Doctor et ductor id agere debet, ut non solum intelligenter, verum et libenter et obedienter audiatur. *Aug. ibid.*

3. Omnis res, quæ dando non deficit, dum habetur, et non datur, nondum habetur, quomodo habenda est. *Ibidem.*

4. Sicut gratus est, qui cognoscenda enubilat, sic et onerosus, qui cognita inculcat: nam delectandi gratia etiam nota dicuntur: ubi non ipsa, sed modus, quomodo dicuntur, attenditur. *Aug. lib. 3. de doctrina Christiana.*

5. Doctrina per malos, palmes in sepe, botrus inter spinas: cauté lege, ne dum quæris fructum, laceres manum, et quum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. *Aug. super Joan.*

6. Si me posses docere, quod nescio, non solum te verbis, sed et pugnis cædentem deberem patientissime sustinere. *Aug. ibid.*

7. * Falsa doctrina est lepra mentis. *Aug. de ver. Ap. serm. 2.*

8. *Da, et accipe, et justifica animam tuam*, id est, verbum doctrinæ proximis impende, et bonorum operum exempla relinque, ut recipias premium vitæ æternæ. Tibia et psalterium suavem facient melodiam, et super utraque lingua suavis. *Aug. Eccl. 40. glo.*

9. Hæc naturaliter mulcent, et exhilarant animam, sed lingua suaviter docens plus confortat intellectum. *Ambr. super Beati immaculati.*

10. Ante vita, quam doctrina quærenda est. Vita bona, sine doctrina gratiam habet: doctrina sine vita integritatem non habet. *Glo. super illud 1.*

11. Perfectio discipulorum gaudium et corona est magistrorum: fructus enim magistri obedientia est discipuli: et ejus bona conversatio coronam dat magistro. *Thessa. 2. Quæ nostra spes, aut gaudium etc.*

12. Qui congrua disciplina unumquemque arguit, eruditum se, et probabilem doctorem in conspectu omnium ostendit, nec ætas juvenilis in doctore despicienda, quem vita et discretio commendat. *Gloss. super ill. Eccles. 42. Sis de senioribus, etc.*

13. Multi juxta vetus elogium, cum loqui nesciant, tacere non possunt: docentque scripturas, quas non intelligunt: et quum alii persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. *Hier. ad Demetr. virg.*

14. Tanto quisque minus ostenditur doctus, quanto minus patiens: neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si vivendo nescit adversa æquanimiter tolerare. Perfecti enim doctoris est, sic aliorum improbitatem patienter sufferre, ut se noverit ab iniquis patienter observare. Neque enim propria munditia sine tolerantia sufficit, neque tolerantia sine munditia valet. *Greg. super illud Prov. 25. Doctrina viri.*

15. Si subditi aliquid peccant, propter quod doctores à quiete surgere cogantur, non tantum pœnam illius peccati incurrunt, sed etiam puniuntur pro in-

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 4. in tit. Ambitio, núm. 25. in tit. Amicitia, núm. 73. in tit. Anima, núm. 40. in tit. Avaritia, núm. 27, 37, 39, 47, 54, 71, 74. in tit. Beatitudo, núm. 16, 22. in tit. Bonum, núm. 3. in tit. Contemptus, núm. 5, 11, 14, 16. in tit. Cupiditas, et Eleemosyna, núm. 11, 33, 37, 38, 43. in tit. Gloria vana, núm. 26, 33. in tit. Homo, núm. 31. in tit. Honor, núm. 16. in tit. Laus, núm. 10. in tit. Paupertas et Proditio, núm. 1, 20. in tit. Prosperitas et Relinquere, núm. 12. in tit. Salus, núm. 3. in tit. Sapientia, núm. 22. in tit. Servitium, núm. 14. in tit. Superbia, núm. 7, 10. in tit. Veritas, núm. 30. in tit. Virtus, núm. 31, 33.

DOCTRINA SIVE DOCTOR.

1. Debet divinarum scripturarum Doctor fidei, ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere, et hoc opere et sermone conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus, quid expectare debeant, intimare. *Aug. de doctrina Christiana.*

2. Doctor et ductor id agere debet, ut non solum intelligenter, verum et libenter et obedienter audiatur. *Aug. ibid.*

3. Omnis res, quæ dando non deficit, dum habetur, et non datur, nondum habetur, quomodo habenda est. *Ibidem.*

4. Sicut gratus est, qui cognoscenda enubilat, sic et onerosus, qui cognita inculcat: nam delectandi gratia etiam nota dicuntur: ubi non ipsa, sed modus, quomodo dicuntur, attenditur. *Aug. lib. 3. de doctrina Christiana.*

5. Doctrina per malos, palmes in sepe, botrus inter spinas: cauté lege, ne dum quæris fructum, laceres manum, et quum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. *Aug. super Joan.*

6. Si me posses docere, quod nescio, non solum te verbis, sed et pugnis cædentem deberem patientissime sustinere. *Aug. ibid.*

7. * Falsa doctrina est lepra mentis. *Aug. de ver. Ap. serm. 2.*

8. *Da, et accipe, et justifica animam tuam*, id est, verbum doctrinæ proximis impende, et bonorum operum exempla relinque, ut recipias premium vitæ æternæ. Tibia et psalterium suavem facient melodiam, et super utraque lingua suavis. *Aug. Eccl. 40. glo.*

9. Hæc naturaliter mulcent, et exhilarant animam, sed lingua suaviter docens plus confortat intellectum. *Ambr. super Beati immaculati.*

10. Ante vita, quam doctrina quærenda est. Vita bona, sine doctrina gratiam habet: doctrina sine vita integritatem non habet. *Glo. super illud 1.*

11. Perfectio discipulorum gaudium et corona est magistrorum: fructus enim magistri obedientia est discipuli: et ejus bona conversatio coronam dat magistro. *Thessa. 2. Quæ nostra spes, aut gaudium etc.*

12. Qui congrua disciplina unumquemque arguit, eruditum se, et probabilem doctorem in conspectu omnium ostendit, nec ætas juvenilis in doctore despicienda, quem vita et discretio commendat. *Gloss. super ill. Eccles. 42. Sis de senioribus, etc.*

13. Multi juxta vetus elogium, cum loqui nesciant, tacere non possunt: docentque scripturas, quas non intelligunt: et quum alii persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. *Hier. ad Demetr. virg.*

14. Tanto quisque minus ostenditur doctus, quanto minus patiens: neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si vivendo nescit adversa æquanimiter tolerare. Perfecti enim doctoris est, sic aliorum improbitatem patienter sufferre, ut se noverit ab iniquis patienter observare. Neque enim propria munditia sine tolerantia sufficit, neque tolerantia sine munditia valet. *Greg. super illud Prov. 25. Doctrina viri.*

15. Si subditi aliquid peccant, propter quod doctores à quiete surgere cogantur, non tantum pœnam illius peccati incurrunt, sed etiam puniuntur pro in-

quietudine doctorum, quia qui doctores cœlestibus intentos inquietare præsumunt, etiam virtutes, quas habere se credebant, perdunt. *Glo. Greg. super illud Cant. 2. Neque suscitetis, etc.*

16. Mihi prope donatum credo, quicquid lectorem meum melius sentire cognosco: omnes enim, qui pleni fide de Deo aliquid sonare nitimur, organa veritatis sumus. *Greg. in moral.*

17. Doctrina cum omni imperio docetur, quando prius agitur, quam dicatur: nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. *Ibid.*

18. Quantacumque doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia est, velle docere meliorem. *Greg. lib. 6. moral.*

19. Triplici modo in ecclesia docentium periculum pendet, ex sensu, ex verbo et auditu, ut perfacile inveniat in uno saltem aliquo, si non in omnibus labi. Aut enim minus illuminatus est sensus, aut ad explanandum defuit sermo sufficiens, aut bene prolata crassior non recipit auditus: et ex uno quolibet horum casu, fit in omnibus periculum veritatis. *Greg. in apolog.*

20. Hoc habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre, quæ docent, et recta quæ sapiunt etiam recte ministrare non possunt. In verbis enim eorum perduntur, qui quum docent quasi in quodam sibi videntur summitatis culmine residere: eosque quos docent, ut longé infra se positos velut in imo, respiciunt: quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. *Greg. 14. moral.*

21. Experto crede, aliquid amplius invenies in sylvis, quam in angulis: ligna et lapides docebunt te, quod á magistris audire non possis. *Bern. in quadam epist.*

22. Doctrinæ spiritus non curiositatem arguit, sed charitatem accendit. *Bern. super Cant.*

23. Non minus pium est, docere animum scientiam, quam præbere escam corpori. *Ibidem.*

24. Intelligentia dictorum ex causis est adsumenda, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. *Hil. lib. 4. de Trin.*

25. Docere et non facere, non solum lucri nihil, sed et damni plurimum confert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, vitam vero suam atque operam negligenti. *Chrys. in lib. de comp. cord.*

26. Si artem usumque dissocies, utilior est usus expers artis, quam ars quæ sui usum non habet. Ars infœcunda est sine usu, et usus temerarius sine arte. *Chrys. in polic. lib. 6.*

27. Qui male sederit, injuriam cathedræ facit in judicio sedens. Si bene vixeris, et bene docueris, omnium judex eris. Si male vixeris, et bene docueris tui solius: nam bene docendo, populum instruis, quomodo populus debeat vivere: sed male vivendo doces Deum, quomodo te debeat condemnare. *Chrys. super illud Matth. 23. Super cathedram etc.*

28. Si bene vixerint, eorum est lucrum: si bene docuerint, vestrum. Accipite igitur quod vestrum est, nolite discutere, quod alienum est. Frequenter enim de malo homine bona doctrina procedit, sicut terra vilis preliosum aurum producit: numquid propter vilem terram preliosum aurum contemnitur? Igitur sicut aurum eligitur, et terra relinquitur, sic et vos doctrinam accipite, et mores relinquite. *Chrys. ibid. super illud Quæcumque dixerint, etc.*

29. Doctrinam accipiamus non mores: apibus herbæ non sunt necessariæ, sed flores: sic et vos flores doctrinæ colligite, et conversationem relinquite. *Chrys. ibidem.*

30. Fidem predicant, et infideliter agunt: pacem aliis dant, et sibi non habent. Veritatem laudant, et mendacia diligunt. *Chrys. ibid. Dicunt et non faciunt.*

31. Docilitas est prudentia erudiendi imperitos. *Isid. in Synonym.*

32. Discretio est, quæ rerum consequentium continet perspicuam dilucidamque cum gravitate expositionem. *Ibidem.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

33. In lectione non verba, sed veritas est amanda. Sæpe autem reperitur simplicitas veridica, et falsitas composita, quæ hominem suis erroribus illicit, et per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit: nihil enim aliud agit amor mundanæ scientiæ, nisi extollere in laudibus hominum: nam quanto majora fuerint studia, tanto animus arrogantiæ fastu inflatus majori intumescit jactantia. *Ibid. lib. 3. de sum. bon.*

34. Sicut instruere solet collatio, ita destruit contentio: hæc enim relicto sensu veritatis, lites generat, et pugnando verbis etiam in Deo blasphemam facit. Inde hæresis et schisma, à quibus fides subvertitur, veritas corrumpitur, charitas scinditur. Contentionum studium non pro veritate, sed pro appetitu laudis certat, tantaque est in his perversitas, ut veritati cedere nesciant, ipsamque rectam doctrinam evacuare contendunt. In disputatione fidelium cavenda est propositio, et artificiosa subtilitas, quæ callidis objectionibus retia tendit. Ita enim versutis assertionibus pravorum disputatio innodatur, ut recta esse simulent quæ perversa persuadent. *Ibidem.*

35. In Physica causa quærendi, in Ethica ordo vivendi, in Logica ratio intelligendi versatur. *Isid. 2. etym.*

36. Clausum habeat os peccator, quia qui seipsum non docuit, alium docere non potest. *Orig. hom. 38. super Lucam.*

37. Frustra sibi officium doctoris usurpat, qui discretionem Catholicæ fidei ignorat: neque sanctuarium domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicere, conantur. *Beda de templo Salom.*

38. Sunt enim quidam, qui nulli arti, quod suum est, tribuere nolunt, sed in singulis legunt omnes. In Grammatica de syllogismorum ratione disputant: in Dialectica inflexiones casuales inquirunt: et quod magis irrisione dignum est, in titulo totum ponunt: legunt librum, et inceptam tertia vix lectione expediunt: non omnia dicenda sunt, quæ dicere possumus ne minus utiliter dicantur ea, quæ dicere debemus. *Hugo in didascalic. lib. 3.*

39. In omni doctrina breve aliquid, et certum decet colligere, quod in arcula memoriæ recondatur. Unde postmodum, quum res exigit, aliqua deriventur: hoc etiam sæpe replicare et de ventre memoriæ ad palatum revocare necesse est, ne longa intermissione aboleat. *Hugo ibid.*

40. Lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet, et affligere spiritum. Et qualitate, videlicet, si obscurior fuerit: et quantitate si prolixior extiterit. In quo utroque magno uti moderamine oportet: ne quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem. *Ibid. lib. 5.*

41. Rudis dicitur novus eruditus, quasi à rudi sublatus, ab ignorantia divisus, et in doctrinæ finibus collocatus. *Cass. super Psal. 2.*

42. Narratio est ad causam probabilem faciendam rerum gestarum clara et diligens expositio. *Ibidem.*

43. Miser est, qui ante compulsus est docere, quam discere: et ante præsumens bonum prædicare, quam facere: tanquam sterilis arbor cum non habeat opera pro pomis, spargit verba pro foliis, et cum non adsit medulla sensuum, abundat spuma verborum. *Sid. lib. 5. epist.*

44. Quia fragilis est memoria, et rerum turbæ non sufficit, ideo egregiè doctorem formare videtur, qui dicit: Quicquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta percipiant animi dociles, teneantque fideles. Omne supervacuum pleno de pectore manat. *Petrus Blesen.*

45. Nunquam super verbis faciam quæstionem, de qua facultate sumantur, dummodo ædificent ad salutem: nam nec de herbis quæritur, qua terra vel cujus hortulani cura et cultura adoleverint, dummodo vim habeant sanativam: nam et de fabularum gentilium moralitate quandoque forma eruditionis elicitur, quoniam fas est ab hoste doceri. *Pet. Bles. in quadam ep.*

46. Scientiarum generosa possessio in plures dispersa, non perditur, et distributa per partes, mino-

rationis detrimenta non sentit: sed eo diuturnius perpetuata senescit, quo publicata fœcundius se diffundit. *Ibidem.*

47. In omni genere causæ necesse est benevolum, attentum, docilem, efficere auditorem: auditorum enim benevolentia captabitur, si res ab eis gestæ fortiter, sapienter, mansuete, magnifice proferentur. Attentos autem faciemus, si demonstrabimus ea, quæ docturi sumus magna, nova, incredibilia esse: aut ad illos, qui audiunt, aut ad homines illustres, aut ad Deos immortales, aut ad summam Reipublicæ pertinere. Dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causæ exponemus. *Tullius 1. Rhetor.*

48. Multos imitatio brevitatis decipit, ut cum se breves putent esse, longissimi sint, cum dent operam, ut res multas breviter dicant. *Ibidem.*

49. Sæpe res minus est intellecta longitudine magis, quam obscuritate narrationis. *Ibidem.*

50. Peritia dicendi in tribus consistit, natura, doctrina, et usu. Natura ingenio, doctrina scientia, usu assiduitate: hæc sunt enim quæ non solum in oratore, sed in unoquoque homine artifice expetuntur, ut aliquid efficiat. *Tullius 2. Rhetor.*

51. In exordiendo causam servandum est, ut levis sit sermo, ut usitata verborum consuetudo, ut non adparata oratio videatur. Vitiosum exordium est, quod nimis adparate compositum est, aut nimium est longum, et quod non ex ipsa causa natum videtur, ut proprie cohæreat cum narratione, et quod neque benevolum, neque docilem, neque attentum facit auditorem. *Ibidem.*

52. Proverbium, est sententia generalis, cui consuetudo fidem attribuit: opinio communis assensum accommodat: incorruptæ veritatis integritas acquiescit. *Ibidem.*

53. ' Parum valet doctrina, nisi industria, studio labore, diligentia comprobetur. *Tullius. 3. Rhet.*

54. ' Quæ bona sunt, fieri meliora possunt doctrina: et quæ non optima, acui tamen et corrigi aliquo modo possunt. *Tullius 2. de Orat.*

55. Nunquam nimium dicitur, quod nunquam satis dicitur: quibusdam remedia monstranda sunt, quibusdam inculcanda sunt. *Senec. 27. epist.*

56. Eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, et communes locos volvunt, et in privato circulantur, sed eos qui vitam docent, qui quum dixerint, quid faciendum sit, nunquam in eo, quod dixerint fugiendum, deprehenduntur. *Ibidem.*

57. Idem vitii habet nimia, quod nulla divisio: simile confuso est, quicquid in pulverem sectum est. *In epist.*

58. Quid faciendum sit à faciente discendum est. *Senec. epist. 9. extrema par.*

59. Quæ nosti, sine arrogantia postulanti impertes: quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ tuæ tibi postula impartiri. *Senec. de quatuor virtutib.*

60. Eum elige doctorem, quem magis admireris quum videris, quam quum audieris. *Senec. epist. 55.*

61. Omnia facta et dicta nostra inter se congruant ac respondeant sibi, non est hic animus in recto, cujus dicta et acta discordant. *Senec. 20. epist.*

62. Quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus: concordet sermo cum vita. Ille promissum suum implevit, qui cum videas illum, et cum audias, idem est. *Senec. 45. epist.*

63. Cupio omnia, quæ scio, in alium transfundere: aliquidque gaudeo discere ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet sit eximia et salutaris, quam mihi soli profuturam videro. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enuntiem, rejiciam. Nullius boni sine socio jucunda est possesio. *Senec. 27. epist.*

64. Liber cum una forma rem affert, et ex partibus diversis respondet: ideo plus prodesi docentem audire quam in libris studere, quia vehementior fit impressio in mentibus audientium ex visu doctoris et auditu, quam ex studio et libro. *Val. Max. lib. 8.*

65. Doctrinæ et eloquentiæ ornamenta in pronun-

tiatione apta, et convenienti corporis gestu consistunt, quibus qui se instruxerit, tribus modis homines aggreditur, aures penetrando, oculos demulcendo, et animos invadendo. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 32. in tt. Auditor et Consilium, núm. 1, 3, 5. in tit. Correctio, núm. 2, 5. in tit. Curiositas, núm. 16. in tit. Debitum, núm. 2. in tit. Discere, Eloquentia, núm. 3, 15, 16, 17, 20, 21, 23. in tit. Fama, núm. 2. in tit. Hæresis, núm. 10. in tit. Honor, núm. 23. in tt. Laus, núm. 12. in tit. Magister et Modestia, núm. 16. in tit. Patientia, núm. 8. in tit. Prædicatio, Sacerdos, núm. 2 et in tit. Studium, per totum.

DOLOR.

1. Qui peregrinationem propriam diligit, dolere etiam inter dolores nescit. Justi autem verba dolore sunt plena: quia quousque præsentia tolerat, ad aliud loquendo suspirat. *Greg. l. 7. moral.*

2. Mitigat vim doloris considerata æquitas ferientis. *Greg. ibid. in moral.*

3. Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *Greg. ibid.*

4. Magnos cruciatus habet morbus, sed hos intolerabiles intervalla faciunt. Summi doloris intensio cito invenit finem. Nemo potest valde dolere et diu. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret: hoc itaque solatium vasti doloris est. *Senec. 97. epist.*

5. Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lachrymas, si non nimiæ decurrerint, si illas ipsi repressimus: nec sicci sint oculi amico amisso, nec fluant: lachrymandum est, non plorandum, per lachrymas argumenta desiderii quærimus, et dolorem non sequimur, sed ostendimus. *Senec. 63. epist.*

6. Finem dolendi qui consilio non fecerit, tempore invenit. *Ibidem.*

7. Turpissimum est in homine prudente remedium

mœroris lassitudo mœrendi: malo relinquas dolorem, quam ab illo relinquaris. Annum fœminis constituere majores ad lugendum, non ut tam diu lugerent, et ne diutius. Viris nullum legitimum tempus est: quia nullum honestum. Quam mihi ex illis mulieribus dabis, vix retractis à rogo, vix à cadavere revulsis, cui lachrymæ in totum mensem duraverint? Nulla res citius in odium venit, quam dolor: qui recens consolatorem invenit, et aliquos ad se adducit, inveteratus vero deridetur, nec inmerito. Aut enim simulatus, aut stultus est. *Ibidem.*

8. Vinceris à dolore, si cesseris: vinces, si te contra dolorem intenderis. *Senec. 97. epist.*

9. Dura res est dolor, in molu mollis: pauci dolorem poterunt ferre: simus ex paucis. Imbecilles natura sumus. Naturam infamare noli, illa nos fortes genuit. *Senec. de remediis fortunæ.*

10. Doloris rationem ab inimicis exigit, qui patiendo dolorem non ostendit. *Senec. in prov.*

11. Graviter irascitur, qui quo dolet, Deo commendat. *Ibidem.*

12. Animo dolenti nihil oportet credere: etiam innocentes cogit mentiri dolor: homo ne sit sine dolore, fortunam invenit. Læso doloris remedium est inimici dolor: dolor decidit, ubi quo crescat, non habet. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Compassio, num. 9, 13. in tit. Confessio et Consolatio, núm. 2, 3, 5, 6, 11, 15, 16. in tit. Contritio, núm. 9. in tit. Fortitudo, núm. 2. in tit. Gaudium, núm. 5. in tit. Lachryma, núm. 21. in tit. Loquacitas, núm. 12. in tit. Miseria, núm. 15. in tit. Mors, núm. 46, 80.

EBRIETAS.

1. Ebrietas est fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit. *Aug. in epist. ad quendam Comitem.*

2. Ebrietas est flagitiorum omnium mater, cul-

parumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. *Aug. ad sacras virg.*

3. Ebrietas in utroque sexu cuncta mala appetit, et nefanda committit, et ut ait Apostolus, regna cœlestia appetentibus denegat. *Ibidem.*

4. Quisquis immoderatus convivioque medius amisis modestiæ frænis, insana fuerit ebrietate prostratus, adversus respicit stantes, quos integros videre nequit aut sermone longo superflua verba emittit, et vana dicta componit, male clamans, et bene sibi sonans. *Ibidem.*

5. Ebrius vultu dejecto supinus accumbit, et sui omnimo nescius spectaculum se convivio præbet, et dum nihil consequitur sanum, nullo alio cogente, præter vinum, cordis sui arcana patefacit, et amicorum sibi commissa secreta in medium prodit. *Ibidem.*

6. Assumit inter pocula injusta certamina, et nullis existentibus causis asperam excitat rixam: quia interponendo verba vana aliorum sana dicta non patitur audire, sed in contumeliam erigitur convivarum et proximorum crimina. Vinum potatum moderatè, est medicamentum: plus justo sumptum, venenum esse cognoscitur. Jucunditati, non ebrietati creata est vini materia. *Ibidem.*

7. Per vinolentiam plurimi plurimæque à sancto pioquè proposito excidere, et sui obliti, amissis honoribus, ignobiles remanserunt, et sedibus paternis profugi, vilam, ut sumpserunt, finierunt. *Ibidem.*

8. Innumerabiles jugum dominationis diu recusantes vinolentia in alienum redegit arbitrium. Alexander omnium victor vino victus est. Infiniti vero nimio vino impellente, injusta impiaque homicidia commiserunt. Quam plurimæ urbes diu obsessæ, nec raptæ custodibus, somno vinoque sepultis ab hostibus patefactæ sunt, et incendiis concrematæ. *Aug. ad sacras virg.*

9. In ebriis non ratio ulla, non ullum vitæ gerendæ consilium, nec ulla artium, nec gestorum, aut lectionum memoria, aut industriæ providentia est. *Aug. ibid.*

10. Sobrietas in fœminis ad terram deponit aspectum, ebrietas autem amisso pudore inverecundos erigit vultus. *Ibidem.*

11. Sobrietas cum summa trepidatione et silentio irreprehensibile emittit verbum: ebrietas vero immoderatum facit fœminæ et sermonem et vultum. *Ibidem.*

12. Valde turpe est ut quem non vincit homo, vincat libido: et obruatur vino, qui non vincitur ferro. *Aug. in epist. 140.*

13. Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum, quam qui habet, seipsum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum. *Aug. in quodam serm.*

14. Quicumque ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio suo alios suos adjuravit, pro se, et pro ipsis, in die judicii reus erit. *Aug. ibid.*

15. Ebriosus quum absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à Deo, despicitur ab angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab hominibus. *Aug. in lib. de pœni.*

16. Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam. *Ibid.*

17. Noë ad unius horæ ebrietatem nudavit femoralia sua, quæ per sexcentos annos contexerat. *Hier. in epist. ad Occean.*

18. In vino luxuria est, et ubicumque saturitas, et ebrietas, ibi libido dominatur. *Hier. sup. ep. ad Tim.*

19. Ebrietas est, per quam menti quædam sui oblivio generatur ex superfluorum potuum indulgentia. *Isid. lib. 5. etymologiarum.*

20. Nihil est ita dæmoni amicum, sicut ebrietas, et lascivia, quæ est mater omnium vitiorum. Ante omnia autem vitetur á clericis, quæ omnium pecca-

lorum radix, ac nutrix est. *Chrys. super illud Matth.*

21. Ebrietas judicium rationis offuscat: contentiones et bella procurat: robur et naturalem virtutem enervat: infirmitatem generat: mortem naturalem adducit: rebus temporalibus spoliat, et quod deterius est, divinam maledictionem inducit. *Hugo de S. Victor.*

22. Ebrietas in laico crimen est: in sacerdote sacrilegium: quia alter animam suam necat vino, alter spiritum sanctitatis extinguit. *Pet. Rav. in quodam serm.*

23. Ebrietas mater litium, furoris generatrix, petulantiæ magistra: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum: hæc enim est rabies voluntaria: invitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris injuria. *Pet. ibid.*

24. Ubi enim regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judilia subvertuntur. *Ibidem.*

25. Vini usus Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. Quæcumque enim fœmina vini usum appetit immoderate, et virtutibus januam clandit, et delictis aperit. *Val. Max. lib. 3. de memor. dictis et factis Rom.*

26. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, et omne, quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejeciat: sic vino exæstuante quicquid in imo jacet abditum, effertur, et prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita nec secretum quod suum est, et alienum pariter effundunt. *Senec. 84. epist. ad Lucill.*

27. Audi quemadmodum Zeno vir maximus colligat virum bonum non futurum ebrium. Ebrio nemo secretum sermonem committat. Vir ergo bonus ebrius non erit: quemadmodum opposita interrogatione simili derideatur, attende: dormienti nemo secretum committit: viro autem bono committit: vir ergo bonus non dormit. *Senec. ibid.*

28. Interim si hoc colligere vis, virum bonum

non debere ebrium fieri, cui simile agis? Dic quam turpe sit, plus sibi ingerere, quam capiat stomachus: et stomachi sui non nosse mensuram. Quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescunt? nihil aliud esse ebrietatem, quam voluntariam insaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitum, nunquid de fure dubitabis? nunc quoque non est minor, sed brevior. *Ibidem.*

29. Refertur Alexandri Macedonis exemplum: qui Clitum charissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit, et intellecto facinore, mori voluit. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas: hæc acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinacia bello defensa mœnia patefecit: hæc contumacissimos et jugum recusantes in alienum redigit arbitrium, invictos enim acie, mero domuit. *Ibidem.*

30. Alexandrum, cujus modo feci mentionem, qui tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quæ victa temporum locorumque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi, et ille Hæreulanens ac facilis cyphus submersit. Dic ergo, quare sapiens non debeat ebrius fieri? deformitatem rei et importunitatem ostende rebus, non verbis, quod facillimum est. *Senec. ibid.*

31. Nonnulli majorem partem noctis in conviviis exigunt: vino vero madentes, et mersi usque ad horam sextam dormiunt, hoc est matutinum eorum. *Senec. 83. epist.*

32. Certè detegit omne vitium ebrietas et incendit, ubi possedit animum nimia vis vini: quicquid male latebat, detegit, vel emergit, non facit ebrietas vitia, sed protrahit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet: crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, malignitas livido, omne vitium grassatur, et prodit. *Ibidem.*

33. Adjice illam ignorantiam sui, dubia et parum

explanata verba, insertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis tecta, ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum stomachi torrentia, quum effervescit merum ac viscera ipsa offendit: tunc tamen utcumque tolerabile est, dum illis vis sua est, quod cum somno vitiatur, quæ ebrietas fuit, crudelitas facta est. *Ibidem.*

34. Quæ gloria est capere multum? quum enim penes te palma fuerit, et superstes toti convivio fueris, quum omnes viceris virtute magnifica, et nemo vini tam capax fuerit, vinceris à dolio. *Senec. ibid.*

35. Ebrietates continuæ animos in furorem adducunt: nam quum sæpe apud se non sunt consuetudine insaniæ durata vitia: vino tamen concepta etiam sine vino valent: vinolentiam enim violentia sequitur. *Senec. ibid.*

36. Absentem lædit, qui cum ebrio litigat. *Senec. in prover.*

37. Quid turpius ebrioso, cui fætor in ore, tremor in corpore? Qui promit stulta, prodit occulta, cui mens alienatur, facies transformatur? Nullum enim secretum ubi regnat ebrietas. Fœcundi calices quem non fecere disertum? *Innoc. de vilitate conditionis humanæ.*

Vide etiam in lit. Dovotio, núm. 12. in tit. Sobrietas.

ECCLESIA.

1. Ecclesia, est quædam forma justitiæ, id est, commune jus omnium. In commune orat, in commune operatur, in commune tentatur; sine Ecclesiæ catholicæ societate, nec alicui baptismus prodesse potest, nec opera misericordiæ, nisi forte, ut minus torqueatur. *Aug. de fide ad Petrum.*

2. Adhuc habet ecclesia, quo crescat, donec illud impleatur: *Dominabitur á mari, usque ad mare. Aug. super Matth.*

3. Ecclesia nunc orat pro omnibus; nec tamen pro omnibus exauditur. *Aug.*

4. Ecclesia velut lilium inter spinas, malis et bonis est permixta. *Aug. lib. 5. de Bapt.*

5. Hoc Ecclesiæ proprium est, ut tunc vincat, quum læditur: tunc inteligat, quum arguitur: tunc obtineat, quum deseritur. *Hilar. de trinit. lib. 4.*

6. Hoc habet proprium Ecclesia, dum persequitur floret: dum oprimitur, crescit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat, quum superari videtur. *Hilar. ibid.*

7. Non altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est. Gallia et Bythinia, et Persis, et Oriens, et India, et omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant: unam observant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe: ubicumque fuerit Episcopus sive regio, ejusdem meriti est, ejusdem sacerdotii potentiæ: divitiarum et potestatis gradus, et paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non faciunt. Cæterum omnes Apostolorum succesores sunt. *Hier. ad Evandrum præsbyterum.*

8. Quid, inquit, Arcturi nomine, qui in cœli arce constitutus septem stellarum radiis fulget? ubi universalis Ecclesia exprimitur. Arcturus, inquit, semper versatur, et nunquam mergitur: sic Ecclesia persecutiones tolerat, sed sine delectu perdurat. *Greg. 9. mor. super illud Job: Qui facit Arcturum.*

9. Est, inquit, in Arcturo quod consideratius possumus intueri: in septem quidem stellis volvitur, et modo quidem tres ad summa elevat, atque ad ima quatuor inclinat, modo quatuor superius exigit, et tres inferius premit: sic sancta Ecclesia cum modo infidelibus trinitatis notitiam, modo verò fidelibus quatuor virtutes, quasi rotatu prædicationis, status sui spem quodammodo immutat. *Greg. 29. super illud Job: Aut gyrum Arcturi.*

10. Arca cessante diluvio in monte requievit, quia vitæ hujus corruptione cessante, quum malorum operum fructus transierint, in cœlesti patria, sancta Ecclesia velut in excelso monte requiescit. *Greg. in epist. ad Jesanum.*

11. Sancta Ecclesia duas vitas habet. Unam qua merces colligitur. Aliam, in qua jam de receptis muneribus gaudet, atque in utraque vita offert sacrificium, hic videlicet sacrificium compunctionis, illic sacrificium laudis. *Greg. in quadam hom. super Ezech.*

12. Tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, quum ardentius pro veritate fatigatur. *Greg. in moral.*

13. Sicut Ecclesia propriis res amittere non debet, ita rapacitatis ardore alienas invadere non debet. *Greg. in registro.*

14. * Sancta Ecclessia consistit unitate fidelium, sicut corpus unitate membrorum. *Greg. lib. 19. moral.*

15. * Ecclesia afflictionis tempore proverbium pravis efficitur. *Greg. 10. moral.*

16. O vanitas vanitatum: sed non vanior, quam insanior: fulget Ecclesia in parietibus, et egel in pauperibus: suos lapides auro induit, et suos filios nudos deserit: de sumptibus egenorum servitur oculis divitum. *Bern. in apolog.*

17. O humilitas et sublimitas et tabernaculum Cedar et sanctuarium Dei, et terrenum habitaculum, et cœleste palatium, et domus lutea, et aula regia, et corpus mortis, et templum lucis, et despectio denique superbis et sponsa Christi. *Bern. super cant.*

18. Omnino proditorem se esse noverit, quicumque est ille, qui vilia quælibet in hanc domum conatur inducere, et templum Dei speluncam vult facere dæmoniorum. *Bern. in serm.*

19. Sponsa, id est, Ecclesia Christi nihil sibi gloriosius putat, quam Christi portare opprobrium. *Bern. super Cant.*

20. * Ecclesiæ nomine non tantum una anima, sed multarum unitas designatur. *Bern. in Cant. serm. 6.*

21. * Præsumit Ecclesia non de suis meritis, sed Dei misericordia. *Bern. in Cant. serm. 6.*

22. Ecclesia media est inter cœlum, quod est locus tantum bonorum: et infernum, qui est locus tantum malorum: ipsa vero Ecclesia media est: quia indiferenter bonos et malos colligit, quod figuratum est in arca Noë, ubi animalia mitia simul erant cum animalibus immitibus. *Chrys. super illud Matth. 22. Congregaverunt.*

23. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus debet habere commune: nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt erogare: quoniam nihil aliud est sic habentibus dare, quam perdere. *Prosper. pro vita comtemplativa.*

24. Differentia est inter synagogam et Ecclesiam. Synagoga est congregatio, Ecclesia vocatio. Possunt autem irrationabilia congregari, vocari autem nequaquam: et ideo visum est doctoribus nominare Ecclesiam. *Rab. super Matth.*

25. Tria possumus assignare tabernacula, scilicet materiale, mysticum, et morale, id est, tabernaculum Moysi, tabernaculum Christi, tabernaculum cujuslibet justi. Tabernaculum Moysi fuit ex diversis generibus ornamentorum conveniens structura: Tabernaculum Christi est Ecclesia, Tabernaculum justi, quælibet fidelis anima. Unum sit ex lignis imputribilibus, aliud ex sanctis animabus, tertium ex donis et virtutibus. Moyses suum erexit in eremo, Christus in mundo, justus in animo: omnes tamen in deserto ædificaverunt. *Hugo lib. 3. de claustro animæ.*

26. Ecclesia est singularis fidelium uniuscujusque civitatis congregatio. *Hugo.*

27. Novit Ecclesia beneficio Domini triumphare de suis cladibus, ingravata persecutionibus siquidem proficit, afflictionibus semper augetur, sanguine martyrum irrigatur, tristitia magis erigitur, angustia dilatatur, fletibus pascitur, jejuniis reficitur, et inde potius crescit, unde mundus deficit. *Cass. super Psal. 1.*

28. Ad Ecclesiam bonam spiritualia pervenerunt, et fidei insuperabile fundamentum, spei certissimum præmium et suave vinculum charitatis, quarum rerum tunc tenet imagines, et in futuro est perenniter possessura virtutes. *Cass. ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

29. Ecclesia enim magis incipiet esse uberrima, quum ad finem seculi erit perducta: tunc enim passionibus electorum citò implebitur numerus bonorum. *Cass. super Psal. 30.*

30. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod Soli radii, quod fonti rivuli, hoc apostolicæ sedis eminentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas ubique terrarum religio Christiana fundavit. *Pet. Rav.*

Vide etiam in tit. Antichristus, núm. 14, 17. in tit. Clericus, núm. 5, 6, 7, 11, 12, 14. in tit. Mundus, núm. 20. in tit. Servitium, núm. 8, 9. in tit. Superbia, núm. 1, 12.

ELECTIO.

1. Quis ferat, si quis divitem eligat, ad sedem honoris ecclesiæ, contempto paupere instructiore et sanctiore? *Ambr. super illud Jacob. 1. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri.*

2. Ad episcopalem dignitatem eligi non debuit, qui minora officia gubernare non didicit, quia cura navis illi committi non debuit, qui remum tenere non novit. *Aug. in quodam serm.*

3. Hæc pax domestica, et cohabitantium ordinata à Deo concordia, et clara justitia, ut scilicet, qui excellunt ratione, excellant dominatione. *Aug. in lib. sent. et est glo. col. ult.*

4. Deus non eligit dignos, sed dignos eligendo facit. *Aug. lib. 3. cont. Jul.*

5. Non statim multitudinis acquiescamus judicio sed electi in principatum noverimus miseriam nostram et humiliemur sub potenti manu Dei, quia Dominus superbis resistens humilibus dat gratiam. Quanti panes non habentes et vestimentum, cum ipsi esuriant et nudi sint, nec habeant spirituales cibos, neque Christi tunicam integram servaverunt, aliis alimoniam vestimentumque promittunt, et pleni vulneribus medicos esse se jactant? *Hier. super Esa. lib. 5.*

6. *Non sum medicus, et in domo mea non est panis neque vestimentum: nolite me constituere principem.* Sicut in ordinationibus malorum, princeps est peccatorum, qui tales constituit: sic in ordinatione sanctorum princeps est eorum justitiæ, qui bonos eligit. *Hier. super Esai. lib. 12.*

7. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Dominus locutus est, potuit utique successores principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At cernimus nunc plurimos hominum beneficium facere, ut non quærant eos, qui possunt in ecclesia plus prodesse, in ecclesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt, obsequiis deliniti: vel pro quibus majorum quisquam rogaverit: et (ut deteriora taceam) qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt, et constituantur per civitates. *Hier. super ill. Titul. 1. et ponitur 8. q. 1. cap. Moyses.*

8. Quærit cur non Joannes electus est virgo, scilicet ut esset caput ecclesiæ, respondit, ætati delatum est: quia Petrus senjor erat, ne adhuc adolescens pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur. *Hier. cont. Jovinian.*

9. Res pene contra naturam est, ut sine peccato aliquis sit: sed talis eligatur, cujus comparatione cæteri grex dicantur. *Hier. in epist. ad Ocean.*

10. Conquerebatur se ferre non posse, et juvenilem ætatem incongruam sacerdocio causabatur: sed quanto plus repugnabat, tanto magis omnium in se studia concitabat, et merebatur negando, quod esse nolebat, eo quod dignior erat, quo se clamabat indignum. *Hieron. ad Heliod.*

11. Si in quibuslibet ecclesiæ gradibus, providè omnis gradus constituitur, non erratur. Nam totus familiæ Domini status et ordo, mutabitur, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite. *Leo papa in quodam ser. et ponitur 61. distinct.*

12. Sicut enim boni operis sibi comparat fructum,

qui rectum tenet in eligendo sacerdote judicium: ita gravi semetipsum afficit damnatione, qui ad suæ dignitatis collegium, sublimat indignum. *Ibidem.*

13. Valde iniquum est et absurdum, ut imperiti magistris, novi antiquis, rudes præferantur eruditis. *Ibidem.*

14. Requiritur in ordinando sacerdote, et præsentia populi, ut sciant omnes et certi sint, quia qui ex omni populo est præstantior, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, et hoc adstante populo, ne aliqua postmodum retractio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. *Orig. super Levit.*

15. Discant electorum Principes, successores sibi non eos, qui consanguinitate generis juncti sunt, neque qui carnis propinquitate sociantur, testamenta signare, neque hereditarium tradere ecclesiæ principatum sed referre ad judicium Dei, et non negligere illum quem humanus affectus commendat, sed totum Dei judicio de successoris electione permittere. *Orig. super ill. Num. 27. Provideat Domin. spiritum omnis car. etc.*

16. Nulla hæc populi acclamatio, nulla propinquitatis acclamatio: propinquis agrorum et prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio autem populi illi tradatur, quem Deus eligit, qui scilicet in se habet spiritum Dei, id est, in quo sit claritas legis et scientiæ, ut possint eum audire filii Israel. *Ibidem.*

17. Necesse est prudentissimum eligere, qui possit contra subtilissimos disputare, et in conventu doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna res est contra artifices loqui, et apud illos aliquid agere, qui se putant omnia providere. *Cass. lib. 1. epist.*

18. Necessarium probatur esse Reipublicæ, personas dignitatibus aptas eligere, ut cui justitia committitur, malis moribus non gravetur, alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere: et confitenter quæritur quod inesse sentitur. *Cass. lib. 3. epist.*

19. Ligna sylvarum non olivam, non ficum, non vitem, sed Rhamnum sibi elegerunt in regem, et *egressus est ignis de Rhamno et devoravit Cedros Libani. Pet. Rav. in quadam epist.*

20. Hæc est justa causa, ex equitate veniens partitio, ut meliores semper in officiis præferantur: pessimi autem cives vel minus boni luce careant dignitatis. *Apul. in lib. de dogmate.*

21. Apud Thraciam in regis electione, non nobilitas prævalet, sed suffragium universorum. Populus enim eligit spectatum moribus, et inveterata clementia, et annis gravem, sed hoc in eo queritur, cui liberi nulli sunt. Nam qui pater fuerit, etiam si vita polleat, non admittitur ad regendum: et si forte dum regnat, genuerit, exuitur potestate, ideoque maxime custoditur, ne fiat hæreditarium regnum: deinde etiam si rex maximam præferat æquitatem, nolunt ei totum licere, quadraginta ergo rectores accipit, ne in causis capitum solus judicet. Sic quoque si displicuerit judicatum, ad populum provocatur, atque ita datis judicibus septuaginta fertur sententia, cui necesario acquiescitur. *Plato. Solin. de mirabil. mundi.*

22. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo videante faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat. *Seneca.*

Vide etiam in tit. Acceptio núm. 1, 4. in tit. Doctrina, núm. 56, 60. in tit. Honor, núm. 3. in tit. Humilitas, núm. 1, 15. in tit. Judex, núm. 14, 15. in tit. Meritum, núm. 16. in tit. Prælatio, núm. 16, 26. in tit Regimen, 16, 28. in tit. Servicium, núm. 11.

ELEEMOSYNA.

1. Qui vult ordinate dare eleemosynam, à seipso debet incipere, et eam sibi primo dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verisimeque dictum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo. Aug. in Enchir.*

qui rectum tenet in eligendo sacerdote judicium: ita gravi semetipsum afficit damnatione, qui ad suæ dignitatis collegium, sublimat indignum. *Ibidem.*

13. Valde iniquum est et absurdum, ut imperiti magistris, novi antiquis, rudes præferantur eruditis. *Ibidem.*

14. Requiritur in ordinando sacerdote, et præsentia populi, ut sciant omnes et certi sint, quia qui ex omni populo est præstantior, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, et hoc adstante populo, ne aliqua postmodum retractio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. *Orig. super Levit.*

15. Discant electorum Principes, successores sibi non eos, qui consanguinitate generis juncti sunt, neque qui carnis propinquitate sociantur, testamenta signare, neque hereditarium tradere ecclesiæ principatum sed referre ad judicium Dei, et non negligere illum quem humanus affectus commendat, sed totum Dei judicio de successoris electione permittere. *Orig. super ill. Num. 27. Provideat Domin. spiritum omnis car. etc.*

16. Nulla hæc populi acclamatio, nulla propinquitatis acclamatio: propinquis agrorum et prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio autem populi illi tradatur, quem Deus eligit, qui scilicet in se habet spiritum Dei, id est, in quo sit claritas legis et scientiæ, ut possint eum audire filii Israel. *Ibidem.*

17. Necesse est prudentissimum eligere, qui possit contra subtilissimos disputare, et in conventu doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna res est contra artifices loqui, et apud illos aliquid agere, qui se putant omnia providere. *Cass. lib. 1. epist.*

18. Necessarium probatur esse Reipublicæ, personas dignitatibus aptas eligere, ut cui justitia committitur, malis moribus non gravetur, alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere: et confitenter quæritur quod inesse sentitur. *Cass. lib. 3. epist.*

19. Ligna sylvarum non olivam, non ficum, non vitem, sed Rhamnum sibi elegerunt in regem, et *egressus est ignis de Rhamno et devoravit Cedros Libani. Pet. Rav. in quadam epist.*

20. Hæc est justa causa, ex equitate veniens partitio, ut meliores semper in officiis præferantur: pessimi autem cives vel minus boni luce careant dignitatis. *Apul. in lib. de dogmate.*

21. Apud Thraciam in regis electione, non nobilitas prævalet, sed suffragium universorum. Populus enim eligit spectatum moribus, et inveterata clementia, et annis gravem, sed hoc in eo queritur, cui liberi nulli sunt. Nam qui pater fuerit, etiam si vita polleat, non admittitur ad regendum: et si forte dum regnat, genuerit, exuitur potestate, ideoque maxime custoditur, ne fiat hæreditarium regnum: deinde etiam si rex maximam præferat æquitatem, nolunt ei totum licere, quadraginta ergo rectores accipit, ne in causis capitum solus judicet. Sic quoque si displicuerit judicatum, ad populum provocatur, atque ita datis judicibus septuaginta fertur sententia, cui necesario acquiescitur. *Plato. Solin. de mirabil. mundi.*

22. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo videante faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat. *Seneca.*

Vide etiam in tit. Acceptio núm. 1, 4. in tit. Doctrina, núm. 56, 60. in tit. Honor, núm. 3. in tit. Humilitas, núm. 1, 15. in tit. Judex, núm. 14, 15. in tit. Meritum, núm. 16. in tit. Prælatio, núm. 16, 26. in tit Regimen, 16, 28. in tit. Servicium, núm. 11.

ELEEMOSYNA.

1. Qui vult ordinate dare eleemosynam, à seipso debet incipere, et eam sibi primo dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verisimeque dictum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo. Aug. in Enchir.*

2. Valde male diligit is, qui bene audit, et male operatur. Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac, coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, non habeo: charitas de sacculo non erogatur. *Aug. super Psal. 105.*

3. Multa sunt genera eleemosynarum, quæ quum facimus, adjuvamur, ut nobis dimittantur peccata, sed ea nihil est majus, quam cum ex corde dimittimus peccata. *Aug. in Enchir.*

4. Quam frontem habes petendo ad Deum tuum, qui non agnoscis patrem tuum? Ille nihil portat, tu nimirum oneratus es: da illi de eo quod habes, et illum pascis, et pondus minuis. *Aug. de verb. Dom. serm. 5.*

5. Eleemosyna mundat peccata, et ipsa interpellat pro nobis ad dominum, quia quicquid pauperibus dederimus, ipsum integre possidebimus. *Aug. in serm. de divite.*

6. De justis laboribus facite eleemosynas: non enim corrupturi estis judicem Christum, ut non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Nolite velle eleemosynas facere de fœnore et usuris: fidelibus dico, quibus corpus Christi erogamus. *Aug. de verb. Dom.*

7. Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum: Via cœli est pauper, per quam venitur ad patrem, incipe ergo erogare, si non vis errare. *Aug. de verb. Domin.*

8. Dicit tibi Christus: da mihi ex eo, quod dedi tibi, de meo quæro: da et redde, habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem, temporalia mihi das, æterna tibi restituam, teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. *Aug. ibid.*

9. Cave prævidens discretioni eleemosynæ, ita ut utrinsque dantis scilicet et accipientis sit solatium. *Aug. in epist. ad quendam comitem.*

10. Si vis esse mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias quod non poteris amittere, da modicum, ut recipias centuplum, da temporalem possessionem, ut consequaris hæreditatem æternam. *Aug. in epist.*

11. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ: sed doleant aliter se non posse, melius enim facerent, si aliter non possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Utere cibis electis, et pretiosis, sicut consuevisti, quia aliter non poles, quia si consuetudinem mutas, ægrotas, conceditur tibi utere necesariis, da pauperibus superflua, utere pretiosis, da pauperibus vilia. *Aug. de verb. Dom.*

12. Magna eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, et irriguo largitatis obruit incendia delictorum. *Aug. in quodam serm.*

13. * Eleemosyna utilius malis negatur quam conceditur. *Aug. epist. 48.*

14. * Eleemosyna ad necessitatem non ad pigritiam accipienda. *Aug. de operi mona. c. 16.*

15. Beatus plane, de cujus domo nunquam vacuo sinu pauper exivit, neque enim quisquam magis beatus, quam qui intelligit super pauperis necessitatem et infirmi atque inopis ærumnam. *Ambros. lib. de offic.*

16. Ille intelligit super pauperem, qui largitur pauperi, nam quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris? *Ambros. super Psal. Beati immaculat.*

17. Hoc est occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia denegare. Cave ne inter loculos tuos includas salutem inopum, et tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum. *Ambros. ibid.*

18. Sunt qui pauperibus parum tribuunt, ut amplius accipiant, quæ magis venatio appellanda est, quam eleemosyna. Melius est enim non habere, quid tribuas, quam imprudenter petere, quod des. *Hier. in quadam epist.*

19. Nos subsarcinati auro, Christum pauperem sequimur, et sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incumbimus. *Hier. ibid.*

20. Pars sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperibus: laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia. *Hier. in epist.*

21. Sive ille sacerdos, sive cognatus sit, et affinis, nihil in illo aliud consideres, nisi paupertatem. Sine discretione omnibus indigentibus simpliciter tribuamus, non quærentes cui, sed quare demus. Quisquis enim in quacumque necessitate morituro succurrere potest, si non fecerit, occidit. *Hier. ibid.*

22. Gloria Episcopi est, pauperum opibus providere: ignominia, omnium sacerdotum propriis studere divitiis. *Hier. in epist.*

23. Quamvis omnem censum tuum pauperibus distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, quam quod manibus tuis ipse confeceris. *Ibidem.*

24. Qui indigenti eleemosynam tribuit, nec pro delicto spernit, misericordiam vere facit. Natura enim respicienda est, non persona. Qui enim dat indigenti peccatori, non quia peccator est, sed quia homo est, non peccatorem, sed justum nutrit. *Glo. Hier. super illud Eccl. 16. Da misericordi, et ne suscipias pec.*

25. Apud Deum non quantitas muneris, nec persona petitur potentis, sed dejectio et humilitas cordis, ideo non debet offerre sacrificium de iniquitate, sed de justo labore. *Glo. super illud Eccl. 15. Noli inspicere sacrificium injustum.*

26. Quicquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum: quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur. *Greg. in registro.*

27. Plus esse dicimus compati ex corde quam dare: quia quisquis indigenti perfecte compatitur, minus æstimat omne quod dat. Exteriora largiens, quod est extra semetipsum præbet: qui autem fletum et compassionem proximo tribuit, ei etiam aliquid de semetipso dedit. *Greg. in moral.*

28. Eleemosyna superbi divitis eum redimere non valet, quam perpetrata simul rapina pauperis ante Dei occulos ascendere non permittit. *Greg. lib. 12. moralib.*

29. Qui indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam à nequitia non custodit, rem

suam Deo tribuit, et se peccato. Hoc, quod minus est, obtulit auctori: et hoc, quod majus est, servavit iniquitati. *Greg. 19. moral.*

30. Non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur, nam valde superbire est, extra metas inopiæ aliquid desiderare. *Greg. 20. moral.*

31. Mundari prius debet animus, qui eleemosynam præbet, quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur, et ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia offertur. *Greg. in moral.*

32. Ille perfecte tribuit, qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque animum in se sumit, ut prius in se dolentis passionem transferat, et tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. *Ibid.*

33. Quisquis super eum, cui aliquid donavit, fastu elationis se extollit: majorem culpam peragit superbiendo, quam extrinsecus mercedem largiendo. *Greg. 21. moral.*

34. Tot pœnæ quotidie divites perimunt: quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt: nam quum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur. *Greg. pastoral.*

35. Eleemosyna amica Dei consistit, et semper ei propinqua est: pro quibuscumque voluerit facile munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem, huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, et veluti regina intrante nullus janitorum, nullus custodum, qui adsistunt, audent discere: quæ tu es, vel unde? sed omnes eam è regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas, circunscripta per omnia venustate, sed succincta vultum habens candidum, atque mansuetum, pennata est et levis, et semper ante solium regale consistit. *Chrys. super Matth. serm. 9.*

36. Medicamentum fortius, quod maxime optetur in pœnitentia, eleemosyna: et sicut in præceptis medicinæ accommodis, medicamentum multas quidem her-

bas accipit, unam autem dominantissimam: sic et in pœnitentia dominantior et potentior est, et universum ipsa efficit. *Chrys. ibid.*

37. Si indiferenter omnibus dederimus, semper miserebimur: si autem discutere cœperimus, numquam misericordiam præstabimus. *Ibidem.*

38. Quæ stultitia est illic relinquere, unde exiturus es, et illic non præmittere, quo iturus es? illic ergo substantiam tuam colloca, ubi patriam habes. *Chrys. super illud Matth. 6. Nolite thes. etc.*

39. Qui collocat thesauros in terra, non habet quid speret in cœlo. Ut quid respiciat in cœlum, ubi nihil habet repositum? Quicquid pro anima tua feceris, hoc tuum est, quod autem reliqueris, perdidisti. *Chrys. ibid.*

40. Non est ingrata Deo, quæ visa fuerit ab hominibus eleemosyna, sed quæ ideo facta est, ut visa sit *Chrys. super illud Matth. 5. Facite eleemosynam, etc.*

41. Tu ergo quando venis ad ecclesiam ad Deum adorandum, munera tecum in manimus porta, da non habentibus, et pete ab illo, qui habet, ut oratio tua bonis operibus commendetur. Infirma enim est oratio, quæ eleemosynarum largitate non est munita. *Chrys. ibid. super Matth.*

42. Melius servatur pecunia, quæ in dextra pauperis collocatur: hanc calumniator non extorquet, invidus non criminatur, latro non aufert, fur nocturnus non diripit, servus fugam meditans non invadit, sed semper est tuta, semper integra, semper salva. *Chrys. ibid.*

43. Nihil plus valet curationi, quam eleemosynarum largitio, quia frustra pro peccatis rogaturus manus ad Deum expandit, qui has ad pauperes non extendit. *Rab. super illud Matth. 12. Extende manum tuam, etc.*

44. Si feceris ea tibi divinitus provenisse, scilicet temporalia bona, an injustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? Cur tu abundas, et ille mendicat, nisi ut tu bonæ compensationis merita consequaris, ille vero patientiæ braviis decoretur? Panis est famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclavi conservas: discalciati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum quod possides, quocirca tot labefactas, quot subvenire vales. *Basi ho. 1.*

45. Manus pauperis est gazophylacium Christi, et quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo pauperi terram, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum: da pauperi, ut detur tibi, quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. *Pet. Rav. in quodam serm.*

46. Bene tuba: quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis, non misericordiæ dedita, sed clamori seditionis æmula, non pietatis alumna, non dignatio ostentationis, non commercium charitatis. *Ibidem.*

47. Nimis est quod sapit Deo, pauperis cibus: in regno cœli coram omnibus Angelis, et conventus resurgentium, quod Abel passus sit, quod mundum reservavit Noë, quod Abraham fidem incepit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit: ante Deum tacet, et clamat solum, quod comedit pauper. *Pet. Rav. serm. 14.*

48. Sibi apud Deum pietatis januam claudit, qui viscera misericordiæ proximo mendicanti non aperit. *Idem in quadam epist.*

49. Da quod accipias: sere quod metas: sparge quod colligas, quamvis non habeas, nisi quod acceperis: non potes tamen non habere quod dederis. Infidelis autem et iniquus est, etiam si quid quod æstimat diligendum non vult habere perpetuum. *Leo papa super illud: Date inquit, et dabitur.*

50. De calice aquæ frigidæ monet Dominus, ut in nomine suo præbeatur, quia hæc, quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa: et quæ ab infidelibus ministrantur, etiam si fuerint sumptu magna, omni tamen justificatione sunt vacua. *Leo papa in serm. de jejun.*

51. Quia non solum decimæ non sunt nostræ, sed ad ecclesias deputatæ. Verum quicquid amplius,

quam nobis opus est à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus vel vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis, ubi nos sumus, fame vel nuditate mortui fuerint, noverimus nos rationem de animabus illorum in die judicii reddituros. *Cæsar. in admon.*

52. Semina sparsa in segetem convalescunt, ut in unum coacta depereant. *Cass. in epist.*

53. *Producat fœnum jumentis*, id est, eleemosynas faciat his, qui petunt. Jumenta appellata: quia verecundiam non habentes propter ingluviem ventris in egentium voces petulant, sicut jumenta, quæ dum esuriunt, non possunt à propriis vocibus abstinere. *Cass. super Psalm.*

54. In faciendis eleemosynis non est cujusquam accipienda persona, nec habendum electionis judicium: quia res, quæ necessitati servit, erogationis ordinem non requirit. Ubi incumbit necessitas, non opus est, ut personam discutias, ne quum indignos misericordia segregas, Dei filium pariter amittas. *Val. Episc. in quodam serm.*

55. Non interest, cui petenti eroges: non enim requirit Dominus, utrum mereatur ille, qui postulat, sed quærit, qualiter præstet, qui donat. *Val. ibid.*

Vide etiam in tit. Adjutorium et Avaritia, núm. 13. in tit. Beneficentia, núm. 16. in tit. Compassio, núm. 5, 15. in tit. Cupiditas, num. 7. in tit. Divitiæ, núm. 21, 40. in tit. Ecclesia, núm. 13. in tit. Gloria æterna, núm. 6. in tit. Jejunium, núm. 10, 11, 18, 21, 27. in tit. Inimititia, núm. 1. in tit. Liberalitas, núm. 8, 9, 15, 19. in tit. Misericordia, núm. 4, 7, 12, 13. 18, 29, 33. in tit. Paupertas, núm. 5, 16. in tit. Prælatio, núm. 67. in tit. Venia, núm. 6.

ELOQUENTIA.

1. Plato temporum suorum vir eruditissimus, qui sic omnia locutus est, quæcumque dixit, ut magna, et quocumque modo parva dixit, modo loquendi magnificavit. Unde dici potest quidem: Tullii linguam omnes mirantur, pectus non æque: Aristotelis pectus omnes, linguam non æquè: Platonis pectus et linguam æquè. *Aug. in epist.*

2. Eloquentia in homine pravo est venenum in poculo aureo. *Aug. in lib. 1. de anim.*

3. Ille bene loquendi facundiam percipit, qui sinum cordis per rectè vivendi studia extendit, nec loquentem conscientia præpedit, quum vita linguam antecedit. *Greg. lib. 6. moral.*

4. Eloquens est ille, qui scit parva submissè, media temperate, magna granditer discere, qui scit invenire præclare, enuntiare magnifice, disponere aperte, et figurare varie. *Cass. super Psal. 75.*

5. Bonus doctor proœmiatur apte, narrat aperte, arguit acriter, colligit fortiter, ornat excelse, docet, delectat et afficit. *Cassio.*

6. Sæpe reperitur simplicitas veridica, et falsitas composita, quæ hominem suis erroribus illicit, et per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit. *Isid. lib. 3. de summ. bon.*

7. Antiqui forensem eloquentiam caninam facundiam nuncupabant, eo quod causidici in certaminibus causarum omissis, quæ agunt, veluti alterutrum sese lacerant, jurgiisque causarum ad injurias suas commutant. *Isid. ibid. lib. 3.*

8. Vitiosum est in re severa delicatum inferre sermonem. *Tullius in Rhetor.*

9. Me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimam sententiam ducit, ut existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus: eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse, plurimumque nocuisse, prodesse nunquam. *Tullius in prob. Rhet.*

10. Qui vero ita sese armat eloquentia, non ut oppugnet commoda patriæ, sed ut pro his pugnare possit: in his mihi videtur suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis. *Tullius ibid.*

11. Nam quid tam inhumanum, sicut eloquentiam ad salutem hominis datam ad bonorum pernitiem convertere? *Ibidem.*

12. Eloquentia est idoneorum verborum et sententiarum ad pronunciationem accomodatio: continens vocis, vultus, gestus moderationem cum venustate. *Ibidem.*

13. Pacis est comes, otiique socia, et jam bene constitutæ civitatis velut alumna quædam eloquentia. *Tullius de Clar. Orat.*

14. Nihil est tam inhumanum quam eloquentiam ad salutem hominum, et ad conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere. *Tull. de Offic.*

15. Moris est eloquentibus viris ingeniorum facultatem negotiorum probare difficultatibus, et illic stylum paratum, quasi quemdam fœcundi pectoris fluvium emanare: ubi materiæ sterilis argumentum, velut arida cespitis mater gleba jejunat. Statuitur mundus similibus exemplis, medicus in desperatione, gubernator in tempestate cognoscitur, quorum famam præcedentia pericula extollunt: quæ profecto nigrescit, nisi ubi probetur, invenit. Sic et magnus Orator, si negotium agrediatur angustum, tunc amplum plausibilibus manifestat ingenium. *Sid. in epist.*

16. Cicero noster, à quo Romana eloquentia exilivit, gradarius, id est ordinarius fuit, vir egregius et vita et scientia, et quod post ista est eloquentia: disputabatque expedite magis, quam concitate, ut possis discere facilitatem esse illam, non celeritatem: hoc ergo in viro sapiente exigo, ut oratio ejus sine impedimento exeat, et proferat magis, quam profluat, *Senec. in epist.*

17. Doctrinæ et eloquentiæ ornamenta sicut dicit Valerius, in pronunciatione apta, et convenienti corporis gestu consistunt, quibus qui se instruxit, tribus modis homines aggreditur: aures penetrando, oculos demulcendo, et animos invadendo. *Senec. in epist.*

18. Eloquentia neque adhuc se ulli sic indulsit, ut tota contingeret: satis felix est, qui in aliquam ejus partem receptus est. *Sen. in lib. 3. Rhet. sua.*

19. Magna debet esse eloquentia, quæ in vitiis

placeat: cum ingenia favor hominum ostendat, favor alat. *Senec. lib. 10. Rheto.*

20. Quis medicus ægrotos in transitu curat, nec ullam quidem voluptatem habet, talis verborum ruentium strepitus, quemadmodum proclive currentium, non ubi visum est gradus sistitur, sed incitato corporis pondere serpit, ac longius quam voluit, effertur. Sic ista dicendi celeritas in sua potestate est: nec satis decora Philosophiæ, quæ ponere debet verba, non projicere, et pedetentim procedere: perennis unda sit, non torrens. Circumspiciat se sermo noster et æstimet, et præbeat æstimandum: proferatur malo, quam profluat. *Ibidem.*

21. Inquirenti cuidam quomodo optime possit dicere, Seneca respondit: Si nihil dixeris, nisi, quod bene scieris. *Senec. de sen.*

22. Non scholam, sed asiduitatem legendi, doctrinam vocat oratorem optimum esse discere, qui plurima paucis disceret. *Senec. ibid.*

23. Totus sermo ab uno loco egreditur, sed ipsius formæ ejusque intentiones diversificantur secundum diversitatem formalem ipsius. Inter sermonem enim, qui egreditur leniter vel suaviter, ac vultu placido ac arridente, et inter ipsum, qui egreditur cum ira et tristi vultu, differentia longa existit. *Plato.*

Vide etiam in tit. Advocati, núm. 10. in tit. Doctrina, núm. 9, 47, 48, 50, 51, 65. in tit. Sanctitas, núm. 6. in tit. Scriptura, núm. 2, 3, 20.

ERROR.

1. Interest in quantum, et quibus rebus erretur, et quam facile se quisquis corrigat, vel quanta pertinacia se suum defendere conetur errorem. *August. in epist. 1. ad Marcell.*

2. Nimis perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto est melius et utilius, ubi ipse erravit, alii non errent: quorum admoniti errore careant. Vos qui me multum diligitis, si

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

talem me asseritis, ut nunquam in scriptis meis errase dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis, facilè in ea, meipso judice, superamini: quoniam non mihi placet, cum á charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum profecto: non me, sed pro me alium, sub meo nomine diligunt: si non, quod sum, sed quod non sum, diligunt. *Aug. ibid.*

3. Non enim placet sententia Tullii maximi auctoris Romani eloquii, qui nullum unquam verbum, inquid, quod revocare vellet, emisit: quæ quidem laus quamvis præclarissima videatur: tamen credibilior de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto. Sed si in bonam partem accipiatur, ut quempiam fuisse talem credamus, qui cum sapienter omnia loqueretur, nullum unquam verbum, quod revocare vellet, emisit: hoc potius de hominibus Dei, qui á spiritu sancto locuti sunt, quam de illo, quem sic Cicero laudat, saluberrima pietate credendum est. Ab hac ergo excellentia tam longe absum, ut si nullum verbum, quod revocare velim, protulero, fatuo sum, quam sapienti similior. Illius quippe scripta summa sunt auctoritate dignissima, qui nullum verbum non quidem revocare velle, sed quod revocare deberet, emisit. Non mihi igitur Tulliana illa blanditur, sed angit me plane illa Horatiana sententia: Nescit vox emissa reverti. *Ibidem.*

4. Diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores. *August. in quadam epist.*

5. Nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum non in via morum. *Aug. ibid.*

6. O quam detestandus est error hominum, qui clarorum virorum quædam non recte facta laudabiliter se imitari putant, á quodam virtutibus alieni sunt. *Aug. de unic. baptismo.*

7. Nihil gravius, quam errantem adeo deseri, ut se revocare non possit. *Ambros. in lib. de Cain et Abel.*

8. Nonnulli dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt: et dum veritatis discipuli esse negligunt, humiliter magistri erroris fiunt. *Gregor. lib. 8. moral.*

9. Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos suos, adscribunt nobis, et doctrinæ nostræ crimen blasphemiæ, quod à nobis nunquam audierunt. Dicunt enim patrem malitiæ et perditionis eorum, qui de regno ejiciuntur, id est, diabolum, me discere esse salvandum, quod nec aliquis quidem mente captus, et manifeste insaniens dicere potest. Sed nihil mirum videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis: et illa corruptione corrumpatur, quali corrupta est epistola Pauli Apostoli. Nam quidam sub nomine ejus falsam epistolam conscripserunt, ut turbarent Thessalonicenses, quasi instaret dies domini et seducerent eos. *Orig. in ep. apolo. sic se excusat.*

10. Multis, qui in pace ecclesiæ negligenter vixerant, subito errasse, et in flagitia aliqua cecidisse profuit: dum post casum pœnitendo erecti vigilantius domino servire cœperunt: et qui pigri ac desides in innocentia stare videbantur, per accidentem sibi ruinam admoniti, sunt solertius erga sui custodiam contra omnes antiqui hostis insidias accincti, ita, ut qui nec propiam vitam recusare ostenderant, postmodum etiam supernæ salutis cum sua erectione curam gerant. *Beda super Esd.*

11. Ex eo error noster apparet, quod ea sola putamus emi, pro quibus pecuniam solvimus: ea gratuita vocamus, pro quibus nos ipsos impendimus, quæ emere nolemus, si domus nostra pro illis esset danda: adeo nihil est cuique se vilius. *Sen. 42. ep.*

11. Bonus animus nunquam erranti obsequium accommodat. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Discere, núm. 4. in tit. Doctrina, núm. 19, 33, 34. in tit. Hæresis, et Ignorantia et Mendatium, núm. 4. in tit. Oratio, núm. 30. in tit. Philosophia, núm. 10, 11.

EUCHARISTIA.

1. Peccata si non tanta sunt, ut excommunican-

dus quisque videtur, non se debet á quotidiana medicina dominici corporis separare. *Aug. ad Jan. lib. 1.*

2. Faciat unusquisque, quod secundum suam fidem credit pie esse faciendum. *Aug. ibid.*

3. Ille non audet honorando sumere, et ille honorando non audet ullum diem prætermittere. Contemptum solum non vult cibus iste. *Ibidem.*

4. Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen dominicis diebus suadeo et hortor, si tamen mens sine voluntate peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purgari: et ideo quamvis peccato quis moderatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, communicaturus satisfaciat lachrymis et orationibus, et confidens de Domini miseratione, qui confessione peccati pie peccata donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus: sed hoc de illo quem capitalia et mortalia peccata non gravant. Nam quem peccata vel crimina post baptismum gravant, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, et ita sacerdotis judicio reconciliatum communicatione sociare, si vult non ad judicium, sed ad condemnationem sui Eucharistiam percipere, sed et secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus. *Aug. in lib. de Eccl. dog.*

5. Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit: sic vive, ut quotidie mereris accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. *Aug. tractans illud Matth. 8. Panem nostrum.*

6. Hoc sacramentum non inmerito consecrantis, sed verbo efficitur Creatoris: nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. *Aug. de Eccl. dog.*

7. Quanta enim cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, atque animi puritate illud divinum et cœleste mysterium est celebrandum, Domine Deus, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima, humanis divina junguntur! Ubi adest sanctorum præsentia Angelorum, ubi tu es sacerdos et sacrificium mirabiliter et ineffabiliter! Quis digné hoc celebrare mysterium potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? *Ambr. in orat. ante Missam dicenda.*

8. Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit sermo Christi, ut species elementorum mutetur? de totius mundi operibus legisti: *quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt.* Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat: non potest ea quæ sunt mutare in illud, quod non sunt? Non enim minus est novas rebus dare formas, quam mutare naturas. *Ambros. de sacr. lib. 3.*

9. Liquet, quia præter naturæ ordinem virgo generavit: et hoc, quod conficimus corpus, ex virgine est. Quid quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse partus ex virgine? *Ibid.*

10. Vide, quid agas Sacerdos, ne febrienti manu Christi corpus attingas: prius curére, ut possis ministrare. *Ambros. de vid. lib. 1.*

11. Verba Evangelistæ sunt usque ad *Accipite*, sive corpus sive sanguinem: inde sunt verba Christi: *Accipite, et bibite ex eo omnes*: et inde singula, qui pridie, inquit, quam pateretur in sanctis manibus suis accepit panem: antequam consecretur, panis est: ubi vero verba Christi accesserunt, corpus Christi est. Denique audi dicentem: *Accipite et edite ex eo omnes hoc est corpus meum.* Et ante verba Christi, calix vini et aquæ est plenus: ubi verba Christi operata fuerunt, sanguis efficitur, qui plebem redemit. *Ambr. de sacram.*

12. Si quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur: qui semper pecco, semper habere debeo medicinam. *Ibidem.*

13. Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est, cœleste et venerabile sacramentum. *Ibidem.*

14. Ne veluti quidam horror esset cruoris, sed maneret gratia redemptionis: ideo in similitudine quidem accipis sacramentum: sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. *Ibidem.*

15. Biberunt ex eo omnes: ebrietas felix: satietas salutaris: quæ quanto copiosius sumitur, tanto sobrietatem sumentibus donare dignatur: et Judas bibit, sed non saturatur: nec sitim extinguit ignis æterni, quia indignè sitivit mysteria Christi. *Hier. sup. Luc.*

16. *Accepit Jesus panem, et benedicens fregit*, tradens et figurans corpus suum in panem, quod est ecclesia præsens, quod accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis, formans sanguinem suum in calicem vino et aqua commistum: ut alio purgaremur à culpis, alio redimeremur á pœnis. Sanguine namque agni servatur domus à percussione angeli: et aqua maris rubri extinguntur inimici, quæ sunt mysteria ecclesiæ Christi. *Ibidem.*

17. Merito nostræ reconciliationis causa hoc sacrificium constitutum est: et si sacrificii præcepta contempseris, sacrificii remedium sentire non poteris. *Ibid.*

18. Hæc namque singularis victima ab æterno interitu animas solvit: quæ illam nobis mortem unigeniti reparat: qui licet surgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc misterio sacræ oblationis immolatur: ejus quippe ibi corpus sumitur: ejus caro in salutem populi patitur: ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis istud sacrificium, quod per absolutionem nostram unigeniti filii passionem semper imitatur. *Gregor. in Dial. lib. 4.*

19. Cibus dulcis, est corpus et sanguis Christi, quod Judas accepit indignus. *Gregor. in hom.*

20. Sacramentum Dei altissimi suscipiendum est, non discutiendum, venerandum, non dijudicandum, fide sortitum, non innatum, traditione sancitum, non ratione adinventum. *Bern. in ep.*

21. Sicut corporalis cibus, quum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, et nullum præstat auxilium: ita et iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non sua natura, sed accipientis vitio. *Chrys. ho. 5. sup. Matth.*

22. Qui scelerate vivunt in ecclesia, et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emundationem proficere sibi. *Isid. de sum. bon. lib. 1.*

23. Væ tradentibus Christum ad crucifigendum: sed væ cum maligna conscientia sub sacramento sumentibus illum: et si non tradant Judæis ad crucifigendum, tradunt tamen ipsum membris inimici ad sumendum. *Remig. in glo. super ill. Matth. Væ illi per quem fit.*

Vide etiam in tit. Mirabile núm. 2. in tit. Sacramentum. núm. 3.

EXACTIO.

1. Exigimus, quod debetur nostro corpori, sed non impendimus quod subjectorum debemus cordi. *Greg. in moral.*

2. Non gaudent Martyres, quando ex illis pecunia honorantur, in quibus pauperes plorant. *Chrys. super Matth.*

3. Magnum scelus est, rem pauperum præstare divitibus, et de sumptibus inopum acquirere favores potentum. Arenti terræ aquam tollere, et flumina quæ non indigent, irrigare. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

4. Ministerialium siquidem tanta est multitudo, quanta est locustarum, ut istis residentibus alii succedant, quod ex parte fuerit devoratum, alii devorent exiliter et consumant: impleturque eis illud propheticum: *Residuum eruca comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit ærugo.* Pauper enim veretur aperire malitiam exactorum, ne graviora moliantur in eum, et fiant posteriora hominis pejora prioribus. *Pet. Rav. in quadam epist.*

5. Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur, venalesque manus, ubi fas, ubi maxima merces. *Juvenal.*

Vide etiam in tit. Crudelitas, núm. 2. in tit. Ecclesia, núm. 12. in tit. Prælatio, núm. 66. in tit. Rapina.

EXERCITATIO.

1. Cum sit utilis ad instituendum lectio, et adhibita collatione majorem intelligentiam præbeat, melius est conferre, quam legere: collatio docibilitatem facit. Nam propositis interrogationibus cunctarum rerum, error excluditur, et sæpe objectionibus latens veritas aperitur. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

2. Sæpè illa, quæ in publico non valemus, necessario quendam prius in secreto exercitationis usum exposcunt, quia si ea prorsus in occulto negligimus, uti postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus. *Hugo de inst. novi.*

3. Constat omnem operam si longa intercapedine quiescat, ægre resumi. Quis enim ignoret cunctis aut artificibus, aut artibus maximum decus usuvenire: cumque studia consueta non frequentantur, brachia in corporibus, ingenia pigrescere in artibus? *Cass. lib. 9. epist.*

4. Ægrescit profecto ingenium, nisi vigilatione reparetur: cito expediuntur horrea, quæ assidua non fuerint adjectione suffulta: thesaurus ipse, quam facile profunditur, si nullis iterum pecuniis completur: sic humanus sensus cum alieno non sarcitur, id est, restauratur invento, cito potest attenuari de proprio. *Cass. lib. 4 epist.*

5. Omnes artes, omniaque opera quotidiano usu et jugi exercitatione proficiunt. Quod si in parvis verum est, quanto magis decet in maximis custodiri? *Veg. de re. mil. lib. 2.*

6. Exercitatio est assiduus usus, et consuetudo. *Tull. 2. Rhet.*

7. * Vita humana proprie uti ferrum est: ferrum si exerceas, conteritur, si non exerceas, tamen rubigo interficit: item homines exercendo conteri: si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti affert, quam exercitatio. *Gel. lib. 2.*

8. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas. *Senec. 25. epist.*

9. Diligentia, cujuslibet operis obtusitas permollitur: sic prudentia sine justitia parum vel nihil prodest: justitia vero sine prudentia multum: sic sine usu scientia parum: usus autem cum scientia multum. *Boët. de disciplin. schol.*

10. Constantia parit, inconstantia parta dissolvit. *Ibidem.*

11. Scintillula difficilis veritatis facilius in disserendo reperitur, quam si studio observantiæ per multum tempus committeretur, juxta illud Aristotelis. Bona opinio facit videre verum. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 15, 16, 23, 26, 30, 36. in tit. Discretio, núm. 1. in tit. Doctrina, núm. 26. in tit. Juventus, núm. 3. in tit. Studium, núm. 7, 9.

EXCOMMUNICATIO.

1. Nos à communione quemquam prohibere non possumus, quamvis prohibitio hæc nondum sit mortalis, sed medicinalis: nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque commotum. *Aug. in serm. 41.*

2. Fit ut ipsa ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluptatibus et non pro subjectorum moribus exercet. *Greg. in hom.*

3. * Sententia excommunicationis pastoris, sive justa sive injusta metuenda est. *Greg. in re.*

4. * Si quis illicite quempiam excommunicat, seipsum, non illum excommunicat. *Ibidem.*

5. Interdum fit, ut aliquis non recto judicio eorum, qui præsunt ecclesiæ, depellatur, et foras mittatur: sed non exit ante: hoc est, si non ita egerit, ut meretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto ju-

dicio ab hominibus videtur expulsus, et ita fit, ut interdum ille qui foras mittitur, intus sit, et ille foris sit, qui intus retineri videtur. *Orig. super Levi. ho. 48.*

Vide etiam in tit. Ecclesia, núm. 1.

EXCUSATIO, SIVE DEFENSIO.

1. Coepisti non defendere peccatum tuum, jam inchoasti justitiam: perficietur autem in te, quando nihil aliud facere delectabit. *Aug. de Car. serm. 4.*

2. Desunt esse peccata, quæ propter graviora vitanda suscipiuntur. Sicut enim in rebus utilibus non vocatur damnum, quod propter majus lucrum admittitur, ne gravius admittatur. *Aug. in quodam serm.*

3. Absit, ut id, quod præter bonum ac licitum facimus, si ex hoc præter nostram voluntatem quicquam mali exciderit, nobis imputetur. *Aug. in epist. ad Publ.*

4. Non alligamus onera gravia, et humeris vestris imponimus, quæ nos, digito non tangamus: quoniam si officii nostri salva ratione possemus, novit ille, qui nostra scrutatur corda: mallemus hæc agere, quæ ut agatis, hortamur, quam ea, quæ vos agere cogimus. *Aug. de opere Mon.*

5. Nulla est peccati excusatio, si amici causa peccaveris. *Aug. de Amic. c. 7.*

6. Multitudo sociorum, impunitatem non facit criminum. *Hier. in quadam epist.*

7. Superest ut diligas diligentem: et in scripturarum campo juvenis senem non provocet: nos nostra habuimus tempora, et cucurrimus quantum potuimus, nunc decurrente: et longa spatia transeunte nobis debetur otium. *Hier. in epist. ad Aug.*

8. Non enim adversariis, sed ut amicis scripsimus: nec invecti sumus in eos, qui peccant, sed ne peccent, monemus: neque in illis tantum, sed in nosmetipsos severi judices sumus. Nullum læsimus, nullius nomen de mea scriptura vel sermone signatum est, neminem sermo noster specialiter pulsavit, generalis de vitiis disputatio fuit: sed qui mihi irasci voluerit, plus ipse de se, quod talis sit confitetur. *Hier. in epist. ad Nepot.*

9. Non est facile malum de perfecta ætate credendum: quam vita præterita defendit, et honorat vocabulum dignitatis. *Hier. in epist. ad Rust.*

10. Usitatum generis humani vitium est, libendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendendo excusare. *Greg. lib. 22. moral.*

11. Fit plerumque, ut dum iniqui correcta in se mala defendere nequeant, ex verecundia pejores fiant: et sic in sua defensione superbiant, ut quædam vitia contra vitam corripientis exquirant, et eo se criminosos non existiment si crimina aliis imponant: qui cum vera invenire nequeunt, fingunt, ut ipsi quoque habeant, quod non impari justitia increpare videntur. *Greg. 10. moral.*

12. Peccatum peccato addit, qui culpæ quam fecit, patrocinia defensionis adjungit. *Greg. 22. moral.*

13. Quidam discere nonnunquam solent: concessis utimur, aliena non quærimus, et si digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen perversa perpetramus: quum tamen divitem post hanc vitam ultrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se illicitis tradidit. *Greg. in pastor.*

14. Noli judicare proximum, sed magis excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta surreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus tibi et dicito apud temetipsum: Vehemens fuit tentatio: quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? *Bern. in Cant. serm. 11.*

15. In quacumque hominum verseris frequentia, cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex, et si perpetratum actumve quid deprehendes, nec sic judices proximum, magis autem excusa. *Bern. de 12. grad. hom.*

16. Ad hoc, ut verum fatear, ea mihi deesse video, quæ maxime necessaria videntur, diligentiam et ingenium: quia nec doctis, nec indoctis pariter istiusmodi excusandi mos est, nec facile scitur, qui vel experientia, qui vel ex verecundia mos prodeat, si injuncti operis expeditio non probat. *Bern. de diligendo Deo in prine.*

17. Excusatio perfecta, testimonium conscientiæ suæ. *Bern. de consid. lib.* 2.

18. Quamvis vera sint, credenda non sunt, nisi quæ certis judiciis comprobantur, nisi quæ manifesto examine convincuntur, nisi quæ ordine judiciario publicantur. Non enim qui accusatur, sed qui convincitur, reus est. *Isid. lib. 1. solit.*

19. Superbus vult se credi constantem, prodigus liberalem, avarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, ignavus quietum, timidus cautum. *Isid. de vita contempl. l.* 4.

20. Hoc enim maximum vitium est, quo laborat humanitas, ut post peccatum suum maxime ad excusationis confugium, quasi pœnitudinis se confessione prosternat, quod facinus inter summa peccata constat numeratum esse, quia inde nacitur, unde ad pœnitentiam reus tardius venire videatur. *Cass. super illud Psalm. ad excusandas excusationes in peccatis.*

21. Sine summo scelere non potes, quod maleficium in aliis vindicaris, idem in aliorum socio, cum scires defendere. *Tull. pro Scill.*

22. Nemo se avarum intelligit esse, nemo cupidum: cæci tamen ducem quærunt: nos sine duce erramus: dicimus, non ego ambitiosus sum, sed nemo Romæ aliter potest vivere. Non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium quod iracundus sum, adolescentia hoc facit. Qui quidem nos decipimus, non est intrinsecus malum nostrum, intra nos est, in visceribus ipsis sedet, et ideo difficulter ad sanitatem venimus, quia nos ægrotare nescimus. *Senec. 60. epist.*

23. Intellige tua esse vitia, quæ pulas rerum. Quædam enim locis et temporibus ascribimus, at illa quocumque transierimus, secutura sunt. *Senec. ibid.*

24. Nullum putaveris locum sine teste excusatorem quærere. Vitium est, non posse prætenditur, sed nolle in causa est. Emitte excusationem, nemo peccat invitus, omne peccatum voluntarium est. *Senec. in proverb.*

25. Puerum ætas excusat, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas: amicus est scilicet qui offendit: fecit quod noluit: inimicus fecit, quod debuit, prudentiori remittamus. *Senec. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Abusio, núm. 1. in tit. Acedia, núm. 1. in tit. Amicitia, núm. 48, 49. in tit. Apostoli, núm. 7. in tit. Confessio, núm. 29. in tit. Correctio, núm. 48. in tit. Cupiditas, núm. 5. in tit. Divitiæ, núm. 22. in tit. Error, núm. 2. in tit. Fides, núm. 1. 35. in tit. Ignorantia, núm. 7. 8. in tit. Laus, núm. 7. in tit. Liberalitas, núm. 36. in tit. Prudentia, núm. 19. in tit. Venia, núm. 16. in tit. Verecundia, núm. 7.

EXEMPLUM.

1. Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, à quo attenditur, occidit. *Aug. lib. de past.*

2. Omnis qui male vivit in conspectu eorum, quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit et forte qui imitatur, moritur: qui non imitatur, vivit: tamen quantum ad illum pertinet, ambo occidunt. *Ibidem.*

3. Non tantum curemus habere bonam conscientiam, sed quantum potest nostra infirmitas, quantum vigilantia fragilitatis humanæ, curemus nihil etiam facere, quod venial in malam suspicionem infirmo fratri. *Aug. in lib. de ovibus.*

4. Est insitum bonis, ut castum pudicus, prudentem sapiens, misericors liberalem affectu pio diligat,

et virtutes suas in aliis amet. In plerisque justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus lætitia est. *Ambr. super Beati immaculati.*

5. Domus episcopi et conversatio, quasi in speculo posita magistra est publicæ disciplinæ: quicquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. *Hier. in epist. ad Hesiod.*

6. Sancta rusticitas solum sibi prodest, et quantum ædificat exemplo, et vitæ merito Ecclesiam Christi, nocet, si destruentibus non resistat. Innocens absque sermone conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latratu canum, et baculo pastorum deterrenda est rabies luporum. *Hier. in quadam epist. et est in glo. 2. Tim. 3.*

7. Volantia animalia se vicissim feriunt alis suis, quia sanctorum mentes in eo, quod superna appetunt, consideratis invicem alternis virtutibus excitantur. Ala enim sua me percussit, qui exemplo sanctitatis me ad melius accendit: et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum, quod imitetur, ostendo. *Greg. 24. moral.*

8. Qui in occulto bene vivit, sed alieno profectui minime proficit, carbo est: qui vero in imitatione sanctitatis positus, lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est: quia et sibi ardet, et aliis lucet. *Bern. super Ezech. ho. 5.*

9. Si sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. *Greg. ho. 11.*

10. Perpendo Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, et nihil in illis aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei et pœnitentiæ exempla. *Greg. in ho. 25.*

11. Sunt nonnulli, quos ad amorem patriæ cœlestis plus exempla, quam prædicamenta succendunt. *Greg. lib. 1. dialog.*

12. Plerumque contigit ut qui negligenter de se

male opinari permittant, per semetipsos nulla quidem unquam faciant, sed tamen per eos, qui se imitati fuerint, multiplicius delinquunt. *Greg. in past.*

13. Qui bona occulte faciunt, et cum quibusdam factis publice mala de se opinari permittunt, quum seipsos recte virtute vivificant, alios in se per exempla malæ æstimationis occidunt, et cum salubris vini potum sorbeant, pestiferum veneni poculum aliis infundunt. *Greg. ibid.*

14. Nemo amplius in ecclesia nocet quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplis culpa vehementius extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. *Greg. ibid.*

15. Nullum ergo consilium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri, provocans eum ad meliora, et consulens ei, neque verbo neque lingua, sed opere et veritate. *Greg. lib. 18. moral.*

16. Quum clericum videmus, admonendus est, quatenus sic vivat, ut exemplum vitæ sæcularibus præbeat, ne si quid in illo reprehenditur, ex ejus officio ipsa religionis nostræ æstimatio gravetur. *Greg. in ho. quadam super Evangel.*

17. Aliquorum exempla ad jusirandum hujus vitæ instabilitatem intuenda sunt. *Greg. 4. moral.*

18. Non tibi videtur graviorem ab eo Christus sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernitioso, scandali occasione, ab eo pervertit animas quas redemit, quam à Judæo, qui sanguinem suum fudit? *Bern. in serm.*

19. Noveris hujus trinitatis sacramentum in nullo frustratum à te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas orationum suffragio. Manent autem tria hæc, verbum, exemplum, oratio, major autem est oratio. *Bern. in epistol.*

20. Seminemus hominibus bonum exemplum per aperta opera, seminemus angelis gaudium magnum per occulta suspiria. *Bern. in serm.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

21. Sermo quidem vivus et efficax exemplum operis est, plurimum faciens suasibilem: tunc quoque intendimus, quod dicitur, dum monstratur scibile, quod suadetur. *Bern. in serm. 56.*

22. Pulcherrimus ordo est et saluberrimus, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior, et ex te discas, qualiter oporteat aliis moderari. *Bern. in epist. 75.*

23. Seminavit in terra nostra tota Trinitas, Pater scilicet de cœlo panem: Filius veritatem, Spiritus Sanctus charitatem. Seminaverunt angeli, quando aliis cadentibus ipsis steterunt: apostoli, quando ipsi domino adhæserunt: martyres vero manifestum est fortitudinem seminasse. Porrò confessores seminaverunt justitiam, quam habuerunt in omni vita sua. Virgines sanctæ planum est, quia temperantiam seminaverunt, quia sic libidinem calcaverunt. *Ibidem.*

24. Exempla bonæ vitæ à Christo, et ab ejus actibus assumere debemus. *Bern. in Can. serm. 32.*

25. Validiora sunt exempla, quam verba, et plenius opere docetur, quam voce. *Leo papa in serm. de jejun.*

26. Quantis exemplum veræ humilitatis et perfectæ charitatis ostenderis, cum tantis et pro tantis æterna præmia possidebis. *Cæsarius in admonit. secund.*

27. Benedicta à Deo illa anima, cujus humilitas confundit superbiam, cujus patientia proximi extinguit iracundiam, cujus obedientia pigritiam alterius increpat, cujus fervor inertiam alieni corporis exuscitat. *Ibidem.*

28. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, etc. hoc autem fit, quum apparet misericordia in affectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia in cohabitatione, patientia in tribulatione. *Hugo de claustro anim. l. 3.*

29. Claras enim suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt aliqua reprehensione sordescunt: alioquin expedit non videri, quam cunctorum irrisione signari: omnes ergo, qui graviorum celsa peli-

mus, vitiorum humilia deseramus, sit in nobis frons libera, ut aliorum possimus emendare peccata: æquat crimen omne quod inquinat, et ideo dissimilis ab accusato debet esse, qui judicat. *Cass. lib. 3. epist.*

30. Exemplum vitiosum est, si aut falsum est, ut reprehendatur, aut si improbum, ut non sit imitandum, aut majus, aut minus, quam res postulabit. *Tull. ibid. 2. Rhet.*

31. Exemplum est alicujus facti vel dicti preteriti cum certi auctoris nomine propositio. *Tull. ibid.*

32. Quis imperator ob hoc ipso de prælio fugit, ut bene pugnaret exercitus? Non coërcet vilia quis sed provocat. *Senec. lib. 2. Rhet. sua.*

33. Prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, et habere quem respicias: hoc quidem longe magnificentius sic vivere, tanquam sub alicujus boni viri ac semper præsentis oculis: cum jam profeceris tantum, ut sit tibi etiam tui reverentia, et donec te eum feceris, cum quo peccare non audeas. *Senec. 25. epis.*

34. Id agamus, ut meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non ut contrariam: alioquin, quos emendare volumus, fugamus à nobis et avertimus: illud quoque efficimus, ut nihil imitari velint nostri, dum timent, nec imitanda sint omnia. Hoc primum Philosophia promittit, secundum omnem humanitatem et congregationem, à qua professione dissimilitudo nos separabit. Videamus ne ista, per quæ admirationem parere volumus, ridiculosa et odiosa sint. *Sen. 15. ep.*

35. Dignus tibi sit, coram te peccare pudeat: discipulus est prioris posterior dies. Ex vitio alterius sapiens emendat suum: optimum est majorum sequi vestigia, si recte præcesserint. *Senec. in prov.*

36. Si bene egeris, ipse tibi personæ auctoritatem dabis. Viri boni est, scire pati, nec facere injuriam. Auctor malus bonam rem turpem facit. *Idem de sententiis oratoris.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 6. in tit. Apostoli, núm. 21. in tit. Beatitudo, núm. 20. in tit. Clericus, núm. 1. in tit. Consuetudo, núm. 24. in tit.

Conversatio, núm. 15, 40. in tit. Correctio, núm. 25. 66. in tit. Detractio, núm. 17, 19. in tit. Doctrina, núm. 7. 8, 27, 28. in tit. Electio, Hæresis, núm. 2. in tit. Laus, núm. 30. in tit. Malitia, núm. 9. in tit. Nocumentum, núm. 5. in tit. Peccatum, núm. 34. in tit. Periculum, núm. 1. in tit Prædicatio, núm. 1, 7. in tit. Prælatio, núm. 36. Sacerdos, núm. 21, 22.

FABULA.

1. Apud auctores sæcularium literarum ut apud Horatium, mus loquitur muri, et mustela vulpeculæ, ut per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax referatur significatio. Unde et Æsopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia: hæc et in sacris libris, ut in libro Judicum, quum ligna sibi regem fecerunt, et loquuntur ad ficum et ad vitem, quod totum fingitur: ficta quidem narratione, sed veraci significatione hæc dicuntur. *Aug. in lib. contra mendacium circa medium.*

2. Fabula etsi vim veritatis non habeat, tamen rationem habet, ut juxta eam possit veritas manifestari. Referunt, inquit, sæculares, virum quemdam fuisse, ut quoties beneficio virium suarum destitutus, amicam et nutricem terram impulsu adversarii contigisset, de solo surgens magis in adversarium prævaleret, et sic occasio prostrati, occasio fiebat triumphi. Dabat infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Cui hæc conveniunt, nisi Christo, qui ad hoc cecidit, ut gloriosior resurgeret? *Ambr. lib. 3. de Offic.*

3. Fabulæ à fando dictæ: quia non sunt res factæ, sed tantummodo loquendo dictæ, quæ ideo sunt inductæ, ut ficto animalium mutorum inter se colloquio, imago quædam vitæ hominum nasceretur. Sicut mus loquitur muri, mustella vulpeculæ, et in libro Judicum, lingua sibi regem requirunt. Quod totum ad mores ordinatur, ut ad rem, quæ intenditur, ficta quidem narratione, sed veraci significatione perveniatur. Sic enim Demosthenes usus est fabula adversus Philippum: qui ab Atheniensibus postulavit decem oratores, et ille finxit fabulam: Lupi suaserunt pastoribus, ut in amicitiam convenirent, cumque hoc pastoribus placuisset, petierunt lupi, ut primo sibi vice securitatis canes traderent, in quibus videbatur occasio jurgiorum: annuerunt pastores: et tunc lupi omni adempta formidine, omnem gregem non solum pro saccietate, sed etiam pro libidine laceraverunt. Sic, inquit, Philosophus, sublatis oratoribus in populo Atheniensium facturus est. Oratores populi postulat, quo facilius possit opprimere spoliatam custodibus urbem. *Isid. lib. 2. etym.*

4. Æsopus, qui merito sapiens æstimatus est, utilia monita sua non severe, neque imperiose præcepit: sed, ut philosophis mos erat, salubriter ad perspiciendum mentes animasque hominum causa audiendi quadam illecebra induxit. *Gell. lib. 2.*

5. Apulejus Aulus de Deo Socratis introducit fabulam Æsopi, de corvo tenente carnem in ore, cui dum duxisset vulpecula, quod cygno melius cantabat, et volens cantare amissit carnem de ore, ac polius crocitavit, quam cantavit, et sic suam defectionem publicavit: quod multis accidit, qui volunt se magnificare, et ultra mensuram virium suarum ostentare. *Ibidem.*

6. In superficiali lyræ cortice, falsum resonat fabula. Lyra enim fabula poëtica, interius vero auditoribus intelligentiæ secretum altioris eloquitur, ut exterioris falsitatis abjecto putamine, dulciorem nucleum veritatis secrete intus lector inveniat. *Alan. de complanctu naturæ.*

7. Fabulas existimo necesarias, non ex eadem causa qua poëtis, sed ut imbecillitatis nostræ adminicula sint, et ut dicentem et audientem in rem præsentem adducant. *Incertus auctor.*

Vide etiam in tit. Doctrina, núm. 1, 10. in tit. Mendacium, núm. 4.

FAMA.

1. Cavete omnes suspiciones, et quicquid probabiliter fingi potest seu dici, ne fingatur, ante de vita. *Aug. lib. de conf.*

2. Sic doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam. *Aug. de doct. Christiana.*

3. Duo sunt tibi necessaria: scilicet conscientia et fama: conscientia propter te, fama propter proximum. Qui conscientiæ suæ confidens famam negligit, crudelis est. *Aug. lib. de communi serm. cler.*

4. Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus, nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri sacerdotis non commendatur. *Hier. super ill. Matth. 4. Abiit opinio ejus.*

5. Fama virtutem reddit illustriorem, tametsi non majorem. *Bern. in Cant. serm. 17.*

6. Inclyti animi signum est, famæ diligere commodum, et lucra causarum, nam qui affectat famæ commoda, pecuniæ negligit augmenta. *Cassio. lib. 1. epist.*

7. Regnantis facultas tunc fit ditior, quum remittit, et acquirit thesauros famæ, neglecta utilitate pecuniæ. *Cass. ibid.*

8. Nemo futurum putat diligentem, quem in ipsa novitate operationi suæ non videt esse custodem. Providus institutor hortum suum fœcundis nititur ornare plantariis, ut reddant fructus optatos, quæ sollicitis fuerant exculta laboribus. *Ibidem.*

9. Ubique cognoscitur, quisquis fama teste laudatur, dùm enim copiâ plurimum solet habere fastidium, bonum nomen repetitum semper efficitur gloriosum. *Cass. lib. 2. epist.*

10. Melius est de perpetua vita, quam de fama cogitare, nostra enim post mortem non opuscula, sed opera sunt pensanda, quia si aliquid agimus, nostrum est: siquid habemus, alienum est. *Ibidem.*

11. Quidam laudes hominum vilipendunt, et in hoc sunt laudabiles: quidam omni tempore venantur famam sæculi, et omni tempore sunt infames: quidam apud alios venerabiles, apud se vilescunt: quidam plus se de linguæ adulatrici, quam conscientiæ suæ credunt. *Pet. Rav. in quadam epist.*

12. Veræ famæ hæc est gloriosa propietas, ut appetitores sui contemnat, appetat contemptores; famam fugiendo consequitur, quam perderet in consequendo. *Alan. de complanctis naturæ.*

13. Plures sæpe magnum nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt, quo quid turpius potest excogitari? *Boët. 3. de consolatione.*

14. Templum Dianæ Ephesinæ decus adeo magnificum, quod Xerxes, cum omnia Asiatica templa igni daret, huic uni pepercit. Sed hæc Xerxis clementia sacras ædes non diu à malo vendicavit: nam Herostratus, ut nomen memoriæ sceleris extenderet, incendium fabricæ nobilis, manu sua struxit. Requisitus cur hoc fecisset, respondit, Voto adipiscendæ famæ latioris. *Solinus de mirabilibus mundi et situ terrar.*

15. Parem te Deo fama non faciet in populos dimissa vel diffusa notitia, nemo novit Deum: multi male de illo existimant et impune. *Senec. 31. epist.*

16. Male de te opinantur homines: bene autem loqui nesciunt: faciunt non quod merearis, sed quod solent ipsi homines de malis loqui, molestum si quid mentiuntur; sic in merito minimæ innocentiæ nunc maxime gaudeo. Apparet enim illos vera objecturos, si possent. *Senec. lib. de moribus.*

17. Male autem de te opinantur homines, sed mali. Moverer, si de me Marius, si Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si Scipiones duo, ista loquerentur, movèrer si hoc judicio facerent, quod nunc morbo faciunt. *Senec. de remediis for.*

18. Bona opinio hominum tutior est pecunia. Bonum quod est, supprimitur, nequaquam extinguitur: bona fama in tenebris proprium splendorem tenet. *Ibidem.*

19. Damnum appellandum est, quum mala fama lustratur. Honestus rumor alterum est patrimonium.

Vis omnibus esse notus? prius effice, ut neminem noveris. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Conscientia, Conversatio, núm. 4. 5. in tit. Correctio, núm. 2, 21. in tit. Detractio. Discere, núm. 18. in tit. Exemplum, núm. 16. in tit. Gloria vana, núm. 21. in tit. Hæresis, núm. 2, 6. in tit. Prælatio, núm. 3, 10. in tit. Sacerdos, núm. 1, 10.

FAVOR.

1. Qui pro virtute, quam egit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. *Greg. lib. 8. moral.*

2. Valde perfectorum est, ostenso opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude, privata nesciant exultatione gaudere. *Greg. ibid.*

3. Non possumus simul pro uno et eodem opere favorem mundi expetere, et præmium vitæ cœlestis acquirere. *Maximus Episc. in quodam serm.*

4. Vehementer amor multitudinis movetur ipsa fama, et opinione liberalitatis, beneficentiæ, fidei, justitiæ, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim idipsum quod honestum decorumque dicimus, animos omnium natura et specie sua commovet. *Tull. in lib. de Offic.*

5. Nunquam volui placere populo, nam quæ ego scio, non probat populus: quod probat populus, ego nescio. Quis enim placere potest, cui non placet virtus? Malis artibus popularis favor acquiritur. Similem te illis facias oportet, alioquin non probabunt, nisi agnoverint. *Senec. 28. epist.*

6. Multo autem magis ad rem pertinet qualis tibi videaris, quam qualis aliis. Si te intrante clamor et plausus obstrepuerint, si fœminæ puerique laudaverint, quidni ego tui miserear cum sciam, quæ via ad istum favorem ducit? *Senec. ibid.*

7. Nunquam multis placeas, sed quamlibet stude. Maximum in eo vitium est, qui non vult melioribus placere, sed pluribus. *Senec. in epist.*

Vide etiam in tit. Adulatio et Covitium, núm. 11. in tit. Eloquentia, núm. 19. in tit. Exactio, núm. 3. in tit. Fraus, núm. 3, 4. in tit. Hospitalitas, núm. 9. in tit. Hypocrisis, núm. 3, 4. in tit. Laus, núm. 9, 12, 14, 16, 17. in tit. Prædicatio, núm. 8, 10. in tit. Veritas, núm. 11.

FIDES, SIVE FIDELITAS.

1. Fides appellata est ab eo, quod fit: duæ syllabæ sonant, quum dicitur fides, prima syllaba est à facto, secunda à Deo. Interrogo te ergo, utrum credas? dicis credo: fac quod dicis, et fides est. *Aug. in serm. 12.*

2. Mentis humanæ acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei emendetur. *Aug. 1. de Trinit.*

3. Fides electorum aut nunquam deficit, aut statim reparatur. *Aug. de Correp. et grat.*

4. Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major est substantia, quam est fides catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, cathecumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas et conjugales casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, in æterna hæreditate cum sanctis Angelis collocat. *Aug. de verb. Dom.*

5. Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti, sed fidei. *Aug. in lib. de ovib.*

6. Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. Qui autem non credunt, pejores sunt, quam dæmones, et tardiores. *Aug. 10. de charitate.*

7. Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species, et tamen quicquid est in arbore pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit: sic ex fidei humilitate quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit. *Aug. super Joan.*

8. Quid est fides, nisi credere quod non vides? Unde et quomodo capitur Trinitas, recte, ò homo, interrogas, quomodo creditur, non bene interrogas: imo ideo bene creditur, quia cito non capitur, nam si cito caperetur, non esset opus ut crederetur, quia videretur. *Ibidem.*

9. Noli intelligere ut credas, sed crede ut intelligas; intellectus merces fidei est. *Ibidem.*

10. Quod oportet, lex minando imperàt: quod fidei, lex credendo impetrat. *Aug. de spirit. et lit.*

11. O thesauris omnibus opulentior fides! ò virtutibus corporeis omnibus fides fortior, medicis omnibus salvatior! *Ambr. lib. de virg.*

12. Aufer argumenta, ubi fides quæritur, in ipsis gymnasiis suis jam Dialectica taceat, piscatoribus creditur, non Dialecticis. *Ambr. de Trinit.*

13. Quid tibi fideles esse putas? quod aut pecuniæ oblatione, aut blanda locutione tibi æstimas obligatos? *Ambr. lib. 2. de offic.*

14. Cito fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit: assuetum autem bello virum hesterna fraus instruit, et gloriosæ provehit palma victoriæ. Pax ergo fidei corruptelæ materia est. *Ambr. super Beati immaculati.*

15. Divina operatio si ratione comprehenditur non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *Greg. hom. 26. super Evang.*

16. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. *Greg. ho. 26.*

17. Quid non invenit fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immania, apprehendit novissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumdedit. *Bern. super Cant.*

18. In his quæ fidei sunt omnino cavenda est confusio: ne aut incertum opinionis fides fingat: aut quod firmum fixumque est fidei, opinio revocet in quæstionem. Opinio enim si habeat assertionem, temeraria est, fides si habet hæsitationem, infirma est. Intellectus si signa fidei tentet irrumpere, reputatur effractor, scrutator majestatis. *Bern. lib. de consid.*

19. Fides aliquando recipit, quod ratio non præsumit: qualis sit cujusque fides tribulatio probat. *Bern. de 12. gradi. humilitat.*

20. Sola fides, et mentis ad Deum conversio sine effusione sanguinis, et sine perfusione aquæ salutem sine dubio operatur volenti, sed non valenti, prohibente articulo baptizari. *Bern. in epist.*

21. Dicamus fidem vitem, virtutes palmites, bonorum opus, devotionem vinum. *Bern. super Cant.*

22. Transgreditur enim fides fines rationis humanæ, naturæ usum, experientiæ terminos. *Bern. ser. 67.*

23. Non fidei sed perfidiæ, non confidentiæ sed diffidentiæ est, in semetipso habere fiduciam. *Bern. serm. 12.*

24. Is fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se speral, factus sibi tanquam vas perditum: sed sic perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. *Bern. ibid.*

25. Qui fidelis fuerit in umbra memoriæ lucem præsentiæ sine dubio obtinebit. *Chrys. in quodam serm.*

26. Rei quæ videtur, facilis est fides, ejus autem quod nondum accepit principium, non facilis suscipitur credulitas. *Chrys. super Matth. c. 1.*

27. Quam magna magnorum fides est! non dicentes, si magnus est Puer hic quæ necessitas fugæ est, et occultæ recessionis? Hoc enim est veræ fidei, non quærere causas eorum, quæ verè præcipiuntur, sed suaderi solum ab eis. *Chrys. super Matth. c. 2.*

28. Lapis quidem durus est, sed quum factum fuerit de eo opus, desistere nescit, sic et gentiles cum difficultate credunt, et tamen credentes in æternum permanent in fide. *Chrys. super illud Matth. 3. Potens est dominus de lapid. istis.*

29. Sicut semper discere signum est nunquam pos-

se perficere, sic testimonium semper quærere, signum est nunquam velle credere. *Chrys. super illud Matth. 12. Volumus á te signum videre.*

30. Una est veritas, et non partita; et sicut qui margaritam habet, ipse novit quantum dives est, et tamen multis potest esse non cognitus: ita et qui fidei veritatem detinent, noscunt quod divites sunt, infideles autem thesaurum nescientes hunc, divitias nostras ignorant. *Chrys. super illud Matth. 13. Inventa una pretiosa.*

31. Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ: quia quantumcumque pluviam susceperit non fructificat. *Chrys. ibid.*

32. Talis est natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur. Virtus fidei, in periculis secura est, in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic laxat vigorem fidei, sicut longa tranquilitas? *Chrys. super illud Matth. 20. At illi magis clamabant.*

33. Fides religionis catholicæ, lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. *Chrys. super symbol.*

34. Fides lampas est, quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam. *Chrys. super Matth. 21.*

35. Ecce quid à te requirat immensa illa pietas, quod facile possit implere nuda paupertas, despecta mediocritas, indocta simplicitas, non permultas distraharis ambages, ne duris difficultatibus occupandis involvaris. Quod à te et pro te reposcitur, intra te est, id est, oris famulatus, et cordis affectus, secundum illud: *corde creditur, etc.* In anima ergo tua reposuit omnia animæ tuæ præsidia Deus tuus: ut unde peccatum egreditur, inde et peccati medicina peteretur. *Chrys. ibid.*

36. Fides est voluntaria certitudo absentium supra opinionem, et infra scientiam constituta. *Hugo.*

37. Utinam attenderent Judæi, utinam attenderent Pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad divinum judicium poterimus accedere. Nonne cum omni fiducia Deo dicere poterimus, Domine,

si error est, à teipso decepti sumus? Nam ista tantis signis, et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ nonnisi per te, fieri possunt, et certe à summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, cum summa et authentica attestatione probata, te ipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Ricard. lib. 1. de Trinit.*

38. Tantum crescit calor fidei, quantum subtractum fuerit de flamma corporali. *Cass. super ill. Psal. Quia factus sum sicut uter in pruina.*

39. Totum in se habet homo, qui se habet: ipse autem se habet, qui Deum habet. Deum vero habet, qui eum credit, et confitetur auctorem. *Pet. Rav. in quodam serm.*

40. Fides est perceptio veritatis rerum, cum assertione, sine causarum cognitione. *Tull. lib. 2. Rhet.*

41. Fides sanctissimum humani pectoris bonum est: nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Ure, inquit, cæde, occide, non perdam: sed quo magis secreta dolor quæret, hæc illa altius condet.

42. Malo mihi successum deesse, quam fidem, etiam hosti est æquus, qui habet in consilio, fidem. Fidem qui perdit, nil potest ultra perdere. Fides unanima unde abiit, nunquam rediit. Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet. *Senec. in prov.*

43. Viri boni est etiam non pollicitam fidem servari maximum majoribus nostris telum, fidem fuisse, ex quo plures pace susceptæ, quam bello gentes fuerint deviclæ, noscens fil, ubi succumbit fides, sive veritas. *Cato.*

Vide etiam in tit. Charitas, núm. 27. in tit. Doctrina, núm. 27. in tit. Eleemosyna, núm. 50. in tit. Eucharistia, núm. 2. in tit. Gloria æterna, núm. 41. in tit. Hæresis, núm. 5. in tit. Lex, núm. 1. in tit. Prædicatio, núm. 2, 5. in tit. Resurrectio, núm. 14. in tit. Salus, núm. 4. in tit. Scriptura, núm. 12. in tit. Spes, núm. 1, 4, 15. in tit. Suspicio, núm. 4.

FORTITUDO.

1. Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsulte timet. *Aug. in epist. ad Hier.*

2. Nemo est, qui non magis dolorem fugiat, quam affectat voluptatem, quando quidem videmus immanissimas bestias á maximis voluptatibus exterreri dolorum metu, contra quæ firmiter stat fortis. *August. lib. 83. quæst.*

3. * Fortitudo atque constantia, via regia est, á qua declinat ad dexteram qui temerarius est et pertinax: ad sinistram qui formidolosus est et timidus. *Aug. in Orig. super Isa.*

4. * Hæc est vera fortitudo, quæ naturæ usum, sexus infirmitatem, mentis devotione transgreditur. *Aug. de vid.*

5. Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, et justitiam custodit: quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, ut avaritiam fugiat, tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat. *Ambr. lib. 1. de offi.*

6. *Stultus, ut luna mutatur.* Sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Ubi enim sapientia, ubi virtus est, ibi constantia et fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec ut parvulus fluctuat, ut circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo fundatus charitate, radicatus fide. *Ambr. in epist. ad Simplic.*

7. In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo, ut exteriora corporis pro minimis habeat, et quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat: secundo, ut ea, quæ summa sunt, omnesque res, in quibus est honestas, præclara animi intentione usque ad efectum prosequatur. *Ambros. lib. 1. de Offi.*

8. Justi et fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari: sed in utroque esse moderatus. *Hier. super Joel.*

9. Fortitudo corporis est imbecillitas animæ, et rursum imbecillitas corporis, est fortitudo animæ. *Hier. super Amos lib. 2.*

10. Per bonam et malam famam á dextris et sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, nec divitiis tumet, nec confunditur paupertate, et læta contemnit, et tristia. *Hieron. in epist.*

11. Fortitudo atque constantia via regia est, á qua declinat ad dexteram, qui temerarius est et pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est et pavidus. *Hier. in Orig. super Isaiam.*

12. Tanto enim unusquisque ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat: nam minus in se convaluit, quem iniquitas aliena sternit, qui in eo conferre contrarietatem non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus jacet. *Greg. lib. 3. moral.*

13. Fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur: quia quo plus se posse conspicit, eò virtus, sine moderamine rationis deterius in præceps ruit. *Greg. ibid.*

14. Fortitudo justorum est, carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. *Greg. l. 8. moral.*

15. Reproborum fortitudo est transitoria sine cessatione diligere: contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium, nec ex adversitate quiescere, ad inanem gloriam etiam vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semelipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine ullo desiderii defectu perpetrare. *Ibidem.*

16. Nonnunquam culpa fortium occasio virtutis fit, et virtus infirmorum occasio peccati. Sicut influente aqua paulatim consumitur terra, sic leviter surrepente vitio, mens etiam fortis absorbetur. *Greg. ibid.*

17. Fortes facti sunt sancti: carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cœlestia appetunt, occidi possunt, flecti autem nequeunt: nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi unquam à veritate conticescunt. *Greg. in quadam hom.*

18. Bonus circuitus est, si justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet, ut sit justitia in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in efectu, temperantia in usu. *Bern. in lib. de consider.*

19. * Non est vir fortis cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. *Bern. in epist.*

20. Sicut continens vita, labor, perseverantia, et agonum certamina faciunt unumquemque virum virtutis appellari: sic econtrario, vita remissa, negligens, et ignara, facit virum ignavum judicari. *Orig. super lib. Numer. com. 25.*

21. Vir vocatur á viribus, qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se jactare: sed animo stabili defixus, et cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus. *Cass. super Psalm. 1. Beatus vir.*

22. * Viri fortes semper in pace modesti sunt: et justitiam nimis diligunt, qui frequenter pericula tractaverunt. *Cass. lib. epist.*

23. * Fortitudo si nulla necessitate cogente, aut non pro causa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertitur. *Lact. c. 46.*

24. * Fortitudo est virtus pugnans pro æquitate. *Tull. 1. offic.*

25. * Fortes et magnanimi habendi sunt, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam. *Ibidem.*

26. * Est viri quidem fortis ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse pœniteat. *Ibidem.*

27. Fortitudo, cum ad aspera ineunda pronum faciat, potius communem utilitatem quam sua commoda attendit. Sicut enim scientia remota justitia, calliditas potius, quam sapientia appellanda est: sic animus ad periculum paratus, si sua cupiditate, non communi utilitate impellitur, temeritatis potius nomen habet, quam fortitudinis. *Tull. in Rhet.*

28. Fortitudo est immobilis inter adversa, gloriosa animi clariludo, res arduas pulchre administrans, quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur. *Tull. ibid.*

29. Constantia est inter fluctuantes causas et personas, nulla mentis conculi trepidatione. *Ibidem.*

30. Fortis et compositus animus est, qui nec ablatum quicquam sibi sentit, nec abjectum: sed in eodem habitu stat, quocumque res caduut sive geruntur: vulgaria bona supra res suas eminent: sine aliquid ex istis, vel omnia, casus excusserit, minor non fit. *Sen. 67. epist.*

31. Quæris an omne bonum optabile sit. Si bonum est, inquis, fortiter torqueri et magno animo uti, et patienter ægrotare, sequitur, ut ista optabilia sint, distingue. Tormenta à me abesse vellem, sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honeste, animose geram, optabo. Velim non incidere in bellum. Sed si incido, et vulnera et famem, et omnia quæ bellorum necessitas adfert, generose feram, optabo. Itaque non incommoda optabilia sunt: sed virtus, qua perferuntur incommoda. Non pati tormenta optabile est, sed fortiter pati. *Senec. 68. epist.*

32. Quemadmodum hostis est perniciosior fugientibus: sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti et adverso. Parata tibi est pax, si in aliquo certamine debellata fortuna est: corpus convaletudo tenet, non animum. *Senec. 79. epist.*

33. Fortes quidam, et paratissimi fundere sanguinem suum, alienum videre non possunt. Alii gladium facilius recipiunt quam vident. *Senec. 57. epist.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 11. in. tit. Con-

silium, núm. 9. in tit. Devotio, núm. 4. in tit. Instabilitas, núm. 4. in tit. Magnanimitas, Mors, num. 3, 17. in tit. Perseverantia, núm. 6. in tit. Prudentia, núm. 13, 23. in tit. Sapientia, núm. 1, 23. in tit. Timor et Tribulatio, núm. 12, 23. in tit. Virtus, núm. 1, 5.

FRATERNITAS.

1. Vera fraternitas est, quæ fratrem veneratur devotum, corripit disolutum: quæ præsenti obsequitur, absentem non rodit, sano applaudit, infirmum non deserit, placatum non provocat, iratum ut majorem metuit. *Rab. super Matth. ul. cap.*

2. Hæc est vera fraternitas, quæ nullis unquam casibus scinditur, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed nec mors quidem ipsa divellit. *In collationibus patrum et est abbatis Joseph.*

3. Hæc est vera indirupta fraternitas, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concrescit: cujus semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum. *Ibid.*

4. Nihil prodest, si moribus ac proposito dissidentes, una habitatione jungantur. Nec obest parili virtute fundatis, per locorum intervalla disjungi. Apud Deum namque morum cohabitatio, non locorum unitas fratres habitatione conjungit, nec potest unquam pacis integritas custodiri, ubi voluntatum diversitas invenitur. *Ibidem.*

5. Hujus primum fundamentum est, substantiam mundialem in contemptu habere, injustum enim atque impium est, si post abrenuntiatam mundi et omnium, quæ in eo sunt, unitatem: pretiosissimæ dilectioni fratris supellex vilissima, quæ superfluit, præferatur. Secundum est, ut unusquisque ita suas resecet voluntates, ne se sapientem atque consultum esse judicans, suis malit, quam fratris diffinitionibus obedire. Tertium est, ut sciat omnia etiam, quæ utilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis et pa-

cis. Quartum est, ut credat nec justis nec injustis de causis penitus irascendum. Quintum, ut adversus se iracundiam fratris etiam sine ratione conceptam, eo modo quo suam curare desideret, sciens æqualiter sibi pernitiosam alterius esse tristitiam, ac si adversus alium ipse moveatur, nisi eam, quantum in se est, de fratris etiam mente depulerit. *Ibidem.*

6. * Fratris egestati impendendum quicquid ultra vitæ necessitatem habemus. *Basil. in sum. mor.*

Vide etiam in tit. Exemplum, núm. 15. in tit. Humilitas, núm. 9, 10, 32. in tit. Obedientia, núm. 16, 17. in tit. Pax, núm. 25. in tit. Societas.

FRAUS ET DOLUS.

1. Fallacia est, per quam moribus deceptoriis veritas palliata, vel odium alterius vel proprium commodum intendit. *Aug. de diffin.*

2. Venena non dantur, nisi melle circumlita, et vitia non decipiunt, nisi sub specie, umbraque virtutum. *Ambro. in lib. de vir.*

3. Sciendum quoque est, quod tribus modis fraus ipsa committitur, quia per hanc proculdubio, aut tacita cordis humani gratia, aut fervoris avaritia, aut res quælibet exterior desideratur. *Greg. 9. moral.*

4. Solus in Dei opere fraudem non facit, qui quum ad studia bonæ actionis invigila, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani judicii gratiam anhelat. *Greg. ibid.*

5. Dolosus adversarius ferire simul nititur, et apertè sæviens, et insidiose latens, ut dum occulto sagitta metuitur, minus ante faciem hasta timeatur: vel dum ante faciem hastæ resistitur, nequaquam ex occulto veniens sagitta videatur. *Greg. in moral.*

6. Verba instituta sunt propterea ut non se invicem homines fallant, sed ut ad alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat: verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. *Ibidem.*

7. Diuturna fraudatio, tædiorum est nutrix, suspicionum fomes, impatientiæ fax, noverca amoris, desperationis mater. *Bern. super Cant.*

8. Facilior cautio est, ubi manifesta est formido: et ad certamen minus tunc præstituitur, quando se adversarius confitetur: plus timendus est et cavendus inimicus, quum latenter surrepit, quam cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit: unde et nomen serpentis accepit. *Cypr. in epist.*

9. Dolus est, quum aliud agitur, et aliud simulatur. Callidus est, qui exitum virtutis dolo ac fraude imitatur. *Isid. in synon.*

10. Quidam simpliciter vivunt, et in omnibus prosperantur: quidam versantur in dolis, et eis quælibet adversantur. *Pet. Rav. in quadam epist.*

11. Insperatum bonum est, si is, ad quem deceptionis pertinet periculum, sibi gratiæ procuret augmentum. Jus enim exigit, sagittas fraudis redire in dolosum vertícem sagittantis. *Cass. lib. 5. epist.*

12. Occultum et insidiosum malum perfidia, cujus efficacissimæ vires sunt, mentiri et fallere. Fructus in aliquo admisso scelere consistit: qui mendaciis et fallacia quasi præclaris artibus gaudet. *Val. Max. lib. 9.*

13. Fraus est, accipere, quod non possis reddere. Repelli se homines facilius, quam decipi ferunt. *Senec. in prov.*

14. * Sunt homines qui rationem bono consilio à diis immortalibus datam, in fraudem, malitiamque convertunt. *Tull. 3. de nat. deor.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 65. in tit. Discretio, núm. 7. in tit. Doctrina, núm. 61. in tit. Hypocrisis, núm. 32, 38, 40, 46. in tit. Mendacium, núm. 14. in tit. Mercatio et Simplicitas, núm. 1. in tit. Suspicio, núm. 4. in tit. Tentatio, núm. 19, 20. in tit. Veritas, núm. 12.

GAUDIUM.

1. Est gaudium, quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt: quorum gaudium tu ipse es: et ipsa est beata vita, gaudere de te, propter te, ipsa est, et non est altera. *Aug. lib. 9. confes.*

2. Temporalibus gaudent qui bona æterna non norunt desiderare. *Aug. super Psal. 52.*

3. Comparemus gaudia veritatis cum gaudio unitatis, et si honoremus doleamus: si dolemus, oremus: si oramus, exaudiamur: si exaudimur, et illos lucramur. *Aug. super Joan.*

4. Inepta lætitia dicit, ¿ut quid animi gaudium intus abscondis? Ingredere in publicum lætus, dic aliquid foris, unde vel tu vel proximi rideant, fac eos lætos tua lætitia. *Aug. de conflictu vitiorum.*

5. Animi lætitia interdum corporis dolores mitigat, quod si ad ægrotationem corporis accedat ægritudo animi, duplicatur infirmitas. *Hier. super Isaiam.*

6. Dignum est itaque ut in se semper homo mœrorem invenial, qui derelicto creatore gaudium in se quærebat. *Greg. 12. moral.*

7. Jure restat, ut quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. *Greg. in moral. ibid.*

8. Fit plerumque, ut in ipsis piis fletibus illa interim gaudii claritas erumpat, et mens quæ in corpore prius cæca jacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspiriis vegetata convalescat. *Ibidem.*

9. Nonnunquam quicquid gaudii, quicquid virtutis favere videbatur, subito in pavore tentationis amittitur, et quasi vacuaturus eisdem virtutibus tristis animus solo mœrore possidetur. *Ibidem.*

10. Jubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: et tamen quibusdam proditur moribus, quamvis nullis proprietatibus exprimatur. *Greg. 24. moral.*

11. Jubilatio dicitur, quum cordis lætitia oris efficacia non expletur, sed quibusdam modis gaudium prodit, quod ipse, qui gaudet, nec regere prævalet, nec explere. *Greg. lib. 28. moral.*

12. Solet lætitia arcana mentis aperire, atque aperiendo amittere: adversa vero quum nos exterius deprimunt, interius cautiores reddunt. *Ibidem.*

13. Illud est verum ac summum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, quod quum acceperis, nemo tollet à te, cui aliunde comparata omnis jucunditas mœror est: omnis suavitas dolor est: omne dulce amarum est: omne decorum fœdum est: omne postremo, quod delectare potest, molestum est. *Bern. in quodam serm.*

14. ' Gaudendum est de iis, quæ expectamus, et gaudendum de iis, quæ sustinemus. *Bern. de ve. Apo. serm. 2.*

15. ' Gaudendum in bono alieno magno magis, quam in proprio parvo. *Bern. in Cant. serm. 49.*

16. ' Gaudium in materia convertibili mutari necesse est re mutata. *Bern. de fal. præb. vita.*

17. ' Gaudium solummodo verum est, quod de creatore concipitur. *Bern. in epist.*

18. Verum gaudium non possidetur, nisi pax et justitia teneatur. Prima enim est, et quasi radix justitia, secunda pax, tertia gaudium. De justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. *Cæsar. in admonit. 2.*

19. Mensura lætitiæ de magnitudine nuntii venit, et tanta sit alacritas animi, quanta fuerit consideratio rei. *Cass. lib. 1. epist.*

20. Bonum insolitum plus amatur, et sequenti gaudio confert dulcedinem temporum præmissa tristitia. *Ibidem.*

21. Discimus nos magnum gaudium ex illius consolatu, quod non est gaudium, sed ut sæpe initium futuræ tristitiæ. Gaudio enim junctum est, non desinere, nec in contrarium verti. Omnes tendunt ad gaudium: sed unde stabile et magnum consequantur ignorant. Ille ex conviviis et luxuria: ille ex ambitione et circumfusa clientum turba: ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, et nihil sonantibus literis: omnes istos oblectamenta fallacia et brevia decipiunt, sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat. *Senec. 67. epist.*

22. Malum alienum, tuum ne feceris gaudium. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 13. in tit. Judex, núm. 18.

GLORIA BONA.

1. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. *Aug. lib. de difin.*

2. Puritatis intimæ bono gloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecus gloriari perfecte respuerit, nec enim pure valet Dei, vel proximi quærere lucra, qui propria non contempserit. *Bern. in epist.*

3. Si gloriari cupis, gloriam despice, et omnibus eris gloriosior. *Chrys. ho. 4.*

4. Magna est ejus gloria, quæ nullis laudibus crescit, et nullius vituperatione minuitur. *Cass. in quadam epist.*

5. Gloria est alicujus magnifici, vel bonæ artis clare patens præconium, et (ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur) secundam vitam dat gloria. *Tullius.*

6. Si quis, dum ad gloriam assequendam laborat, talem se efficiat, qualis vult haberi: quod si ostentatione inani et ficto sermone vel vultu, stabilem se gloriam assequi opinatur, vehementer errat. Vera enim gloria radices agit: ficta autem omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, neque imitatum quicquam potest esse diuturnum. *Ibidem.*

7. Expedita et compendiaria via eos ad gloriam pervenire Socrates dicebat, qui id agerent, ut quales videri vellent, tales etiam essent. Qua quidem prædicatione aperte monebat, ut homines potius ipsam virtutem haurirent, quam umbram ejus consectarentur. *Val. Max. lib. 7. c. 2.*

8. Paterna namque gloria nos reddit inglorios,

quum ab ejus vestigiis dissimilitudine resilimus. *Senec.*

9. Heu! quam difficilis gloriæ custodia est. *Senec. in Proverb.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 11. in tit. Humilitas, núm. 3.

GLORIA MALA, SIVE VANA.

1. Sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanus gloriatur: non enim eam contemnit, dum gloriatur intus de gloria, quam amplexatur. *Aug. lib. confess.*

2. Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ: vel solum, vel maxime cavendum esse perfectis: quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. *Aug. super Psal.* 7.

3. Inanis gloria hujus sæculi, fallax est suavitas, et infructuosus labor, et perpetuus timor, et periculosa sublimitas: initium sine providentia, finis cum pœnitentia. *Aug. super Psal. 149.*

4. Inanis gloria dixit: age bonum quod vales: ostende bonum cunctis quod agis: ut bonus à cunctis dicaris, ut sanctus et venerabilis ab hominibus prædiceris, ut Dei electus voceris, ut nemo te despiciat, sed universi debitum tibi honorem persolvant. *Aug. de conflic. vit.*

5. Non est tanti gaudii excelsa tenere, quanti mœroris est de excelsis corruere: nec tantam gloriam sequi post victoriam, quantam ignominiam post ruinam. *Ambr. in suo pasto.*

6. Gloria inanis, est inordinatus animi motus, quo aliquis propriam desiderat excellentiam, ut alios honore præcellat. *Hier. in quadam epist.*

7. Ne nimis religiosus velis videri, nec plus humilis, quam necesse est: gloriam fugiendo non quæras. *Hier. ad Nepot.*

8. Sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur. *Greg. lib. 20. moral.*

9. Qui ante oculos hominum gloriam sequendo, eam aprehendere non possunt, student plerumque gloriam tenere fugiendo. Nonnulli præsentem gloriam amantes, assequi non possunt: quia despicientes sequuntur. *Greg. in moral.*

10. Tanto ad volandum latius patet fovea, quanto de semetipsa elatius gloriatur vita. *Greg. ibid.*

11. Quum bene vivitur, valde timendum est, ne mens despectis cæteris de gloria singularitatis elevetur. *Greg. lib. 6. moral.*

12. Non parva condemnatio est, ex eo bono, quod communiter datur, gloriari privatim. *Greg. in moral.*

13. Time sagittam, leviter volat, leviter penetrat: sed dico tibi, non leve infligit vulnus, cito interficit: nimirum sagitta hæc vana gloria est. *Bern. in serm.*

14. Non bonæ, sed pax hominibus bonæ voluntatis: iniquus est qui nequaquam pace contentus, superbo oculo et insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam, nec pacem inde retinens, nec gloriam apprehendens: nec laus calami est laudabilis in scriptura, nec gloria linguæ, aut labiorum sermo bonus. *Bern. super cant.*

15. Non recti plane, sed perversi animi est, quærere gloriam, et non exercere virtutem, et velle coronari, qui legitime non certaverit. *Bern. in serm.*

16. Virtus mater gloriæ est: sola enim est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Quæ autem est sine virtute gloria, profecto indebitè gloria venit, properè affectatur, periculose captatur. *Ibidem.*

17. Qui omnium pecuniarum contemptum habent, et nulli imaginationi totius mundi se immiscuerint, et tyrannicas corporum concupiscentias sustinuerint, hi multoties capti à vana gloria omnia perdiderunt. *Chrys. super Joan.*

18. *Vanitas vanitatum, etc.* Hanc versiculum si saperent, qui in potentia versantur; in parietibus omnibus et in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in januis, in ingressibus, et ante omnia in conscientiis suis, ut semper eum oculis cernerent, et corde sentirent. *Chrys. ho. 5.*

19. Tuba est omnis actus vel sermo, per quam ipsa operis jactantia designatur: tuba ergo canere est, pompam vanæ laudis appetere. *Chrys. super ill. Matth. Noli tuba canere.*

20. Nihil enim ita pecunias concupiscere facit, ut gloriæ cupido: propter hoc namque famulorum greges, equos auro opertos, et argenteas mensas expetunt homines, non ut utilitatem aut voluptatem impleant, sed ut multis ostendantur. *Chrys. super Matth.*

21. Dicebant apud se: Si bene fecerimus cum pauperibus, quis non videt? et si viderint, non multi vident, et si multi vident, pro tempore vident, transit tempus, et cum tempore beneficii memoria. Melius est ergo ædificia facere, quæ adspiciant homines non in hoc tempore solum, sed etiam in posterum. O insipiens! quid tibi prodest ista memoria, si ubi es, torqueris: et ubi non es, laudaris? *Ibid.*

22. Quisquis ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extoli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsum vitiorum jacebat. *Isid. lib. 1. de sum. bono.*

23. Dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit nisi cineres et vermes. Attende diligenter quid sunt vel fuerunt homines, fuerunt sicut tu: comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, et illic anima ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati sempiternis involuantur incendiis: qui socii fuerunt in vitiis, socii fuerunt in pœnis. Una namque pœna implicat, quos unus amor in crimine ligat. *Hug. 1. de anim.*

24. Insipiens, quid tibi prodest vanæ gloriæ memoria, si ubi es, torqueris: ubi non es, laudaris. *Ibidem.*

25. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, et plenæ divitiæ, magna familia et mala concupiscentia? ubi risus? ubi jocus? ubi jactantia? ubi arrogantia? De tanta læti-

tia, quanta tristitia, post tantam voluptatem, tam gravis miseria. De illa exultatione ceciderunt in magnam ruinam, et magna tormenta. Quicquid illis accidit, tibi accidere potest, quia homo es: homo de humo, limus de limo: de terra es, de terra vivis, et in terram reverteris, quando veniet dies ultima, quæ subito venit, et forsitan hodie erit: certum est, quia morieris, sed incertum, quando, aut quomodo, vel ubi: quoniam mors ubique te expectat: tu quoque si sapiens fueris, ubique eam expectabis. *Ibid.*

26. Divitias siquidem et honores solicitudo inseparabiliter comitatur: pompa mundi et favor populi sumus est, et aura subito evanescens, quæ si plerumque placent, pœnitudinem inducunt, et si delectant ad modicum, productiore spatio displicebunt. *Pet. Rav. in quodam serm.*

27. Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur, quæ etiam á claris viris interdum ex humillimis rebus petitur. Cæterum gloria ab his quidem, qui contemptum ejus inducere conantur, non negligitur: quoniam quidem ipsis voluminibus nomina sua diligenter adjiciunt: ut quod professione negant, usurpatione memoriæ assequantur. Est enim gloriæ vanæ magnus appetitor qui se à gloriæ abfuisse gloriatur. *Val. Max. lib. 8. de memor.*

28. Vanitas est, quæ nec pulchritudinem confert, nec fructum laboranti, nec fulcimentum innitenti. *Hug. lib. de vanitate mundi.*

29. Gloria, quam fallax sæpe, quam turpis est, non injuria tragicus exclamat: Gloria in millibus mortalium nihil aliud est, quam aurium inflatio magna. *Boët. de consolat.*

30. Sic rerum versa conditio est, ut demum merito rationis animal, non aliter sibi splendere, nisi inanis suppellectilis possessione videatur. *Boët. 2. de consolat.*

31. Gloriam á Deo immoderato quærimus affectu, quod boni magis videri, quam esse, mali autem esse, quam videri, volumus: unde Poëta: Falsus ho-

nor juvat, et mendax infamia terret. *Tullius.*

32. Qui sordido vehiculo erubescit, prætioso gloriabitur. Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ? quid ista vehicula cælata? quid phaleræ deauratæ? quid monilia demissa pectoribus? Ista nec dominum possunt facere meliorem nec mulam. *Senec. 88. epist.*

33. O quantum erat sœculi decus, Catonem uno caballo esse contentum, et ne toto quidem! partem enim sarcinæ ab utroque latere dependentes ocupant. O quam cuperem illi nunc aliquam occurrere ex his trusullis in via, et multum ante se pulveris agitantibus. *Senec. ibid.*

34. Quæris qualis mensa, qualis argento, quam paribus ministris, et levibus afferatur cibus: nil præter cibum natura desiderat. Numquid tibi quum fauces urit sitis, aurea quæris pocula? ambitiosa non est fames, contenta est desinere, quo desinat, non nimis curat. *Ibidem.*

35. Numquid fortis se fortem gloriabitur, quem corporis ægritudo efficit infirmum? *Senec. de mor.*

36. Numquid dives in opibus suis gloriatur, cujus spem fur vel tyrannus arripuit? *Ibidem.*

37. Numquid nobilitas gloriabitur, effecta nonnunquam indignis et miserabilioribus serviens. *Ibidem.*

38. Cito ignominia fit superbi gloria. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Ambitio et Caro, núm. 27. in tit. Consideratio, núm. 1. in tit. Curiositas, núm. 23. in tit. Divitiæ, núm. 30, 32, 46. in tit. Eleemosyna, núm. 39, 45. in tit. Favor, et Gaudium, núm. 21. in tit. Gloria bona, núm. 2, 6, 7. in tit. Honor, núm. 27. in tit. Hypocrisis, núm. 35. in tit. Laus, núm. 38. in tit. Mors, núm. 26. in tit. Mundus et Prosperitas, núm 14, 21. in tit. Solicitudo, núm. 18. in tit. Tempus, núm. 13. in tit. Vita, núm. 6.

GLORIA ÆTERNA.

1. Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta est jucunditas lucis eternæ, hoc est incommutabilis sapientiæ,

ut etiamsi non liceret in ea amplius manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia bonorum temporalium, recte meritoque contemnerentur. *Aug. lib. de moribus.*

2. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab alio quispiam patietur: præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum: quo melius et majus nihil posse esse promisit. Quid est enim aliud, quam quod per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs*: ubi ego ero, unde salientur, ego ero quæcumque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait Apostolus. *Ut sit Deus omnia in omnibus:* ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur: hic munus, hic affectus, hic actus proculdubio erit omnibus, sicut vita æterna communis. *Aug. lib. 22. de Civ. Dei.*

3. Facilius possumus dicere in illa vita æterna, quid ibi non sit, quam quid ibi sit: Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. *Aug. de symb. lib. 5.*

4. Illuc festinate, ubi semper vivatis. Si enim sic amatis istam miseriam, fluidamque vitam, ubi cum tanto labore vivitis, et ubi vix currendo, satagendo, suadendo, suspirando necessariis corporis satisfacitis: quanto magis amare debetis vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebitis? ubi semper summa securitas, summa felicitas, felix libertas, felix beatitudo? ubi implebitur illud, quod dominus dicit in Evangelio: *Erunt homines similes angelis*: et illud: *Fulgebunt justi*, etc. *Aug. de utilitate agenda pœniten.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nor juvat, et mendax infamia terret. *Tullius.*

32. Qui sordido vehiculo erubescit, prætioso gloriabitur. Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ? quid ista vehicula cælata? quid phaleræ deauratæ? quid monilia demissa pectoribus? Ista nec dominum possunt facere meliorem nec mulam. *Senec. 88. epist.*

33. O quantum erat sœculi decus, Catonem uno caballo esse contentum, et ne toto quidem! partem enim sarcinæ ab utroque latere dependentes ocupant. O quam cuperem illi nunc aliquam occurrere ex his trusullis in via, et multum ante se pulveris agitantibus. *Senec. ibid.*

34. Quæris qualis mensa, qualis argento, quam paribus ministris, et levibus afferatur cibus: nil præter cibum natura desiderat. Numquid tibi quum fauces urit sitis, aurea quæris pocula? ambitiosa non est fames, contenta est desinere, quo desinat, non nimis curat. *Ibidem.*

35. Numquid fortis se fortem gloriabitur, quem corporis ægritudo efficit infirmum? *Senec. de mor.*

36. Numquid dives in opibus suis gloriatur, cujus spem fur vel tyrannus arripuit? *Ibidem.*

37. Numquid nobilitas gloriabitur, effecta nonnunquam indignis et miserabilioribus serviens. *Ibidem.*

38. Cito ignominia fit superbi gloria. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Ambitio et Caro, núm. 27. in tit. Consideratio, núm. 1. in tit. Curiositas, núm. 23. in tit. Divitiæ, núm. 30, 32, 46. in tit. Eleemosyna, núm. 39, 45. in tit. Favor, et Gaudium, núm. 21. in tit. Gloria bona, núm. 2, 6, 7. in tit. Honor, núm. 27. in tit. Hypocrisis, núm. 35. in tit. Laus, núm. 38. in tit. Mors, núm. 26. in tit. Mundus et Prosperitas, núm 14, 21. in tit. Solicitudo, núm. 18. in tit. Tempus, núm. 13. in tit. Vita, núm. 6.

GLORIA ÆTERNA.

1. Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta est jucunditas lucis eternæ, hoc est incommutabilis sapientiæ,

ut etiamsi non liceret in ea amplius manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia bonorum temporalium, recte meritoque contemnerentur. *Aug. lib. de moribus.*

2. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab alio quispiam patietur: præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum: quo melius et majus nihil posse esse promisit. Quid est enim aliud, quam quod per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs*: ubi ego ero, unde salientur, ego ero quæcumque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait Apostolus. *Ut sit Deus omnia in omnibus:* ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur: hic munus, hic affectus, hic actus proculdubio erit omnibus, sicut vita æterna communis. *Aug. lib. 22. de Civ. Dei.*

3. Facilius possumus dicere in illa vita æterna, quid ibi non sit, quam quid ibi sit: Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. *Aug. de symb. lib. 5.*

4. Illuc festinate, ubi semper vivatis. Si enim sic amatis istam miseriam, fluidamque vitam, ubi cum tanto labore vivitis, et ubi vix currendo, satagendo, suadendo, suspirando necessariis corporis satisfacitis: quanto magis amare debetis vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebitis? ubi semper summa securitas, summa felicitas, felix libertas, felix beatitudo? ubi implebitur illud, quod dominus dicit in Evangelio: *Erunt homines similes angelis*: et illud: *Fulgebunt justi*, etc. *Aug. de utilitate agenda pœniten.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5. Hæreditas inquam Christi, qua cohæredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quanta omnibus. *Ambr. super Psal. 49.*

6. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium. Regnum Dei tantum valet, quantum habueris. *Aug. ibid.*

7. Hæc est otiosorum negotium, hæc opus vacantium, hæc actio quietorum, hæc cura securorum. *Aug. super Psal. 100.*

8. Divitiæ si diliguntur, ibi serventur, ubi perire non possunt: honor si diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoretur: salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adepta nihil timetur, vita si diligitur, ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur. *Aug. in epist.*

9. Tanto illud, quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color, nec auris audivit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis debet illuc ascendere, sumemus capacius, quanto illud et fidelius credimus, et speramus firmius, et desideramus ardentius. *Aug. ad Dioscor.*

10. Talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, et nunquam satieris: imò ut semper satieris, et nunquam satieris. Si enim dixero quod non satiaberis, fames erit: si dixero quod satiaberis, fastidium timeo, ubi nec fastidium erit, nec fames. Quid dicam, nescio: sed Deus habet quod exhibeat. *Aug. super Joan. ho. 3.*

11. Ecce venale est regnum Dei: eme si vis, nec multum existimes de re magna propter pretii magnitudinem: tantum valet, quantum habes: noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista valet tantum, quantum es: tu te da, et habebis illam: sed malus sum, inquies, et fortè me non accipiet: dando te illi, bonus eris. *Aug. de spiritu et anima.*

12. *Regnum cœlorum vim patitur*: ideo quia realtas, quod litera sine spiritu jubendo faciebat, credendo solvitur, et violentia Spiritus sancti impetratur. *Aug. de fide et operibus.*

13. Non erit aliqua invidia disparis claritatis: quoniam regnavit in omnibus unitas charitatis. *Bern. super Joan.*

14. Incomparabiliter superna civitas clara est, ubi victoria, ubi veritas, ubi dignitas, ubi sanctitas, ubi vita, ubi æternitas. *Aug. de vita æterna.*

15. In civitate Dei Rex veritas, lex charitas, dignitas æquitas, pax felicitas, vita æternitas: sed in civitate diaboli econtra, rex falsitas, lex cupiditas, dignitas iniquitas, lis felicitas, vita temporalitas. *Aug. de Civ. Dei.*

16. Ibi hymni dici angelorum chori, ibi societas civium supernorum, ibi dulcis solemnitas á peregrinationis hujus tristi labore redeuntium, ibi festivitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. *Aug. super Jo. in hom. Ego sum pastor bonus.*

17. Si consideremus, quæ et quanta sunt, quæ sanctis dabuntur in die judicii, quæ et quanta, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. *Greg. in hom.*

18 Temporalis vita, æternæ vitæ comparata, mors est dicenda potius, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua discere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircunscriptum lumen videre, nullo mortis dolore affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari. *Ibidem.*

19. Ibi quicquid amabitur, aderit: nec desiderabitur, quod non aderit: omne quod tibi erit, et quod est bonum, erit: et summus Deus summum bonum erit omnino beatissimum, ita semper fore certum erit.

Ibi vacabimus et videbimus: videbimus et amabimus: amabimus et laudabimus esse, quod erit in fine, sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis? *Aug. lib. 22. de Civ. Dei.*

20. Quod Deus præparavit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria et vota transgreditur: acquiri potest, æstimari non potest. *Aug. ibid.*

21. Ibi tota virtus erit, videre quod amas, et summa felicitas amare quod videas, et ibi beata vita in suo fonte bibitur, ubi veritatis visio clarissime aperitur. *Aug. de Civ. Dei.*

22. Regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim personarum acceptio apud Deum: sed quicumque se talem præbuerit, ut regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non personæ, sed vitæ paratum est. *Hier. super Psal. 68.*

23. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. *Hier. in epist.*

24. Et regnum cœlorum vim patitur: grandis violentia est, generatos in terra cœlum quærere, et possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam. *Hieron.*

25. Quantalibet intentione se humana mens tetenderit, etiamsi phantasias imaginum corporalium à cogitatione compescat. Si omnes circumscriptos spiritu ab oculis cordis admoveat, adhuc tamen in carne mortali posita videre gloriam Dei non valet, sicut est: sed quicquid de illa est, quod in mente resplendet, similitudo, et non ipsa est. *Greg. supæ Ezech. hom. 8.*

26. Curramus et sequamur Christum, non sunt hic vera solatia: sed ibi ponuntur, ubi vera vita. *Greg in moral.*

27. Regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Videte si negare debemus, quod petimus, quum patroni sint qui petunt. *Greg. in hom.*

28. Tanta vis in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit in omnibus sublimitas vitæ. Erit et in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, sed quæ nos lætitiæ armis adstringat. *Greg. in moral.*

29. Solis justis cœlestis patriæ debentur præmia, ut humiles, casti, mites, atque misericordes ad gaudia æterna perveniant. *Ibidem.*

30. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Si enim dispar retributio in illa latitudine æterna non esset, una potius mansio, quam multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus et distincti bonorum ordines propter meritorum consortium communiter lætentur: et tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt, qui in multis mansionibus distinguuntur, quia et una beatitudo, quam illic percipiunt, et dispar retributionis qualitas, quam per opera diversa sequuntur. *Greg. lib. 4. dialog.*

31. Quoniam electis in hac vita est dilectio operum, in alia quoque vita erit proculdubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium superat, illic alius alium retributione transcendat, et quamvis in illa retributione dignitas eadem non sit, una tamen omnibus vita beatitudinis erit. *Greg. 4. moral.*

32. Corona XII stellarum in patria. Prima stella memoria sine oblivione: secunda ratio sine errore: tertia voluntas sine omni perturbatione: quarta impassibilitas, in qua corpus nostrum surget sine corruptione: quinta charitas, qua configurabitur claritati corporis Christi: sexta agilitas, ut secundum mobilitatem cogitationum nostrarum sit agile: septima subtilitas, ut quamtumlibet spissum vel solidum erit impenetrabile: octava est, diligere proximum suum in omni veritate, tanquam seipsum: nona est, videre proximum suum in puritate diligentem se, sicut diligit semetipsum: decima est, Deum perfecte diligere, sed plus quam seipsum: undecima est, diligere seipsum tantummodo propter Deum: duodecima est,

videre Deum diligentem se supra quam diligat seipsum. *Bern. in quodam serm.*

33. O verè felix et gloriosa societas! ò sanctum convivium! ò desiderabiles epulæ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quin satietas summum et summa inerit desiderium. *Bern. in serm.*

34. Illud verum et summum gaudium est, etc. Vide gaudium núm. 13.

35. Festinemus ad locum tutiorem, id est, ad agrum uberiorem, ad pastum saniorem, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. *Bern.*

36. O beata regio paradisi! ò beata regio deliciarum, ad quam suspiro de valle lachrymarum, ubi sapientia sine ignorantia, ubi memoria sine oblivione, ubi intellectus sine errore, ubi ratio sine obscuritate fulgebit. Beati qui habitant ibi, et laudabunt Deum in sæcula sæculorum, Amen. Regnum Dei conceditur promittitur, ostenditur, percipitur: conceditur in prædestinatione: promittitur in vocatione: ostenditur in justificatione: percipitur in glorificatione. *Bern. in ser.*

37. Nulla erit in futuro discordia, sed cuncta consona: cuncta convenientia: omnium enim sanctorum erit una concordia: nullus ibi diaboli metus: nullæ insidiæ dæmonum: terra gehennæ procul, mors neque corporis, nec animæ, sed immortalitatis munere metus uterque resolutus. *Chrys. de reparatione laps.*

38. Intuere cœtum, non solum ex hominibus, sed ex angelis, atque archangelis, thronis et dominationibus, principatibus ac potestatibus convocatum: de Rege autem, qui horum medius residet, discere vox nulla sufficiet: effugit omnem sermonem atque omnem sensum humanæ mentis, excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia. *Ibid.*

39. Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, pro eo ut Christum videre possimus in gloria venientem, et sanctorum ejus numero sociari, non erit dignum pari ratione, omne quod triste est modò, ut tanti boni

tantæque gloriæ participes haberemur. *Ibidem.*

40. Futura vita, ubi creditur esse beatè sempiterna, sempiternè beata, ubi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas: ubi amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus. *Prosp. de vita contemplat.*

41. Futura vita, ubi ipsa civitas quæ est angelorum, sanctorumque omnium congregatione beata, meritis fulgentibus micat, æterna salus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallit quisquam, nec fallitur, ubi nullus beatus ejicitur, ubi nullus miser admittitur. *Prosp. ibid.*

42. Ad fidem plures veniunt, ad cœleste regnum pauci perducuntur, omnes enim canonici vocantur ad electionem, sed unus eligitur. *Rav. super ill. Matth. 10. Multi enim vocati, etc.*

43. Patriam nostram, paradisum computemus: parentes patriarchas jam habere cœpimus: quid non properamus, et currimus, ut patriam nostram videre, ut patres salutare possimus? Magnus nos illic charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis, et nobis in commune lætitia est? *Cypr. epist. de mort.*

44.* Bene dicitur, Dominum cœlum extendere, ubi meretrices et publicanos eum constat admittere: nam cum sint rei, per justitias, cœli justorum facti sunt: et gratiæ largitate peccantium. *Cass. super Psalm. Extendens cœlum sicut pellem.*

45. Æternitas, est diuturnitas sine initio et fine, et carens omni mutabilitate. *Boëtius.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 7. in tit. Amor, núm. 16, 34, 52. in tit. Angelus, núm. 30. in tit. Anima, núm. 28. in tit. Beatitudo, núm. 2, 17, 18, 21. in tit. Consolatio, núm. 4. in tit. Delitiæ, núm. 7. in tit. Desiderium, núm. 3. in tit. Divitiæ, núm. 18.

in tit. Gaudium, núm. 1. in tit. Infernus, núm. 18. in tit. Tempus, núm. 1. in tit. Vita, núm. 5.

GRATIA.

1. Homo tunc peccatis vincitur dum viribus suis juste vivere conatur sine adjutorio liberantis gratiæ Dei. *Aug. super epist. ad Rom.*

2. Si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama: noli ad præmium diligere Deum: ipse sit præmium tuum. *Aug. super Joan.*

3. Si levis morbus esset, contemneretur medicus, non quæreretur: si medicus contemneretur, morbus non finiretur. Ideo ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. *August. de verbis apost.*

4. * Gratia Dei, non nostra potestate, in melius mutamur.

5. Sola gratia discernit redemptos à perditis, quos in unum coacervat massa perditionis ab origine ducta creationis. *Aug. lib. 1. Retr. c. 22.*

6. * Gratia non solum adjuvat justum: sed etiam justificat impium. *Aug. in enchirid.*

7. Dei gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta non potest. *Aug. l. de act. c. 20.*

8. Lex, Dei civilas est: lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur. *Aug. de Baptism. parvulo.*

9. Talis est gratia spiritus sancti, ut si in corde tristitiam invenerit, consumit et dissolvit: si desiderium, permansionem facit: si trepidationem etiam objicit. *Aug. de spirit. et lit.*

10. * Non nisi magna Dei gratia terreni corporis vincemus errores. *Aug. epist. 94.*

11. Uberior est gratia, quam precatio: semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. *Ambr. super Luc.*

12. Gratia vehementior est ad diligendum, quam natura: reddendo vacuatur pecunia, gratia autem et

habendo solvitur, et solvendo relinetur. *Ambr. de offic.*

13. Dum nos gratia divini respectus illuminat, cuncta mentis nostræ nobis abscondita manifestat. *Greg. lib. 8. moral.*

14. Filii Israel manna deserentes cum peponibus et carnibus, porros cæpasque desideraverunt, quia videlicet perversæ mentes gratiæ dona despiciunt, et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus vitæ itinera, et lachrymis plena concupiscunt. *Greg. in moral.*

15. * Gratiæ divinæ adscribitur omne quod prosperè à nobis geritur. *Greg. in Ret.*

16. * Punitione gravi dignus est, qui sæpius Dei gratiam contempsit. *Greg. in Evang. ho. 37.*

17. Quum per semetipsum loquitur Deus, de verbo ejus sine verbis et syllabis cor docetur: quia virtus ejus intima quadam sublevatione cognoscitur, ad quam mens plena suspenditur, vacua gravatur: pondus quoddam est, quod omnem animam quam tangit replet. *Greg. ibid.*

18. Gratiam in tribus consistere arbitror. In odio præteritorum, contemptu præsentium bonorum, et desiderio futurorum. *Bern. de lib. arbitr.*

19. Præocupatum quippe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, summa imis, ut pariter sapias, quæ sursum sunt, et quæ super terram. *Bern. in serm. 77.*

20. In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam et recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere, sicut scriptum est: Beatus homo, qui semper est pavidus. Tunc ergo quum arriserit gratia, time: quum abierit, time: quum denuo revertetur, et hoc semper pavidum est. *Bern. super Cant. serm. 54.*

21. Gratia balsamum purissimum est, et ideo purum, solidum, et profundum vas requirit. *Ibidem.*

22. * Quantum quis crescit in gratiam, tantum in fiduciam dilabatur. *Bern. Cant. serm. 2.*

23. * Quærere Deum non potest anima, nisi præveniatur, ut quærat. *Ibid. serm. 85.*

24. Aliquando plerique et vitam habentes mundam, non accipiunt gratiam. Quare? ne in superbiam eleventur, ne inflentur ventositate jactantiæ, ne altitudo muneris negligentiores efficiat. *Chrys. super epist. ad Hebr.*

25. Pauper et creditor obviaverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus. *Prov. 29. glo. Bedæ.*

26. Pauper, est humilis auditor, creditor, prædicator, qui sibi obviant quum in unam pietatis gratiam conveniunt. Utriusque illuminator est Dominus, quia nec iste prædicat, nec ille credit sine Dei munere. Unde, sine me nihil potestis facere. *Beda in glo.*

Vide etiam in tit. Adventus, núm. 2. in tit. Anima, núm. 25. in tit. Cor, núm. 4. in tit. Creatio, núm. 2. in tit. Devotio, núm. 8. in tit. Maria, núm. 19. in tit. Pœnitentia, núm. 13. in tit. Prædicatio, núm. 26. in tit. Salus, núm. 1.

GRATITUDO, SIVE GRATIARUM ACTIO.

1. Quid est tota die? id est, sine intermissione laudare: in prosperis, quia consolaris: in adversis quia corrigis: antequam essem, quia fecisti me: cum essem, quia salutem dedisti: cum peccasem, quia ignovisti: cum conversus essem, quia adjuvisti: cum perseverasem, quia coronasti. *Aug. super illud Psal. Tota die repletur os meum.*

2. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati, et habere te cognosce, et nihil ex te habere, ut nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo: sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quæ habui: quia tu dedisti, quæ ego non merui. *Aug. super Psal. Custodi animam meam quoniam, etc.*

3. Omnia peccata sic habenda sunt, tanquam dimittantur á quibus Deus custodit, ne committantur. Noli modicum diligere, quasi á quo modicum dimissum est: sed potius multum dilige, à quo tibi multum tributum est. Si enim diligit, cui donatum est, ne redderet: quanto magis debet diligere, cui donatum est, ut haberet? Nam quisquis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur: et quisquis ab impudico pudicus factus est, ab illo corrigitur, et quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur. Hæc autem ille occulto judicio facere potest, iniquo non potest, et fortasse ideo latet, ut plus timeatur, et minus superbiatur. *Aug. ad sanctas virg.*

4. * Gratias agere Deo possumus, referre non possumus. *Aug. in Psal. 47.*

5. Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo explanemus, quam Deo gratias? hoc nil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. *Aug. in epist. ad Marcell.*

6. Danti rependi quicquam gratius ab accipiente non potest, quam si gratum habuerit, quod gratis accepit: nam spiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis grata mente non suscipit. *Bernar. ad Imericum Cancellarium.*

7. Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, et perpetua confessio gratiarum. *Chrys. super Matth. 25.*

8. Admoneo vos ut Dominum semper benedicatis: si venerint mala, benedicite, et dissolventur mala: si prospera venerint, benedicite, et perseverabunt bona et prospera. *Chrys. in tractat. de symb.*

9. Jugiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit. *Cass. super Psal. Quoniam misericordia, etc.*

10. Præstita dona numerantur, ut ad beneficia consueta animus boni judicis invitetur. *Ibidem.*

11. Meliora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere. *Ibidem.*

12. Si bene merentibus aliena gratia non respondet, merces tamen sua virtuti non deerit: quæ potius fructus lucra satis habet, simpliciter apud se de bono

felici conscientiæ testimonio gloriari: neque enim subjecta est externæ dispositionis arbitrio, sed in sua propria puritatis majestate consistens, ab indignioribus præmia non requirit. *Cass. in quadam epist.*

13. Qui quanta sibi gratia collata sit, nescit, quantas largitori grates debeat, non intelligit: non enim potest quis plene intelligere quod accipit, nisi meminerit. *Ibidem.*

14. Omnis profectus ad divinitatis est munera referendus: quia nihil constat fore bonum, nisi quod ab ipso dignoscitur esse collatum. *Ibidem.*

15. Invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica: et spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit: nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur. *Cass. 4. epis.*

16. Hesiodum illud laudatur ab omnibus, qui eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam emulatiore, si possis. *Tull. de Cic. ora.*

17. Nullum officium magis quam referenda gratia necessarium: nam si Hesiodus jubet reddere majore mensura, quam acceperis utenda, quid debemus facere provocati beneficio? imitari agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperunt: quia si non dubitamus bona conferre his, quos speramus nobis profuturos, quales debemus esse in eos qui jam profuerunt? Nam demus vel non demus, in nostra potestate est: non reddere vero, bono viro non licet, si absque injuria id facere possit. *Sen. in quadam epist.*

18. Ad reddendum gratiam opus est, et tempore et facultate, et aspirante fortuna: nihil tam necessarium aut cum majori cura dicendum, quam beneficium dare, et gratias agere. *Senec. 3. de benefic.*

19. Quidam furtive gratias agunt, et in angulo, et ad aurem, verentur palam ferre, ut sua potius virtute, quam alieno adjutorio habere dicantur. *Sen. 2. de benefic.*

20. Nunquam tibi gratiam referre potero, tamen illud certe non desinam ubique confiteri, me ferre non posse. Nam qui grate beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit. *Ibidem.*

21. Sapiens omnia examinabit secum, quantum accipit, à quo, et quando, ubi, quemadmodum. Itaque negamus quemquam scire gratiam referre, nisi sapientem. *Senec. 3. epist.*

22. Hoc certe justitiæ convenit, suam cuique reddere beneficio gratiam: injuriæ talionem, aut certe malam gratiam. *Senec. 85. epist.*

23. Non omnes grati sciunt debere beneficium: potest etiam imprudens et rudis, et unus de turba; ignorat autem quantum pro re debeat. *Ibidem.*

24. Sapienti notum quanti res quæcumque taxanda sit: nam stultus etiamsi bonæ voluntatis est, aut minus quam debet, aut tempore, aut quo non debet, reddit loco: aut in quod reddendum est, effundit, atque abjicit. *Ibidem.*

25. Nemo etiam referre gratiam scit, nisi sapiens: stultus autem quemadmodum potest, referi: scientia illius potius, quam voluntas deest, velle non discitur. Sapiens omnia inter se comparabit: majus enim aut minus fit, quamvis idem fit, tempore, loco, causa. *Ibidem.*

26. Gratus sum, non ut alius mihi libentius præstet priori irretitus exemplo: sed ut rem jucundissimam faciam. *Ibidem.*

27. Credamus itaque nil esse grato animo honestius: omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt: in omni judiciorum diversitate referendam benemerentibus gratiam, omnes uno ore affirmabunt: in his discors turba consentiet. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Beneficentia et Creatio, núm. 6, 7. in tit. Dilectio, núm. 4, 15. in tit. Homo, núm. 18. in tit. Ingratitudo et Lachryma, núm. 14. in tit. Laus, núm. 1, 8. in tit. Nocumentum, núm. 8. in tit. Patientia, núm. 3, 39. in tit. Virtus, núm. 8.

GULA.

1. Ventris ingluvies dicit ad esum: dominus om-

nia munda creavit, et qui saturari cibo respuit, quid aliud, quam divinæ ordinationi contradicit? *Aug. lib. de conflictu vitiorum.*

2. Non propter porcum, sed propter pomum, mortem primus homo invenit, et Esau primatum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Scio enim Noë omne genus carnis, quod cibi esset usui, manducare concessum. Eliam cibo carnis refectum, Joannem mirabili abstinentia præditum animalibus, id est locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum. Et David propter aquæ desiderium à seipso reprehensum, et regem nostrum non de carne, sed de pane tentatum. *Aug. in glo. super illud ad Ro. 14. Noli propter escam destruere opus Dei, omnia quidem munda sunt.*

3. Malæ dominæ servitur gulæ, quæ semper expetit, nunquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? hodie suscipit, cras exiget, quum impletus fuerit, disputatur de continentia, quum digesserit, vale virtutibus dicitur. *Ambr. in serm. de jejun.*

4. Fames amica virginitati est, inimica lasciviæ. Saturitas verò castitatem prodigit, nutrit illecebram. *Ambr. in serm. 40.*

5. Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magnopere quam de pretiosis cibis stercus conficiat. *Hier. in epist. ad Pauli.*

6. Hippocrates in Aphorismis docet, crassa et obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleverunt, nisi cito ablatione sanguinis minuantur, in paralysin et pessima morborum genera erumpere: et idcirco necessariam esse demptionem: ut rursum habeant, in quæ possint crescere. Non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere: non posse vivere alias, nisi crescendo capax sit. Unde et Galenus vel doctissimus Galeni interpres: Adeps quorum vita, et ars sagina est (dicit

in exhortatione medicinæ) nec vivere posse diu, nec sanos esse; animasque ita nimio sanguine et adipibus quasi luto involutas, nihil tenue, nil cœlesle, sed semper de carnalibus eructare, et ventris ingluviem cogitare. *Hier. in epist.*

7. Legimus quosdam morbo articulari, et podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum, ad simplicem mensam, et pauperes cibos redactos convaluisse. Caruerunt enim solicitudine dispensante domus, et epularum largitate, quæ et corpus frangunt et animam. *Hier. in epist. ad Jovi.*

8. Semper saturitati juncta est lascivia. Vicina sunt igitur venter et genitalia, pro membrorum ordine, ordo vitiorum. *Hier. in quodam serm.*

9. * Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucro. *Hier. in Matth.*

10. Non cibus sed appetitus in vitio est, unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reato conscientiæ degustantes. *Greg. lib. 30. moral.*

11. Dominante gulæ vitio, omne, quod homines fortiter egerunt, perdunt, et dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur. *Greg. ibid.*

12. Cocorum princeps muros Jerusalem dejecit: quia dum venter ingluvie tenditur, virtutes animæ luxuria destruuntur. *Greg. in pasto.*

13. * Gulæ vitio reciso multa simul vitia subjugantur. *Greg. in Reg.*

14. * Gula innumera viliorum agmina ad animæ conflictum producit. *Ibidem.*

15. Pene semper epulas comitatur voluptas: nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. *Greg. lib. 1. moral.*

16. Non ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur, quia si non ea, quæ nobis sunt viciniora, prosternimus: inaniter ad ea quæ longius sunt, impugnanda transimus. Incassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum ge-

rilur, si intra urbis mœnia civis insidians habetur. *Greg. lib. 30. moral.*

17. Sæpe edendi ratio servit gulæ, et servire se simulat indigentiæ naturæ: quumque venter ingluvie se extendit, membra in luxuriam erigit. *Greg. lib. 2. moral.*

18. Sic voluptas plerumque sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat: nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas expellere desiderium suppetit, et tanto gula securius in præceps ruit, quanto sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. *Greg. lib. 30. moral.*

19. Melius est exiguo sanguine ad usum vesci, quam ventoso legumine usque ad ructum exaturari, præcipuè cum et Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus, et de ligno Adam, non de carne damnatus, et Jonathas de gustu mellis, non carnis morti judicatus. Econtra vero Elias innoxie carnem comedit, Abrahам angelos gratissime carnibus pavit: et de ipsis sua fieri sacrificia Deus præcepit. *Bernard. in apologetio.*

20. Paulus Thimotheo modice vino utendum consuluit: et Dominus ipse bibit, ita ut vini potator appellatus sit. Apostolis quoque bibendum dedit, insuper ex eo sacramentum sui sanguinis edidit. *Bern. ibid.*

21. Ipsa deinde qualitas rerum talis de foris apparêre curatur, ut non minus aspectus, quam gustus delectetur, et cum jam stomachus crebris ructibus repletum se judicet, necdum tamen curiositas satiatur: sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quam reficitur. *Bern. ibid.*

22. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascantur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo, interim autem fercula ferculis apponuntur, et pro solis carnibus quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. *Bern. super Cant.*

23. Gulæ saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque evertere facit. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

24. Quibuslibet escis refectus venter, seminaria luxuriæ parit: nec prævalet mens discretionum gubernacula moderari, ciborum pondere præfocata. Non enim sola crapula vini mentem inebriare consuevit: verum etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem eam, ac nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione dispoliat. *Cass. de instit. mon.*

25. Nunquam poterit ardentis concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ refrænare nequiverit. Interioris hominis castitas, virtutis hujus consumatione discernitur: numquam enim robustioribus æmulis colluctari posse confidas eum, quem in leviori conflictu conspexeris ab inferioribus, parvisque superari. *Ibidem.*

26. Impossibile est saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri: nec bellis robustioribus attentari dignum est eum, qui potest dejici leviori conflictu. *Ibidem.*

27. Quidam quum ad edendum assederint, inquieta quadam agitatione membrorum, intemperantiam animi sui designant, caput excutiunt, brachia exuunt, manus in altum expandunt, et non sine magna turpitudine, quasi totum epulum simul sint absorpturi. Ingentes quosdam conatus et gestus satis indecoros ostendunt in uno loco sedentes oculis et manibus, quæ prope et longe sunt, omnia circumcurrunt, simulque panes comminuunt, vina in calices infundunt, discos in gyrum circumducunt, anhelant et suspirant præ angustia, ita ut existimes eos alium rugienti ventri patentiorem aditum quærere, quasi angustia faucium non possint esurienti stomacho satis sufficienti abundantia ministrare, et velut super obsessam civitatem assultum facturus, dubitans ubi primum expugnationem aggrediatur, dum simul in omni parte irruptionem facere concupiscit. *Hug. in suo claustro.*

28. Superstitiosum quidem nimis in suis præparandis cibis adhibent studium, infinita decoctionum,

frixurarum et condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modo pipere, modo allio, modo cymino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes: ita, quod ibi desudant coquorum artes, et fiunt variæ quæstiones, utrum fieri debeant assata, vel frixa, vel elixa, et tanta solicitudine præparantur, ut devoratis quatuor vel quinque ferculis, prima non impediant novissima, et quum jam stomachus, crebris eructibus repletum se indicat, nondum tamen curiositas satiatur. Isti videntur colere ventrem, tanquam Deum. *Ibidem.*

29. Solent diis templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem ventri, templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes coctæ carnes, fumus incensorum, odor saporum. *Hug. ibid.*

30. Gulæ est solius corporis causa, illecebrosus et avidus ciborum appetitus. *Hugo.*

31. Gula vel gastrimargia, est vorax edacitas nauseanti stomacho applaudens, naturalibus finibus non contenta. *Ibidem.*

32. Hæc pestilens a non vulgari humilitate contenta profundius se porrigit in prælatos, qui salmones, lucios cæterosque pisces æquipolenti generositate præsignes, variis decoctionum cruciatos martyriis, baptizati adulterantes officium, sacri piperis fonte baptizant, ut ex tali baptismate baptizati multiformem saporis gratiam consequantur. In eadem mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, avis ejusdem viscositate ligatur: dumque tot animalium genera uno ventris ergastulantur in carcere, aquatile animal secum, pedestre aëreumque genus in eodem sepulchro intumulari mirantur: quibus si detur licentia exeundi, egressui vix portæ sufficit amplitudo. *Alan. de complanctu naturæ.*

33. Quicquid avium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus: quære nunc, cur subito moriamur? quia mortibus vivimus. *Senec. 10. Rhet.*

34. Ventri obedientes, animalium numero computantur, non hominum. *Senec. 61. epist.*

35. Multos morbos fercula multa ferunt, innumerabilesque morbi, innumerabiles coquos numerant. *Senec. epist. 7.*

36. Una sylva pluribus elephantibus sufficit, homo vero pascitur vix terra et mari. *Ibidem.*

37. Venter præcepta non audit: poscit et appellat: non est tamen molestus creditor, parvo contentus est, si das illi, quod debes, non quod potes. *Sen. 21. epist.*

38. Initium vitæ hominis aqua et panis: gulosis autem non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aves cœli, sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, et nutriuntur altilia, capiuntur obesa, quæ studiose coquuntur arte coquorum, quæ laute parantur, officio ministrorum: alius contundit et colat, confundit et conficit, substantiam convertit in accidens, naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esuriem, revocet appetitum, ad irritandum gulam, non ad sustentandam naturam, non ad necessitatem supplendam, sed ad aviditatem explendam. *Inno. de vilitate conditionis humanæ.*

39. Gula paradisum clausit, primogeniturum vendidit, suspendit pistorem, decollavit Baptistam, Nabuzardam princeps coquorum templum incendit, et Jerusalem totam evertit. Balthazar in convivio manum contra se scribentem aspexit, Mane Thecel Phares, et eadem nocte interfectus est á Chaldæis. *Inno. ibid.*

40. Vitium ventris et gutturis non solum minuit ætatem hominibus, sed etiam aufert. *Tull. pro M. Cal.*

Vide etiam in tit. Abstinentia et Avaritia, núm. 1, 18. in tit. Conversatio, núm. 29, 30, 32, 33. in tit. Delitiæ núm. 13. in tit. Devotio, núm. 12. in tit. Discretio, núm. 13. in tit. Divitiæ, núm. 27. in tit.

Ebrietas, et Gloria vana et Jejunium. núm. 16. in tit. Peccatum, núm. 14. in tit. Sobrietas et Temperantia, núm. 4. in tit. Vitium, núm. 2, 6.

HÆRESIS.

1. Hærelicus est, qui pro alicujus temporalis commodi, et maximè gloriæ principatusque sui gratia falsas ac novas opiniones gignit, vel sequitur. *Aug. de diffinit.*

2. Hærelicus est qui conceptam novi erroris perfidiam pertinaciter defendit. *August.*

3. Schisma est eadem opinantem atque eodem ritu colentem, quæ cæteri, solo aggregationis delectari desiderio. Hæresis vero divisa opinatur ab his quæ catholica credit ecclesia. *Aug. cont. Faustum.*

4. Si quis sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem tanta solicitudine veritatem corrigi, parari, quum adinvenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. *Aug. ibid.*

5. Hæc est fides, Papa beatissime, quam in catholica discimus ecclesia, in qua si minus perilè, aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem et sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel malevolum, vel etiam non catholicum seu hæreticum comprobabit. *Hier. in epist.*

6. Resecandæ sunt putridæ carnes, et scabiosa ovis ab ovili repellenda est, ne tota domus massa et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria una scientilla fuit, sed quia non statim opressus est, totum orbem ejus flamma populata est. *Hieronym.*

7. Quicumque aliter scripturam intelligit, quam sensus spiritus sancti efflagitat, à quo scriptura est: licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. *Ibidem.*

8. De intelligentia hæresis, non de scriptura est: sensus, et non sermo fit crimen. *Hilar. 2. de trinit.*

9. Plus longe nocet falsus catholicus, quam si verus appareat hæretlicus. *Bern. super Cant.*

10. Sicut cavendi sunt, qui habent speciem bonæ vitæ, propter dogma nequitiæ: sic et hi, qui integræ fidei et doctrinæ sunt, et turpiter vivunt. *Chrys. super Matth.*

11. Schisma est error pertinax, Catholicam pacem in singulari perturbans ecclesia. *Hugo.*

Vide etiam in tit. Detractio, núm. 5. et in tit. Error, per totum.

HOMICIDIUM.

1. Qui sine publica administratione maleficum interfecerit, velut homicida judicabitur, et tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam usurpare non timuit. *Aug. lib. 5. de Civ. Dei.*

2. Homicida dicitur diabolus: non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, verbum seminavit et occidit. Noli ergò te putare non esse homicidam, quando fratri tuo male persuadeas. *August. super Joan.*

3. Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, et tacentes videmus. *Greg. super Ezech.*

4. Qui bonum odit in homine, numquid homicida poterit appellari? adhuc vivit homo, et ille jam reus est mortis. *Bern. in quodam serm.*

5. Non interest, quis occidat, si innocentem aliquis occidendum esse pronuntiat. *Cass. super psal. 62.*

HOMO.

1. Homine nulla immanior fera, si sibi relinqueretur. *Aug. de Civ. Dei. c. 24.*

2. Homo etsi sine peccato esse possit, nemo tamen est, qui sit. *Idem de spiritu et anima.*

3. Proclivis et mutabilis est in utrumque humana

conditio, ut quocumque intenderit, eò perpendat et vergat vel ad studia virtutum, vel ad illecebras delictorum. *Ambr. lib. de Joseph.*

4. Ad hoc homo positus erat in paradiso, ut si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis adstringeret, ad cœlestem angelorum patriam, quandoque sine carnis morte transiret. *Greg. lib. 2. dial.*

5. Homo ad contemplandum creatorem suum conditus est. *Greg. 8. moral.*

6. Quia homo de humo sumptus est, judicia Dei discutere illius non est. *Idem 11. moral.*

7. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* In quo honore habitabat? in paradiso et in loco voluptatis conversatio ejus nihil molestiæ, nec indigentiæ sentiebat: odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria et honore coronatus, et constitutus super opera manuum plasmatoris: magis autem ob insigne divinæ similitudinis præcellebat, et erat illi sors ac societas cum plebe angelorum, et cum omni militia cœlestis exercitus, sed mutavit istam gloriam *in similitudinem vituli comedentis fœnum. Aug. super Cant.*

8. Heu tristis et lachrymosa mutatio, ut homo paradisicola, terræ Dominus, cœli civis, domesticus Domini Sabaoth, super Deorum spirituum et cœlestium virtutum cohæres, repentina se conversione invenit, et propter infirmitatem jacentem in stabulo, et propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, et propter indomitam feritatem alligatum præsepio! sicut scriptum est, *in camo et fræno maxillas eorum constringe*, etc. *Bern. ibid.*

9. Video hominem prius quatuor virtutibus amictum: quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, veritas docebat, justitia regebat, pax fovebat. *Bern. ibid.*

10. Animalia fecit Deus propter hominem, hominem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum? *Chrys. super Matth.*

11. Omnem creaturam sensibilem Deus armatam

et munitam creavit, alios veloci pedum cursu, alios unguibus, alios pennis, alios cornibus, hominem solum sic disposuit, ut virtus illius sit ipse Deus, et in eo, qui inferiorem eum fecit, in ipso fortiorem esse voluit in se, ut necessitate infirmitatis coactus, semper necesse habeat Dominum suum requirere. *Chrys. super Matth. 7*

12. Præ omnibus malis, homo est pessimum malum. Quælibet bestia unum habet, et proprie malum, homo autem omnia: diabolus enim ad justum accedere non audet, sed malus homo non timet, sed contemnit. *Ibidem.*

13. *Comparatus est homo jumentis*, etc. Pejus est comparari, quam nasci: naturaliter non habere rationem, tolerabile est: hominem vero ratione decoratum irrationabili naturæ comparari, voluntatis crimen est. *Chrys. in hom. de ascens.*

14. Qui usum vestimentorum prius adinvenit, consideravit quod singula quæque nascentium, propria quædam habebant munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, piscem squama operit: lana ovem induit, pilus jumenta et feras vestit: concha testudinem excipit: ebur elephantem jacula non timere facit: nec tamen sine causa factum est, quod cum singula animalium naturæ suæ arma habent secum nata, solus homo inermis nascitur et nudus. Oportuit enim, ut illis, quæ sibi prævidere nesciunt, natura consuleret: homini autem ex hoc etiam major experiendi occasio præstaretur, cum illa, quæ cæteris naturaliter data sunt, propria sibi ratione inveniret: multo enim magis enitet nunc ratio hominis, hæc eadem inveniendo, quam habendo claruisset: nec sine causa proverbium sonat: quod ingeniosa fames omnes excuderit artes. *Hug. in didas. lib. 1.*

15. Vide homo, dicit mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me: servio tibi, quia factus sum propter te, ut servias illi, qui fecit et me et te: me propter te, et te propter se. Si sentis beneficium,

redde debitum: si accipis benignitatem, redde charitatem. *Hugo ex Plin. lib. 8.*

16. * Universis animalibus data est ratio: brutis tantum ad vitam tuendam: homini autem ad propagandam. *Lactant.*

17. * Omne hominum genus etsi ignoret, qualem Deum habere debet, tamen habendum scit. *Id. lib. 1.*

18. Principium jure tribuetur homini, cujus causa videtur cuncta animalia genuisse natura, magna et sæva mercede, contra tanta sua munera, ut non satis æstimare parens melior homini, an tristior noverca fuerit: ante omnia unum animantium cunctorum alienis velut opibus, cæteris varie tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera. Truncos etiam arboresque, cortice interdum gemino à frigoribus et calore tutata est, hominem tantum nudum, et in nuda humo natali die abjicit ad vagitum statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, et hoc prolinus vitæ principio. *Plin. hist. nat. lib. 7.*

19. Ne feras quidem inter nos genitas vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus: at homo infeliciter natus jacet manibus pedibusque devinctus. Flens animal cæteris imperaturum á supliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est: heu dementiam ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos: prima roboris spes, primum temporis munus quadrupedi similem facit. *Ibidem.*

20. Cætera videntur sentire naturam suam: alia pernicitatem usurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare: hominem nihil scire sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliquid naturæ sponte, quam flere. Itaque multi extitêre, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocyssime aboleri. Uni animantium luctus datus est, uni luxuria, et quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra: uni ambitio, uni avaritia, uni immensa vivendi cupido, uni superstitio, uni sepulturæ cura, atque etiam post se defuturæ. Nulli tamen vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior. *Plin. ibid.*

21. Cætera animantia in suo genere propriè degunt: congregare videmus et stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat: serpentum morsus non petit serpentes, nec maris quidem belluæ ac pisces, nisi in adversa genera sæviunt: at homini plurima ex homine sunt mala. *Ibidem.*

22. Infructuosa intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit, damno afficit possidentem, ac si excidere istam lucrum est, istam non habere commodum est: sic homo utique, qui naturæ donum, munus animæ rationis beneficium, excellentiam sensus, judicium mentis, artis industriam, culturæ bonum steriles atque inopes actus evertit, occupat, mergit auctori fructum, cultori gratiam negat: unde sicut arbor è terra, sic ista vita meretur excidi. *Pet. Rav. super illud ex Cicer. inu. etc.*

23. Fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim, bestiarum more, vagarentur, et sibi victo ferino vitam propagabant, nec animi ratione quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant, nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur. Nemo nuptias viderat legitimas, non certos liberos inspexerat quisquam, non jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. *Tull. in prolog. de invent.*

24. Quo tempore vir quidam magnus et sapiens cognovit, quæ materia esset, et quanta ad maximas res opportunitas animis inesset hominum: si quis eam possit elicere, et præcipiendo meliorem reddere, qui dispersos homines in agris et in tectis sylvestribus abditos, ratione quadam compulit in locum unum, et congregavit, et eos in unamquamque rem utilem atque honestam inducens, ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos: at mihi videtur quidem hoc nec tacita, nec inops, dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines á consuetudine subito converteret, et ad diversas rationes vitæ traduceret. *Cicer. ibid.*

25. * Hoc natura præscribit, ut homo homini, qui-

cumque sit, ob eam ipsam causam tantum quod homo est, consultum velit. *Idem. 3. Offic.*

26. * Sunt in terra homines, ut incolæ et habitatores, sed quasi ut spectatores superarum rerum atque cœlestium. *Idem 2. de Leg.*

27.* Homo est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ et calamitatis trutina: reliquum vero pituita et bilis. *Arist. apud Stob.*

28. Omnis suo bono constat vitæ fertilitas, commendat vinum sapor, et velocitas cervum, quam fortia dorso jumenta sint, quæris. In cane sagacitas prima est, si feras investigare debet: cursus, si consequi: audacia, si mordere, et invadere. Illud cuique optimum esse debet cui nascitur, quo censetur in homine: optima quidem est ratio: hæc antecedit animalia cætera, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus satis superque communia sunt. Est fortis, videlicet et leones: formosus est et pavones: velox est, et equi, corpus habet, et arbores: habet impetum ac motum voluntarium, et bestiæ et vermes: habet vocem, sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem et nobiliorem lusciniæ? *Senec. 79. epist. ad Lucill.*

29. Quod in homine proprium ratio, hæc recta et consummata hominis felicitatem implevit: ergo si omnis res, quum bonum suum perfecerit, laudabilis est, et finem suæ naturæ tetigit: hæc ratio perfecta virtus, eademque honestum est. Id itaque unum bonum in homine est, quod hominis est. *Ibidem.*

30. Si quis omnia alia habeat, valetudinem, divitias, imagines multas, frequens atrium: sed malus ex confesso sit, improbabis illum. Item si quis nihil quidem illorum habeat, quæ retuli, careat pecunia, clientum turba, nobilitate avorum et proavorum serie, si ex confesso bonus sit, probabis illum. Ergo hoc unum bonum hominis, quod qui habet, in omnium aliorum copia damnatur atque rejicitur. *Ibidem.*

31. Quæ conditio rerum, eadem hominum est. Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore celata est, neque fiscis atque opibus regiis pressa est: sed stabilis et firma, et juncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris, solida gubernaculo parens, velox et non sentiens ventos. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balteus, nec cujus vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secundum subtilis acies est, et mucro munimentum omne rupturus. Regula, non quam formosa, sed quam recta sit, quæritur, eo quidem laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret quantum fœneret, à quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quam bonus sit: bonus autem est, si ratio explicita et recta est, et ad naturæ suæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc est honestum et unicum hominis bonum. *Ibidem.*

32. Quid autem sit vir bonus, dicam. Vir bonus quod honeste se facturum putaverit, faciet sine pecunia: si laboriosum erit, faciet, etiamsi damnosum sit: faciet etiamsi periculosum erit. Rursus quod turpe erit non faciet, etiamsi pecuniam afferat, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam, ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe invitabitur. *Ibidem.*

33. Quies tibi, non desidia sit, et quum ab aliis luditur, tu sancti aliquid honestique tractabis. *Senec. in Proverb.*

34. Sicut formosa pictura est, quum nulla pars errat: sic et formosus homo, in quo nulla pars peccati fœda est.

Vide etiam in tit. Ascensio, núm. 19. in tit. Bonum, núm. 4. in tit. Miseria, núm. 8, 10, 11, 12, 13, 14. in tit. Mors, núm. 2, 4. in tit. Natura, núm. 7. in tit. Regimen, núm. 9. in tit. Voluntas, núm. 18.

HONOR.

1. Remotis obstaculis insanæ opinionis, scelera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallatiæ tegmina, et vanæ laudes et gloriæ auferantur: et apparebunt miseriæ peccatorum. *Aug. lib. 3. de civ. Dei.*

2. Gloriam et honorem non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Unde honores quos expetunt multi, Cato petere non debuit, sed eos civitas, ob ejus virtutem non petenti dare. *Aug. ibid. lib. 5.*

3. Rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium honoris non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. *Aug. lib. 4. de civ. Dei.*

4. Ubi honor non est, ibi contemptus est, ubi contemptus, ibi frequens injuria, ibi et indignatio: ubi indignatio ibi quies nulla: ubi quies nulla, ibi mens á proposito sæpe dejicitur: ubi autem per inquietudinem aliquid auferlur, ex studio minus fit ab eo, quod tollitur, et quod minus est, perfectum dici non potest. Ex hac suppntatione illa sententia nascitur, Monachum in patria sua perfectum esse non posse: perfectum aut esse nolle, delinquere est. *Hier. in epist.*

5. Non est dignum, ut inde exigas honorem, unde refugis laborem. *Ibidem.*

6. *Dejecisti eos, dum allevarentur*: quum allevatur, dejicitur, qui honoribus proficit, et moribus cadit. *Greg. in re.*

7. Dum mali præpositi suum contra veritatem honorem exigunt, a omni rectitudine sequentium corda subvertunt. *Greg. in moral.*

8. Prædicatores boni et honorem propter elationem fugiunt: et honorari tamen propter imitationem volunt. *Ibidem.*

9. ' Honor malis exhibitus in eorum commutatur ruinam. *Greg. in 7. moral.*

10. Differentia dignitatis facta est inter sanctos, ut unus sit episcopus, alius minister: contumacia carnis

coëgit, et perversitas mundi, et operatio inimici, honores, ut videantur esse, sed re vera non sunt, imo ministeria. *Chrys. super Matth.*

11. Quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem: non enim qui major fuit in honore, ille major: sed qui justior, ille major. *Ibidem.*

12. Honor verus virtus animi est: hic honor, nec à Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur, nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti: hujus honoris successor est: nullus est accusator: nullus ingratus. *Chrys. de rep. lap.*

13. Honoris magnitudo his, qui pro digno vivunt honore, stimulus esse incipit pœnarum. *Chrys. super Matth.*

14. Episcopus si debitum honoris non acceperit á presbytero, aut presbyter si non acceperit á diacono, aut diaconus á lectore, irascitur et turbatur: si autem viderit episcopus presbyterum, aut presbyter diaconum circa obsequium ecclesiæ non permanentem, aut alias peccantem in Deum, neque irascitur ei, neque curat, quia omnes quidem de suo honore soliciti sunt, de honore autem Dei nullus. *Ibidem.*

15. ' Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *Bern. in Cant.*

16. Christus ad sanandum filium reguli ire noluit, ne divitias honorare videretur: ad servum vadit, ne servilem conditionem sprevisse putaretur. In hoc superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur. *Beda.*

17. Qui primatus sui auctoritatem perdit, in despectionem et angustiam se mittit: qui autem locum suum sapienter custodit, se ac suos ad profectum dirigit. *Glo. super ill. Eccl. 25. Melius est, ut filii, etc.*

18. Quidam honores fugiunt, ut honoribus obvient: subesse fugiunt, ut possint præesse. Sæpè enim gloria, ut acquiratur, contemnitur: et mundus, ut obtineatur, relinquitur. *Hugo.*

19. Parati filii hominum ad honores angelicis humeris formidandos: non tamen virgula debet esse, cui domus innititur, nec vitulus, sed bos ad aratrum ponitur. *Ibidem.*

20. Decet quidem cunctos patriæ suæ augmenta cogitare, sed eos maxime, quos Respublica sibi summis honoribus obligavit: quia rectum est, ut eum necesse sit plus debere, qui visus est majora suscipere. *Cass. lib. 4. epist.*

21. Dignum enim videtur, ut qui est scientia præditus reddatur honore reverendus. *Ibidem.*

22. Honor est premium virtutis, studio judicioque civium ad aliquem delatum. *Cicer. de clar. Or.*

23. Gloriam et honorem et imperium bonus et ignavus æque sibi exoptat. Bonus, vera via nititur, sed ignavus, quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. *Sallust.*

24. Abstrahunt nos à certo divitiæ, honores, potentia, etc. quæ in opinione nostra chara sunt pretio suo vilia: nihil habent magnificum, quo mentes nostras in se trahant, præter hoc quod mirari illa consuevimus: non enim quæ concupiscenda sunt, laudantur: sed concupiscuntur, quia laudata sunt. *Seneca 82. epist.*

25. Quæcumque videntur eminere rebus humanis, quamvis pusilla sint, et comparatione humillimorum, difficiles ac arduos tramites habeant, confragosa in fastigium dignitatis via est: hac tamen scandere hunc verticem libet, cui fortuna se submisit: omnia quidem sub te, quæ pro excellentissimis habentur aspice, et tunc venies ad summam per planum. *Sen. 85. epist.*

26. Cum velis veram hominis æstimationem habere, et scire qualis sit, nudum inspice: deponat patrimonium, deponat honores, et alia fortunæ mendacia; corpus ipsum exuat, animum intuere, qualis, quantus sit, alieno aut suo magnus. *Senec. 77. epist.*

27. Homines candidatos viros bonos dicimus, quomodo obvios, si nomen non occurrit, duos salutamus. *Senec. epist.*

28. Pecunia ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit. *Senec. in epist.*

Vide etiam in tit. Acceptio, núm. 1, 8. in tit. Adulatio, núm. 21. in tit. Ambitio, núm. 11. in tit. Amicitia, núm. 31, 33. in tit. Avaritia, núm. 52, 53. in tit. Creatio, núm. 1, 4. in tit. Divitiæ, núm. 15. 32. in tit. Gloria vana, núm. 4, 20, 26, 27. in tit. Homo, núm. 7, 13. in tit. Martyrium, núm. 1. in tit. Prædicatio, núm. 24. in tit. Prælatio, núm. 58. in tit. Reverentia et Sacerdos, núm. 1, 4. in tit. Solemnitas, núm. 4. in tit. Solicitudo, núm. 18.

HONESTAS.

1. Tanta est probitatis vis et honestatis, ut omnis vel penè omnis ejus laude moveatur humana natura, nec usque adeo sit turpitudine vitiosa, ut totum amittat sensum honestatis. *Aug. lib. 2. de Civ. Dei.*

2. Tantus splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiat tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentiæ. *Amb. lib. 2. de Offic.*

3. Nihil turpe faciendum bono viro, etiamsi ex omni parte lateat, etiamsi omnes Deos hominesque celare possimus. Nihil tamen in nobis avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. Sapientis enim est proprium, nihil quod pœnitere possit facere, nihil injuste, sed splendide, constanter graviter, honeste omnia. *Tull. 3. de Offic.*

4. Ecce torpent ingenia desidiosæ juventutis, nec in unius honestæ rei labore vigilatur: somnus langoorque et somno et languore turpior, malarum rerum industria invasit animos, cantandi saltandique obscœna studia effœminatos tenent: et ad muliebres blanditias extenuare vocem, mollitia corporis certare cum fœminis, et immundissimis se extollere immunditiis, nostrorum adolescentium specimen est, qui sunt expugnatores alienæ immunditiæ, pudicitiæ, negligentes suæ. *Senec. in Rhet.*

5. Ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod com-

mittere etiam inimico tuo possis. *Senec. in epist.*

6. Melius probas honesta, quam sequaris. Vides ubi posita sit felicitas, sed ad illam pervenire non audes. *Senec. 20. epist.*

Vide etiam in tit. Clericus, núm. 1. in tit. Conscientia, núm. 25. in tit. Conversatio et Divitiæ, núm. 15. in tit. Doctrina, núm. 2. 10. in tit. Homo, núm. 31, 32, 34. in tit. Lascivia, núm. 4, 5. in tit. Modestia et Temperantia, núm. 17.

HOSPITALITAS.

1. Disce, christiane, sine discretione exhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauseris, cui humanitatem negaveris, ipse sit Deus. *Aug. con. hæres.*

2. Obsecutus Loth angelis tanquam peregrinis consuetudine hospitalitatis, liberatus à periculo civitatis, et temporale evasit incendium, et æternum consecutus est præmium. *Ibidem.*

3. * Hospitalitatis officio ad Christi cognitionem venimus. *Idem 2. qu. Evang.*

4. Tanta est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ á præmiis remunerationis immunis sit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit: vides quia Loth angelos recepit: unde scis an et tu quum suscipis hominem, suscipias Christum: licet in hospite Christus sit, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait: *Hospes fui, etc. Ambr. de Offic.*

5. Est publica species humanitatis, ut peregrinus in hospicio non egeat: suscipitur officiose, ut pateat advenienti janua. *Ibidem.*

6. Ut humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentes hospitium, et egenum sine tecto inducat in domum suam: nec solus devoret bona Christi, quæ ei largita sunt bonitate Christi, ut cum hilarem datorem diligat Christus, sine murmure retribuat pauperibus Christi. *Ambr. in suo past. super illud ad Tim. 1. Hospital.*

7. Hospes per famam eligendus est populi, et judicio vitiorum: prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur. *Hier. super Matth. 10.*

8. Qualem mercedem habet qui propter Deum peregrinatur, talem habet qui suscipit peregrinantem, et fiunt ambo æquales, et qui propter Deum refrigerat, et qui propter Deum laborat. *Chrys. super Matth. 11.*

9. Socrates cum hospites suos satis tenui cæna susciperet, et amicus ejus hoc ei improperaret, respondit: Si boni viri sunt, æquanimiter ferent: si mali, non curabunt. Si res tua tibi non sufficit, tu parcendo fac, ut rei sufficias tuæ. *Senec.*

Vide etiam in tit. Christianus, núm. 6. in tit. Sapientia, núm. 3.

HUMILITAS.

1. Discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare: non in ipso mundo miracula facere, et mortuos suscitare: sed quod mitis sum et humilis corde. Cogitas magnam construere fabricam celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. *Aug. de verb. Dom.*

2. * Humilitate omnia facta nostra condiantur. *Aug. epist. 18.*

3. Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non ascendere: á gradu incipe et ascendisti. *Ibidem.*

4. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia depravata corrigentem! quæ superbia sanari potest, si humilitate filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia filii Dei non sanatur? *Ibid.*

5. Non aliam tibi ad capescendam et obtinendam veritatis viam invenias, quam quæ monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit in-

firmitatem. Ea autem prima est humilitas, et quoties interrogares, secunda humilitas, et tertia humilitas, et quoties hoc interrogares, dicerem: alludens dicto cujusdam petentis à quodam philosopho, quod esset melius in rhetorica, respondit: prima eloquentia, secunda eloquentia, tertia eloquentia, et sic etc. *Aug. in epist. ad Diosc.*

6. Excelsa est patria, humilis est via: ergo qui quærit patriam, quid recusat viam? *Aug. super Joan.*

7. Qui paupertate contentus est, non est contentus injuria: et qui potest ferre verberum pœnas, exagitatur verbo contumeliæ: et qui potest administrationes contemnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. Grande est in hominibus tenere humilitatis mensuram. *Ambr. super Luc. lib. 7.*

8. Bona humilitas nihil appetendo, totum quod contemnit adipiscitur. *Ibidem.*

9. Nihil excelsius humilitate, quæ quasi semper superior nescit extolli: quia nemo id affectat, quod infra se judicat. *Ibidem.*

10. Quisquis cupit divinitatis tenere fastigia humilitatis ima sectetur. Quicumque vult fratrem prævenire regnando, prius illum præveniat, obsequendo, sicut ait Apostolus, *honore invicem prævenientes*. Vincat eum officiis, ut possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequium meretur, ut diligas. Quid si forsitan læsit, magis obsequium meretur, ut vincas. Hæc enim nostra christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad injuriam, is potentior constituetur in regno. *Ambr. in quodam ser.*

11. Non inducta humilitas, sed quæ habeat sui modestiam et scientiam, laudatur. Scio humiliari: id est, in quo loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere: nescivit Pharisæus humiliari, ideo dejectus est. *Ambr. lib. de Offic.*

12. Sæpe flectit humilitas, quod nec virtus potuit superare, nec ratio. *Ambr. in quadam epist.*

13 Nihil est quod nos ita et hominibus gratos

et Deo faciat, quam si vitæ merito, non magni sed humilitate infimi simus. Humilitatem sequere, non quæ ostenditur, aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimatur. Aliud enim est virtutem habere: aliud virtutis similitudinem. Multo illa deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet, nescio enim quomodo turpia sunt vitia, quum virtutum specie celantur. *Hier. ad celant.*

14. Humilitas sola est observatrix custosque et nihil est, quod ita Deo gratum faciat et hominibus, quam si vitæ merito non magni, sed humilitate infimi videamur. *Hier. super Matth. 19.*

15. Tanto fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quanto propter eum vilior sibi. *Greg. lib. 18. moral.*

16. Quum per tentationem humilitas prospicit, prospera est illa adversitas, quæ mentem ab elatione custodit. *Greg. lib. 26. moral.*

17. Quia origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat: à qua nimirum, si abscinditur, arescit: quia vivificantem se in infimis humorem charitatis perdit. *Greg. lib. 27. moral.*

18. Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. *Greg. ho. 6.*

19. Certe si nos cujuspiam servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cœlo venit, qui servo in terra occurrere non despicit, et tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus. *Greg. ho. 27.*

20. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*: aliter olet flos uvæ: qui magna est virtus ejus: et opinio prædicatorum, quæ inebriat mentes audientium: aliter flos olivæ, quia suave est opus misericordiæ, quæ refovet et lucet: aliter flos rosæ quia myrrha est fragans, quæ rutilat et redolet ex cruore mar-

tyrum: aliter flos lilii, quia candida vita carnis de incorruptione virginitatis: aliter flos violæ quia virtus humilium, qui ultima loca tenentes, se à terra in altum non sublevant, et cœlestis regni purpuram in mente servant: aliter redolet spica, quum ad maturitatem producitur, quia bonorum operum perfectio, societatem eorum, qui esuriunt justitiam, præparat. *Greg. super Ezech.*

21. Humilitas vera est, qua quis de se parva æstimat, et bona alterius sine invidia et livore commendat. *Greg.*

22. Describitur Job tentatus, sed non tentatione prostratus: ut et majorum virtus spem nostram foveat, et majorum casus ad cautelam nos humilitatis attingat: quatenus dum illa gaudentes sublevant, ista metuentes premant. *Greg. in moral.*

23. Quisquis nunc sponte se non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat. *Greg. lib. 8. moral.*

24. Perit omne, quod agitur, si non in humilitate custoditur. *Ibidem.*

25. Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cogitatione sibimetipsi vilescit. *Bern. de 12. grad. hum.*

26. Non magnum est esse humilem in abjectione: magna prorsus et rara virtus humilitas honorata. *Ber. super Missus est.*

27. · Honorari appetunt multi in schola humilitatis. *Ibidem.*

28. Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. *Ibidem.*

29. Cum ex aliis quibuscumque bonis, capere soleat incrementum superbia, sola humilitas omnium propugnaculum, turrisque virtutum, ejus forsitan resistit malitiæ, obviat præsumptioni. *Bern. in epist.*

30. Bona humilitas, quæ et in præsenti ab hujusmodi mordacibus curis mentem facit quietam: et à minacibus pœnis in futuro securam reddit conscientiam. Humiliatio via est ad humilitatem: sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Solus qui vere humilis est, parcit animæ suæ: qui ne putetur, quod non est, semper, quantum in se est, vult nesciri, quod est. *Ibidem.*

31. Humilis debet esse et verecunda satisfactio, qua emendatur superba transgressio: nec sterilis verecundia grata est, nec humilitas præter veritatem illaudabilis est. *Bern. super cant.*

32. Oportet humiliter sentire de se nitentem ad altiora: ne dum supra se attollitur, cadat à se: nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus, quia nisi humilitatis merito, maxima minime obtinentur. *Bern. ibid.*

33. Quum te humiliatum videris, habeto illud signum in bonum omnino argumentum gratiæ propinquantis. Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii et libenter: primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi. *Ibidem.*

34. Est humilitas, quam veritas nobis parit et non habet calorem: et est humilitas, quam charitas format, et inflammat: hæc quidem in affectu, illa in cogitatione consistit. In eo, qui graviter peccavit, et si amanda, non tamen admiranda humilitas. Sed si quis innocentiam retinet, et nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi: et ideo beata, quæ utramque retinuit. *Bern. super ser. 46.*

35. Fode in te fundamentum humilitatis, et pervenies ad fastigium charitatis. Vis capere celsitudinem Dei? cape prius humilitatem Christi. Sola est virtus humilitatis reparatio læsæ charitatis. *Bern. in epistola.*

36. Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu summi Pontificis, quam humilitas, nempè si amittitur, illa virtutum aggregatio non nisi ruina est. *Ibid.*

37. · Humilitatis summa in eo consistit, si voluntas nostra per omnia divinæ voluntati subjecta fuerit. *Bern. de sup. nost. vol.*

38. Sola, quæ non solet gloriari non novit præ-

sumere: contendere non consuevit, gratiam inventura est in oculis pietatis humilitas: non contendit judicio, non pretendit justitiam, quæ verè humilis est. *Bern. in epist. 42.*

39. Velle esse super omnes, vituperabile est: sustinere autem alterum super se, nimis gloriosum. *Chrys. super Matth. hom. 3.*

40. Qui humilis est corde, et indigniorem se aliis arbitratur, nunquam desiderat superior apparere: primatus enim fugientem desiderat, desiderantem se horret. *Chrysost.*

41. Quisquis gradus propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultum in moribus diligentissimè teneat. Nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis fastigio tumoris pondere cadit. *Chrys. in suo policratico lib. 4.*

42. *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Ecce mel humilitatis, cum dulcedine mansuetudinis: sicut enim mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diversitatibus specierum: sic ex humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum. *Hug. lib. 5. de claustro anim.*

43. Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis, voluntaria mentis inclinatio. *Hugo.*

44. Nullo modo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi prius jacta fuerint veræ humilitatis in corde nostro fundamenta, quo firmissime collocata perfectionis et charitatis culmen valeant sustinere. *Joan. Cass. lib. 12. de spirit. superbia.*

45. Vera discretio non nisi vera humilitate acquiritur. Hæc erit prima probatio, si universa non solum quæ agenda sunt, sed etiam, quæ cogitantur, referantur seniorum examini: ut nihil quis suo judicio credens, illorum per omnia diffinitionibus acquiescat: et quod bonum vel malum debeat judicare, et eorum traditione cognoscat. *In collationibus patrum collatione Moysi.*

46. Humilitas in paupere grata est, in divite gloriosa: humilitas inter inimicos blanda: superbia vero inter amicos ingrata. Blanda est et officiosa semper humilitas, in amicitiis grata: in contumeliis otiosa, non extollitur prosperis, non mutatur adversis, non extorquet servitium, non requirit voces adulantium, nisi quam se laudatione novit indignum. *Val. Epist. in quodam serm.*

47. Tria sunt, quæ radicata nutriunt humilitatem, scilicet assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, et consideratio rei melioris. *Basil. in hexam.*

48. Erubescant elati: ubi credunt locum habere superbiam, cum cœlum et terram ab humilitate videant occupatam. *Cass. super illud Psal. et hum. resp.*

49. Per humilitatem membra Christi sciunt diaboli vicisse superbiam. Per hanc fideles supra regna proficiunt: per hanc superbia tyrannica superatur: per hanc in æternum martyres coronantur: nec potest dici perfectus, qui hac virtute est privatus. *Cass. super ill. Psalm. Humiliatus sum usquequaque.*

50. * Nulla tanta humilitas est quæ dulcedine gloriæ non tangatur. *Val. Max. lib. 8.*

51. * Humilis satis est, qui æquo jure satis vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo etiam. *Livius. 1. Dec. lib. 5.*

Vide etiam in tit. Confessio, núm. 11. in tit. Conscientia, núm. 15. in tit. Consideratio et Contemplatio, núm. 2. in tit. Correctio, núm. 16, 40, in tit. Exemplum, núm. 27. in tit. Honor, núm. 11. in tit. Justitia, núm. 10. in tit. Juventus, núm, 2. in tit. Laus, núm. 11. in tit. Maria, núm. 33. in tit. Modestia, núm. 8. in tit. Paupertas, núm. 19. in tit. Periculum, núm. 6. in tit. Prædicatio, núm. 35. in tit. Prælatio, núm. 38. in tit. Sapientia, núm. 34. in tit. Superbia, núm. 9. 32, 46. in tit. Voluntas, núm. 31.

HYPOCRISIS.

1. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas: quia iniquitas est et simulatio. *Aug. super Psalm. 25.*

2. Quisquis appetit videri, quod non est, hypocrita est, simulat enim justum, nec exhibet: quia totum fructum in laude hominum ponit. *Aug. in lib. de ver. dom. in monte.*

3. Seneca eo damnabilius colebat idola, quo illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut cum populo veraciter agere existimaretur. *Aug. lib. 6. de civ. Dei.*

4. Hypocrita qui latine dicitur simulator, avarus est: qui dum inique agens, desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ. *Glo. Aug. super illud Job. 27. Quæ est.*

5. Quam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispergit callidissimus hostis, circumeuntes provincias, omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. *Aug. lib. de operib. monach.*

6. Cum cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse est ut appareat utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua. *Aug. super illud Matth. 7. Qui veniunt, etc.*

7. Latet plerumque sub tristi amictu lascivia, et deformis horror vili veste obtegitur, ut secreta petulantium tegantur animorum. *Ambr. in quod. serm.*

8. Si castum me simulo, et aliud est in conscientia, habeo gloriam mercenariam, sed supplicia peccatoris: et in comparatione duorum malorum, levius est in alium aperte peccare, quam simulare et fingere sanctitatem. *Hier. super Esa. lib. 6.*

9. Quia strepitu labiorum benedicunt Dominum, et immunda mente veritati interius contradicunt. *Hier. super illud Matth. 6. Populus hic, etc.*

10. Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, monstrum est, velut quædam bestia compacta, secundum illud Poëticum, Leo, pars prima, draco, media ipsa chimæra. *Hier. in quadam epist.*

11. Quia multi simulantes et ficti, ideo difficile invenitur in quo cor et facies, id est operatio atque doctrina in uno conveniant: quum autem hoc inve-

nies, da gloriam Deo: quia hoc ejus donum est. *Glos. super ill. Eccl. 15. Vestigium cordis boni te facientis bonum difficile invenies.*

12. *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.* Duabus quippe viis terram peccator ingreditur, quando et Dei est, quod opere exhibet, et mundi, quod per cognitionem quærit. *Greg. lib. 1. moral.*

13. Simon crucem portans nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afflicit, sed tamen per amorem gloriæ mundo vivit. *Greg. lib. 8. moral.*

14. Non indues vestem ex lana linoque contextam: per lanam simplicitas, per linum subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana. linoque contexitur, linum interius celat, lanamque exterius demonstrat. Vestem ergo ex lino lanaque contextam induit, qui in locutione vel actione, qua utitur, intus subtilitatem malitiæ cooperit, et simplicitatem foris innocentiæ ostendit. *Ibidem.*

15. Quid in cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi reverentiam honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? Ecce quomodo adulteratur liquor balsami. *Greg. ibid.*

16. Hypocrita per arrogantiam depravator, quum paratior est mori, quam corripi. *Ibidem.*

17. Hypocritæ qui etiam in peccatis gravissimis moriuntur, sanctos se esse reputant: quia sanctos se reputari æstimant. Student enim non virtutes colere, sed vitia tolerare. *Gregor.*

18. Qualis hypocrita imperitis innotescit, talis vult ab omnibus æstimari, et paratior est mori, quam corripi. Hypocrita quot viiis est plenus, quasi tot stercoribus in conspectu æterni judicis illius pectus fœtet. Hypocritarum corda diabolus tacitus tenet, et quasi ipse quietus ibi dormit: ubi eos quos possidet, quiescere non permittit. *Greg. in moral.*

19. Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate? *Greg. ibid.*

20. Hypocrisis, est virtutum simulatione clausum vitium abscondere, et arte palliare. *Ibidem.*

21. Hypocrita in laude positus, si hunc quisquam corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientis cæcat, reprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem deterior efficitur, exasperatur, in contumeliam surgit, bona opera sua in usum propriæ laudis assumit quod solius proprium est Dei, sumit in laudem sui, scilicet gloriam. *Greg. in mor.*

22. Hypocritæ quo exterius hominibus placent, eo se interius aspicere negligunt, totosque se in verbis proximorum fundunt, et sanctos se esse æstimant, quia sic se haberi ab hominibus pensant. *Greg. lib. 11. moralium.*

23. Vult hypocrita scire divina eloquia, nec tamen facere: vult docte loqui, nec tamen vivere. *Greg. lib. 15. moral.*

24. Hypocritæ ante districtum judicem excusationem de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene vivere non ignorant. *Greg. 16. moral.*

25. Omnis hypocrita corpus per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo vivit. *Greg. 4. moral.*

26. Hypocritæ per causas Dei, intentioni deserviunt sæculi, quia per ipsa quoque quæ se agere sancta ostendunt, non conversationem quærunt hominum, sed auras favorum. *Greg. 21. moral.*

27. Hypocrita, ut sine fine crucietur, vivere sine fine compellitur, ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors, vivit in pœna. Dicat ergo lucent quæ facta omnia, nec tamen consumetur, quia cruciatur, et non extinguitur, moritur et vivit, deficit et subsistit, finitur semper, et sine fine est. *Greg. lib. 24. moral. super illud Job. Luet, etc.*

28. Quid dicturi sumus, qui iniqua operibus docemus, et sola voce ea, quæ sunt justa prælendimus? ossa jejuniis alteruntur, et mente turgemus: corpus

despectis vestibus tegitur, et elatione cordis purpuram superamus: jacemus in cinere, et excelsa non despicimus, doctores humilium, duces superbiæ, ovina facie lupinos dentes abscondimus. *Greg. in reg.*

29. Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, bene vestiti sine solicitudine, delicatæ pacis sine labore: aliis adulantes, aliis detrahentes, mordaces ut canes, dolosi ut vulpes, superbi ut leones extrinsecus autem lupi rapaces, mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ, et latentis lasciviæ, ut ursi quærentes. Volunt esse sine auctoritate judices, sine visu testes: postremo falsi accusatores, et omni veritate carentes. *Bernard.*

30. Serpit hodie putrida tabes hypocrisis per omne corpus ecclesiæ, et quo tolerantius, eo desperatius, eoque periculosius quo communius. *Ibidem.*

31. Herodes devotionem promittit, sed gladium acuit, et malitiam cordis depingit colore humilitatis: hujus personam repræsentant hypocritæ, qui dum ficte Deum quærunt, illum nunquam merentur invenire. *Chrys. super Matth. 2.*

32. Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio, nam malum sub specie boni celatum, dum cognoscitur, non cavetur. *Chrys. super Matth. 7.*

33. Lupus tectus pelle ovina per vocem cognoscitur, et per actum ovis balat inclinata deorsum, lupus ululat contra cœlum: hoc superbiæ, illud humilitatis signum: ovis herbam manducat, lupus carnem. *Chrys. ibid.*

34. Hypocrita, si bonum est bonum esse, ut quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Si bonum est bonum apparere, melius est bonum esse. Si malum est malum apparere, pejus malum esse: ergo aut appare, quod es, aut esto, quod appares. *Chrysost.*

35. Tolle hoc vitium de clero, ut non velit hominibus apparere, et sine labore omnia vitia resecantur. Ex hoc vitio nascitur, ut ne velit inter se

meliorem habere. *Chrys. super Matth. ho. 5.*

36. Pharisæorum justitia erat in ostentatione operis, et non in rectitudine intentionis: in locutione, non in opere: in corporis afflictione, non in mandatorum observatione: in minoribus observantiis, relictis gravioribus legis. *Chrys. super Matth. 5. Nisi abundaverit.*

37. Hypocrita Græco sermone, in Latino simulator interpretatur, qui dum vitiis malus sit, bonum se palam ostendit. Hypocrita enim falsum criminum judicium interpretatur. *Isid. 10. Etymol.*

38. Exitus manifestat, quod à principio celabatur, et quæ dubia sunt in origine, probantur à fine. *Hug. de meditat.*

39. Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, linea sanctitatis. Hypocrisis secura simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, et crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem vacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis cognata febri, frigido poculo propinat ardorem, quod corporibus est hydropis, hoc hypocrisis animabus. Hæc enim hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata est siti. *Pet. Rav. in serm.*

40. Totius injuriæ nulla captabilior, quam eorum, qui cum maxime fallant, id agunt, ut boni viri videantur: ideo Poëta. Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes: impia sub dulci melle venena latent. *Ibidem.*

41. Præceptio cælestis vult jactantiam tollere, pompam auferre, vanitatem demere, submovere inanem gloriam: et sic justitiam vult celari. Justitia per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit. Illa verò justitia, quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectu, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam lædit et vendit, clamorem emit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit futurum, cæcat oculos, cæca ipsa non videns vult videri. *Pet. Rav. ibid.*

42. Demosthenes cum interrogaretur, quid nam in dicendo esset efficacissimum? respondit, hypocrisis: interpellatus iterum secundo et tertio idem dixit. *Val. Max. lib. 9.*

43. Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum et vitiosum caput, et negligentiorem barbam et inductum argento odium, et cubile humi positum, et quicquid ad laudem perversa via sequitur, evita. *Senec. 15. epist.*

44. Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere, intus omnia disimilia sint, frons populo nostro conveniat: non splendeat toga, nec sordeat quidem, non habeamus argentum, in quo solius auri cælatura descendit, sed non putemus fragilitatis judicium auro argentoque caruisse. *Ibidem.*

45. Nempe propositum est, secundum naturam vivere: hoc autem contra naturam est, torquere corpus suum, et fertiles odisse munditias, et squalorem appetere, et cibis non tantum vilibus uti, sed horridis. *Ibidem.*

46. Non habemus ista odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inventurum, quum intraverit præter illa, quæ in fronte suspensa sunt. *Senec. 55. epist.*

47. Multorum, quæ imbecillia sunt, latent vitia, instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tuto serpens pestifer tractatur, dum riget frigore: non desunt tamen illi venena, sed torpent: multorum credulitas, luxuria et ambitio, ut paria pessimus audeat, favor fortunæ defuit. *Senec. 42. epist.*

48. Virtutem bona sequitur fide, qui se non exornat et pingit, sed idem sive ex denuntiato videatur, sive imperatus, at subito nihil simulatio proficit. Veritas in omnem partem eadem est. *Senec. 80. epist.*

49. Vis videri ab hominibus, an non? nunquam bonæ honestatis est longa simulatio. Quid de alienis moribus et tuis judices, multi sunt obligandi, pauci sunt offerendi. *Ibidem.*

50. Multo magis ad rem pertinet, qualis tibi, quam qualis aliis videaris. *Senec. 87. epist.*

51. Nunquam bona fide vitia mansuescunt: tigres et leones nunquam feritatem exuunt: aliquando submittunt, et quum minimè expectaveris, exasperatur torvitas mitigata. *Senec. ibid.*

52. Nemo potest personam fictam diu ferre: ficta in naturam suam citò recidunt: quibus autem veritas subest, ut ita dicam, quæcumque ex solido enascuntur, in majus meliusque procedunt. *Sen. ad Neron.*

53. Malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 6. in tit. Adulatio, núm. 32. in tit. Ambitio, núm. 18, 19. in tit. Avaritia, núm. 19. in tit. Confessio, núm. 32. in tit. Conscientia, núm. 19. in tit. Contemptus, núm. 6. in tit. Conversatio, núm. 2, 37. in tit. Cor, núm. 1, 2. in tit. Correctio, núm. 25. in tit. Detractio, núm. 7. in tit. Doctrina, núm. 30. in tit. Gloria vana, núm. 9. in tit. Honor, núm. 16. in tit. Humilitas, núm. 11. in tit. Inimicitia, núm. 15. in tit. Patientia, núm. 1. in tit. Perfectio, núm. 16. in tit. Prælatio, núm. 12. in tit. Religio, núm. 13, 29, 37, 39, 40. in tit. Sacerdos, núm. 20. in tit. Superbia, núm. 17, 39. in tit. Verecundia, núm. 18.

IGNORANTIA.

1. Melius est nescire, quam errare, melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. *Aug.*

2. Pessimæ matris ignorantiæ, pessimæ itidem duæ filiæ sunt, scilicet falsitas et dubietas: illa miserior, ista miserabilior: illa pernitiosior, ista molestior. *Aug. ibidem.*

3. Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. Statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. *Ambr. super Beati immaculati.*

4. Quid enim lucem videt, scil. quod de tenebris

æstimet: nam qui candorem lucis ignorat, etiam obscura pro lucidis approbat. *Greg. in moral.*

5. * Tolerabilius est Deo, quempiam cum ignorantia in humilitate jacere, quam cum elatione alta sapere. *Greg. 17. moral.*

6. Quum nostram ignorantiam cognoscimus, levius aliena onera toleramus: nunquam Deus mentem deserit, qui in peccatis se veraciter cognoscit. *Greg. lib. 1. moral.*

7. Non est parum scire, quod nescias: frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui, ut liberius peccent, libenter ignorant vel infirmantur. *Bern. super 12. grad. humil.*

8. Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia, et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. *Bern. in epist.*

9. Utraque cognitio, Dei scilicet et tui, tibi est necessaria ad salutem, quia sicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia itidem amor: sic econtra, de ignorantia tui superbia, ac de Dei ignorantia venit desperatio. *Bern. super Cant.*

10. * Ignorantia Dei plerumque desperationem parturit. *Bern. in Cant. serm. 27.*

11. * Ignorantia sui initium omnis peccati, ignorantia Dei, consumatio omnis peccati. *Ibidem.*

12. Hebetudo mentis est acutæ rationis obtusio, carnalis intemperantiæ crassis sensibus inducta. *Hugo.*

13. Tolerabilior est pœna, vivere non posse, quam nescire. *Senec. in Prov.*

14. Non est levius omnino nescire, quod liceat, quam facere aliquid, quod scias non licere. *Sen. ibid.*

15. * Optimos ac gravissimus quisque confitetur se multa ignorare, et multa sibi etiam atque etiam esse discenda. *Cicer. 5. Tusc.*

INCARNATIO.

1. Non liberaretur humanum genus, nisi sermo

Dei dignaretur esse humanus: nam et ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet hominem, et maxime hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur, qui in domo sua suscipit hominem quam humanus est, qui in seipso suscipit hominem? *Aug. de verbis apostol.*

2. Si ergo homo non periisset, filius hominis non venisset. *Ibidem.*

3. O Judæe, citharam respice, ut musicum melos tonis dulcibus reddat. Tria pariter adesse videntur, ars, manus, chorda, et tamen unus sonus auditur: ars dictat, manus tangit, chorda resonat: nec ars, nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur. Sic nec pater, nec spiritus sanctus susceperunt carnem: et tamen cum filio pariter operantur. Sonum sola chorda exculit: carnem solus Christus accepit, operatio tribus constat. Sed quomodo pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. *Aug. de incarnatione Domini contra Jud.*

4. Dicat mihi Judæus incredulus, quemadmodum arida virga frondui, et floruit, et nuces protulit, et ego dicam illi, quomodo Virgo concepit, et peperit. Sed profecto Judæus nec virgæ poterit explicare conceptum: nec ego Virginis partum. *Ibidem.*

5. Formam viri assumendo et de fœmina nascendo, utrumque sexum hoc modo honorandum indicavit. *Aug. cont. Faustum.*

6. Si ratio queritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare: Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. *Aug. in 2. epist. ad Volusianum.*

7. Vultis, inquit, ejus saltus agnoscere? de cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepium, de præsepio, venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, et de sepulchro rediit in cœlum. *Greg. ho. 39. tractans ill. Cant. 2. Ecce iste venit saliens in montibus.*

8. Deus pater unicum filium suum in utero virginis humanæ naturæ conjungens, Deum ante sæcula sibi coæternum fieri voluit hominem in fine sæculorum: et quem sine tempore genuit, salvandis hominibus cum tempore ostendit. *Greg. lib. 2 et 6. moral.*

9. Mediator Dei et hominum, ut culpas nostræ transgressionis extingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare: et qui patri æqualis est per divinitatem, propter nos venit ad flagella per carnem, quæ nimirum flagella non susciperet, nisi formam hominis damnati redimendo sumpsisset: et nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minime veniret. *Greg. lib. 5. moral.*

10. Christus in carne natus de Virgine, contagione culpæ inquinatus non est: et tamen ultione culpæ depressus est: admissa propria non habuit, et tamen pœnam carnalium sine culpa suscepit. *Ibidem.*

11. *Christus mediator*, etc. Ut quia per ima nostra longe distabamus á summis, in seipso uno jungeret ima summis, atque ex eo nobis via redeunti fieret, in qua summis suis ima nostra copularet. *Greg. lib. 20. moral.*

12. Tria opera, tres misturas fecit omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis, ita mirabiliter singularia, et singulariter mirabilia, ut talia, nec facta sint, nec facienda amplius super terram. Conjuncta quidem sunt ad invicem, Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Verbum enim anima et caro in unam convenere personam, et hæc tria unum, et hoc unum tria sunt: nec in confusione substantiæ, sed in unitate personæ. Hæc est prima et superexcellens mistura. Secunda, est virgo et mater utique et admirabilis et singularis: á sæculo non est auditum, quod virgo esset, quæ peperit, et mater esset quæ virgo permansit. Tertia est, fides et cor humanum, et hæc quidem inferior, sed non minus forsitan fortis. Mirum enim quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit, quod Deus homo esset, quod virgo fuerit,

quæ peperisset. Sicut ferrum et testa jungi non possunt, sic hæc duo nequeunt commisceri, si non misceatur glutinum, spiritus scilicet Dei, et hæc quidem mistura excellens, secunda excellentior, sed tertia excellentissima. *Bern. serm. 10.*

13. Quanti te fecit Deus, ex his, quæ pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus in humanitate. Quanto enim minorem se facit in humilitate, tanto majorem exhibuit in bonitate: et quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Adverte homo, quia limus es: et non sis superbus, et quia Deo junctus es, non sis ingratus. *Bern. serm.* 22.

14. Venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. *Bern. admi. templi in serm.*

15. Nemo hominum novit, nec noscere potest ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes seipsam contineat hujus venerandi mysterii, scilicet humanæ redemptionis inscrutabilis altitudo. *Bern. in quadam epist.*

16. Scio quod caro verbum factum est, et quomodo factum sit, nescio, jam, quæ ego nescio, omnis creatura ignorat. *Chrys. in hom. 5.*

17. Salva proprietate utriusque substantiæ et in unam coëunte personam, suscipitur à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, et ad rependendum conditionis nostræ debitum. Nam inviolabilis natura est unita passibili, Deusque verus, et homo verus in unitate Domini temperatur, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei et hominum mediator mori posset ex uno, et resurgere posset ex altero. *Leo papa in serm.*

18. Ubi incarnatio hoc facienda contulit quod facta, et sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit, quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt prophetæ, nec sero est impletum quod semper est creditum, nec minus adepti sunt, qui in illud crediderunt promissum, quam qui susceperunt donatum. *Leo papa ibidem.*

19. Tempus restaurationis est incarnatio Verbi, cum omnibus sacramentis suis ab initio sæculi et quæ sequuntur. *Hug. lib. de sacramentis.*

20. Nulla causa veniendi fuit, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla causa est medicinæ. *Hugo ibid.*

Vide etiam in tit. Adventus et Amor, núm. 13. in tit. Angelus, núm. 14. in tit. Ascentio, núm. 11. 20. in tit. Humilitas, núm. 13, 18. in tit. Maria, núm. 6, 25, 34.

INFERNUS.

1. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Illum quippe divitem in ardore pœnarum, et illum pauperem in refrigerio gaudiorum esse intelligendos non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa divitis lingua, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse á mansuete quærentibus, contentiose autem certantibus nunquam invenitur. *August. de Gen. lib. 8.*

2. Neque enim fatigare nos debet incerta eorum pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. *August.*

3. In inferno etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis, á quibus ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit diligi, vel desiderari justitia. *Aug. de fide ad Petrum.*

4. Ita diviti illi, qui apud inferos torquebatur, fuit cura de vivis, quamvis, quid agerent, omnino nesciret; quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis, quid agunt, utique nesciamus. *Aug. de cura pro mortuis haben.*

5. Apud inferos nulla nec veritas, nec ratiocinatio est. *Aug. de ver. religio c. 51.*

6. Illa ultrix flamma vitiorum concremationem, et lumen non habet: quia quo illos gehennæ flamma devorat, á visione veri luminis cæcat, ut foras eos dolor

combustionis cruciet: et intus pœna cæcitatis obscuret, quatenus qui Auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corde et corpore puniantur, et utrobique pœnas sentiant, qui dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utroque serviebant. *Greg. 6. moral.*

7. Unus gehennæ ignis credendus est, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuscujusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentiet pœnam. *Greg. 4. Dialogo.*

8. Gehennæ ignis cum sit corporeus, ut in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur: sed creatus semel durat inextinguibilis, et successione non indiget, et ardore non caret. *Greg. 20. moral.*

9. Quisquis ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ulterius ad lucem redibit: quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat. *Greg. 9. moral.*

10. Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: tunc infinitum patens inferni barathrum devorat, quos inanis elatio nunc exaltat, atque qui olim ex vitio voluntatem hic callidi persuasoris expleverunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perveniunt. *Greg. ibid.*

11. Juxta modum culpæ pœna distinguitur, et secundum modum criminis, unusquisque damnatus in inferni igne cruciabitur. *Greg. lib. 20. moral.*

12. Sicut in hoc mundo multi sub uno Sole consistunt: nec tamen ejusdem solis æquanimiter ardorem sentiunt: quia alius plus æstuat, alius autem minus: ita illic in uno igne non unus est modus incendii, quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. *Greg. lib. 4. Dialogo.*

13. Ejicientur in tenebras exteriores, ut illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant. Nam fletus de ardore, stridor solet excitari de frigore: ibi

duplex ostenditur esse gehenna, scilicet nimii frigoris, et intolerabilis fervoris. *Greg. super illud Matth. 8. Ejicietur in teneb. etc.*

14. In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fætor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum. Erit enim miseris mors sine morte, defectus sine defectu: quia mors ibi semper incipit, et deficere nescit. *Ibidem.*

15. Ibi clamavit pilosus ad pilosum, unus ad alium, dæmon ad dæmonem: Percute, dilacera, interfice, velociter spolia detrahe, cito prædare, infer prunas, et ebullientibus impone lebetibus. *Bern. in quodam serm.*

16. Prius benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti in caminum ignis dejiciantur æterni, quo videlicet acrius doleant videntes, quid amiserint: et justi videbunt et lætabuntur considerantes, quid evaserint. *Bern. ibid.*

17. Ibi erit fletus et stridor dentium, fletus quidem ob ignem, qui non extinguitur, stridor ob vermem, qui non moritur, plane fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. *Bern. in serm.*

18. Intolerabilis res est gehenna: quis nesciat illud supplicium horribile? tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil est tale dicturus, quale est à beatæ illius gloriæ honore propelli, exosum esse Christo et audire ad illo. *Non novi vos. Chrys. hom. 28.*

19. Ignis gehennæ lucebit miseris ad augmentum, ut videant unde doleant: et non ad consolationem, ne videatur unde gaudeant. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

20. Infernus, lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. *Hug. lib. 4. de anima.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 3. in tit. Mors, núm. 18, 46. in tit. Pœna, núm. 11, 12, 15, 20, 24.

INFIRMITAS.

1. Qui veram ostendit corporis infirmitatem, humane tractandus est: qui autem falsam pretendit, et convinci non potest, Deo dimittendus est. *August. de opere monachor.*

2. Corporis debilitas nimia etiam vires animæ frangit, mentis quoque ingenium marcescere facit. Quicquid cum modo et temperamento fit, salutare est. *Hier. in quadam epist.*

3. Considerata infirmitas propria, nobis excusat aliena. *Greg. lib. 4. moral.*

4. Quosdam præsciens Deus multa peccare posse, flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent, ut eis utilius sit frangi languoribus ad salutem, quam remanere incolumes ad damnationem. *Hug. lib. 2. de anim.*

5. Quidam pro libito suo vivunt, et semper sunt vegeti, quidam á regulis Hyppocratis non deviant, et assidue sunt infirmi. *Pet. Rav. in quadam epist.*

6. In omni morbo tria gravia sunt: metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatis. *Sen. 72. ep.*

7. Morieris, non quia ægrotas, sed quia vivis. Quum convalueris, non mortem, sed valetudinem effugies. *Sen. ibid.*

8. Nihil æque sanitatem impedit, sicut remediorum crebra mutatio: non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil magis ægris prodest, quam ab eo curari, á quo voluerint. *Sen. in ep. 2.*

9. Bona valetudo jucundior est eis, qui de gravi morbo curati sunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt. *Sen. in ep.*

10. Bene dormit, qui non sentit, quam male dormit. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 30, 32. in tit. Consideratio, núm. 10. in tit. Dolor, núm. 4. in tit. Gaudium, núm. 5. in tit. Gratia, núm. 2. in tit. Gula, núm. 15. in tit. Medicina, núm. 7. in tit. Senectus, núm. 6.

INIMICITIA.

1. Ea eleemosyna nihil est majus, quam quod ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus igitur bonum est erga eum esse benevolum, qui tibi nihil mali fecit. Illud multo grandius et manifestissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et qui tibi malum vult, et si potest, facit, tu semper ei bonum velis, faciàsque quod possis. *Aug. in Enchir.*

2. Quamdiu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem Dei. Esto tibi amicus, et concordas cum ipso: sicque non solum nihil perdidisti, sed et teipsum, qui perieras, invenisti. *August. de verb. Dom. ser. 21.*

3. Si is, qui non relinquit parentes propter nomen Dei, non est Deo dignus: quanto magis qui diligit ejus inimicos, acceptus Deo esse poterit? Ipsi enim graviores inimici facti sunt. *Amb. super Beati immaculati.*

4. Inimicitiæ vitandæ cautissime, ferendæ æquissime, finiendæ citissime. *Aug. lib. 2. deor. c. 8.*

5. Virtus est coram hominibus tolerare inimicos, sed virtus coram Deo diligere, quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante oculos ejus in altari boni operis charitatis flamma incendit. *Greg. in past.*

6. Inimicos etenim Dei perfecto odio odisse est, et quod facti sunt diligere, et quod faciunt increpare, mores pravorum premere, et vitæ prodesse. *Greg. ibid. Perfecto odio oderam illos.*

7. Humana mens omnem quem inimicum tolerat, etiam iniquum et impium putat. *Greg. in moral.*

8. Frustra exteriores inimicos vincimus, si interioribus parcimus. *Greg. lib. 30 moral.*

9. Ubi amicitia permanet, nihil facile creditur, nihil facile recipitur, quo dissidium possit operari. Si vero inimicitiæ semel occupaverint animos, omnia quæ fiunt, que dicuntur, ita accipiuntur et intelli-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

guntur, ut ad majores et longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur de inimico, non creditur, si quid autem mali, hoc solum creditur et confirmatur. *Chrysost. in lib. de compunctione cordis.*

10. Gravissimum inimicitiæ genus, esse corde adversarios, et lingua simulare devotos. *Cass. super Psalm. 54.*

11. Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. *Boet. 5. de consolatione.*

12. Tacitæ inimicitiæ magis tuendæ sunt, quam indictæ et apertæ. *Cicer. in verb.*

13. Quid est homini inimicissimum? alter homo. Inimicitias tarde suscipe, amicitias moderate exerce. *Senec. lib. 1. de moribus.*

14. Cum inimico nemo in gratiam cito redit, de inimico ne dixeris male, sed cogites: gravior est inimicus, qui latet in pectore, gravius malum est omne, quod sub aspectu latet. Inimicum ulcisci, vitam est accipere alteram. Inimicum quamvis humilem, docti est metuere. Inimicum cum retineas exire inciles. Quidam occiderunt quosdam inimicos, non quia habebant, sed quia metuebant. *Senec. in prov.*

15. Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ, quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo celsitudinis nomine. Nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis et Troyanos equus idcirco fefellit, quia formam misericordiæ mentitus est. *Bernard.*

16. Sumere vindictam ex inimico, si te inimicum senserit, perdidisti: gravius adversarium securitate decipies: nocere nescit, qui se velle nocere prodiderit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 5. in tit. Amicitia, núm. 8, 25, 26, 40, 42. in tit. Dilectio, núm. 14. in tit. Divitiæ, núm. 2, 7. in tit. Mirabile, núm. 6. in tit. Odium, núm. 16. in tit. Oratio, núm. 34. in tit. Venia, núm. 6.

INGENIUM, ET ARS.

1. Nihil per aliquod ingenium ita adstruitur, quin ita acre ingenium econtra inveniat. *Aug. in ser. Glo.*

2. Apis acriter pungit, et mel conficit: sic in parvo corpore anima ingeniosa et acerrima viget, et doctrinæ suavitatem profert. *Hier. super ill. Eccl. 11. Brevis in volatilib. apis, etc.*

3. Ingenii acumen, vel tarditas præmium vel pœnam in futuro non collocat. *Hier. in epist.*

4. Abscondere talentum in terra est, acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, et non lucrum spirituale acquirere. *Chry. super ill. Matth. 25. Abiens fodit in terram.*

5. Dum ingeniosi per negligentiam in malis remanent, simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda regni æterni mœnia, virtus operationis levat. *Greg. super illud Prov. 30. Stellio manibus nititur.*

6. Semper in robusto et vegeto corpore animus mollior jacet, atque tepidum cor, et rursum in corpore debili et infirmo fortior viget et promptior spiritus. *Bern. in apolog.*

7. Sicut qui tardus est ad capiendum, pro intentione tamen boni studii præmium percipit: ita qui præstitum ex Deo sibi ingenium negligit, condemnationis reus existit: quia donum, quod acceperat, despicit, et per desidiam derelinquit. *Isid. de sum. bon.*

8. Qui Dei judicio donum scientiæ, quia negligunt, accipiunt, ut durius de rebus creditis puniantur: tardiores autem, ideo quod scire cupiunt, difficulter inveniunt, ut pro maximo exercitio laboris, maximum præmium habeant retributionis. *Ibidem.*

9. Potest ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere: potest ex deformi humilique corpusculo formosus animus magnus exire. Non enim deformitate corporis fœdatur animus, sed pulchritudine animi corpus ornatur. *Senec. epist. 77.*

10. Nullum ingenium potest esse magnum ante-

quam habeat aliquid admistum de furia. *Sen. de tranquilitate animi.*

11. Non semper ingenii vena respondet ad votum: et quandoque dicta laudabiliora casualiter scribenti se offerunt, quæ per studii vehementiam, et indaginem laboriosæ meditationis inveniri non possunt. *Pet. Rav. in quodam epist.*

12. Aculiora ingenia, et ad intelligendum apertiora eorum qui terras incolunt eas, in qui us aër sit purus ac tenuis, quam eorum qui utuntur crasso cœlo atque concreto, quin etiam quo utaris cibo, interest ad mentis aciem. *Cicer. 2. de Nat. Deor.*

13. Magno consilio factum est, ut post hominis casum, non illico Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus primum hominem in libertate sua in lege naturali: ut sic vires naturæ suæ cognosceret, ubi cum deficeret, legem accepit: qua data invaluit morbus, non legis vitio, sed naturæ, et ita cognita sua infirmitate clamaret ad medicum et diceret: *Exurge Domine adjuva nos. Bern. in meditationibus suis.*

Vide etiam in tit. Exercitatio et Sobrietas, núm. 2. in tit. Studium, núm. 5, 6, 30, 31. in tit. Vita, únm. 4.

INGRATITUDO.

1. Qui se dicit scire quod nescit, temerarius est: et qui se negat scire quod scit ingratus est. *August. serm. de ascensione.*

2. Sicut boni per contumelias meliores existunt: ita semper reprobi de beneficio pejores fiunt. *Greg. in moral.*

3. Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. *Bern. super Cant.*

4. Gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: nec modo nihil agetur ingrato, sed quod accepit, vertitur ei in perniciem: fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. *Bern. ser. 55.*

5. Perversi cordis est, occasiones ingratitudinis investigare: nemo id facit, nisi qui etiam gratis est ingratus. Peremptoria res est ingratitudo: hostis gratiæ, inimica salutis: quoniam nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, quemadmodum ingratitudo. *Bern. serm. 12.*

6. Est superbia et delictum maximum, uti datis tanquam innatis, et in acceptis beneficiis gloriam usurpare beneficii. *Bern. de diligen. Deo.*

7. Quanto majora beneficia sunt hominibus constituta, tanto graviora peccantibus judicia. *Chrys. super Matth.*

8. Nihil est quod adeo indignationem provocet altissimi, sicut ingratitudo: ipsa est malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio. *Pet. Rav. in quodam epist.*

9. Est enim benignissimi, ut arbitror, et pleni ingenii pudoris, fateri per quos profeceris: obnoxii profecto animi et felicis ingenii deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præsertim fiat ex usura sors. *Plin. in prolog. de nat. hist.*

10. Gratiarum actio est, pro gratia suscepti muneris nociva munerantis laudatio. *Tull. de Offic.*

11 Gratias Deo agere est, totum Deo, et nihil homini attribuere. *Hugo.*

12. Ingratus est adversus unum beneficium, adversus alterum non erit: duorum oblitus est, tertium in memoriam eorum, quæ exciderunt, reducet. *Sen. 1. de benefic.*

13. Quidam quo plus debent, magis oderunt, leve æs alienum, debitorem facit gravem inimicum. *Sen. 48. epist.*

14. Quereris incidisse te in hominem ingratum: si hoc periculum vitare volueris non dabis beneficia: ita ne apud alium pereant, et apud te peribunt. *Ibidem.*

15. Ingrati esse videmus, non aliena causa, sed nostra. Venenum quod serpentes in alienam pernitiem proferunt sine sua continent. *Ibidem.*

16. Torquet se ingratus et macerat: oditque ac-

cepta, quia redditurus est, et extenuat, injurias vero dilatat atque auget. *Ibidem.*

17. Quid autem est miserius, cui beneficia excidunt, hærent injuriæ? *Ibidem.*

18. Quæris, quid sit, quod oblivionem nobis acceptorum faciat? cupiditas accipiendorum cogitamus, non quid impetratum, sed quid petendum sit: nescimus æstimare res, de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est. *Ibidem.*

19. Eo productus est furor, ut periculosissima res sit, beneficia in aliquem magna conferre: nam quia putat turpe non reddere, non vult esse cui reddat, habe quod accepisti, non repeto: non exigo, profuisse tulum est. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Beneficia, núm. 18, 20, 21, 29. in tit. Compassio, núm 10. in tit. Gratitudo et Liberalitas, núm. 23. in tit. Malitia, núm. 2.

INJURIA.

1. Contumelia est, dictis vel factis turpia inferre. *August.*

2. Qui non repelit à socio, si potest injuriam, tam est in vitio, quam ille, qui infert. *Ambr. de Offic.*

3. Non in Dei injuria benigni sumus, et in nostris contumeliis exercemus odia. *Hier. lib. 3. super Matth. Si pecca.*

4. Meam injuriam patienter sustinui: impietatem contra Deum ferre non potui. *Hier. in epist. ad Cyp.*

5. Tunc illata vitia bene toleramus, quum ex secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur, quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspiscimus: qua pejus est, murmuremus. Sicque fit, ut contumeliis gratia magis, quam ira debeatur: quarum interventu Deo judice, pœna gravior declinari posse confiditur. *Greg. lib. 30. mor.*

6. Gloriosius est injuriam tacendo fugere, quam respondendo superare: et si servus convitium dicat, justus taceat: et si infirmus injuriam faciat, justus sufferat: et si pauper criminetur, justus non respondeat. *Ibidem.*

7. Patienter quippe illatam injuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc et se habeat, in quo ipse debeat tolerari, et quasi aqua ignis extinguitur, quum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur: quia erubescit peccatis non parcere qui Deo vel proximo sæpe recolit parcenda peccasse. *Greg. in moral. lib. 5.*

8. In propriis injuriis patientem esse laudabile est, injurias autem Dei dissimulare, impium est. *Chrys. super Matth.*

9. Parva verba multoties homicidium perpetraverunt, et civitates integras everterunt. Nunquam parum æstimes fratrem stultum vocare, auferens ei prudentiam, et intellectum quo homines sumus, et ab irrationabilibus distamus. *Chrys. super illud Matth. Qui dixerit fratri suo.*

10. Quicquid à quolibet hominum passi fuerimus injuste, aut remissionem accipiemus omnium peccatorum, aut si tanta in nobis delicta non fuerint, clarioribus honorabimur coronis. *Chrys. ho. 9.*

11. Si vindicare vis, sile, et funestam ei dedisti plagam. *Chrys. super Matth.*

12. Discamus exemplo Christi nostras injurias magnanimiter sustinere: Dei autem injurias, nec usque ad auditum sufferre: nam si injuriis propriis patientiam tenere laudabile est, injurias autem Dei patienter sustinere, nimis impium est. *Ibidem.*

13. Injuria est, verbo vel facto cum aliquo injuste agere: exprobrare est in faciem maledicere. *Isid. in sym.*

14. Gravissimum genus injuriæ est, usque ad pedem contumeliæ pervenire. *Chrys. super illud Psalm. Conculcaverunt.*

15. Nescio quis nostrum possit implere, ut lacerelur opprobriis fama nostra, et exultemus in Domino. Eleganter enim in quodam volumine legimus, quod si non quæras gloriam, tamen dolebis, quum inglorius

fueris. *Rab. super ill. Matth. 5. Gaudete et exult.*

16. Ultra felicitatem constat esse victoriæ, inimicum salvum fecisse, nec injuriam vindicasse. *Val. epist. in quodam serm.*

17. In omni injuria multum interest, utrum perturbatione animi, an consultè fiat. Perturbatio plerumque brevis est et ad tempus: ideo leviora sunt, quæ repentino motu accidunt, quam ea quæ præmeditata inferuntur. *Tull. in Rhet.*

18. Vindicatio est per quam vis, aut injuria et omnino quicquid obscurum aut ignominiosum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. *Ibidem.*

19. Qui non defendit, nec obsistit injuriæ, si potest, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. *Tull. de Offic.*

20. Turpe est maxime homini virtuoso refricare injurias, et odiorum sopitos cineres denuo suscitare. *Tull. de amicit.*

21. Memoria beneficiorum fragilis, injuriarum tenax. *Sen. in pro.*

22. Injuria injuste irrogata, ejus infamia est, qui fecit. *Sen. in pro. philos.*

23. Viri boni est scire pati, nec facere injuriam. *Ibidem.*

24. Difficile est injuriam convenire cum patientia. *Ibidem.*

25. Duplicat dolorem sustinentis, indignitas inferentis: intolerabileque fit malum, cujus auctorem turpe sit confiteri. Solatium enim mali est dignitas adversantis, duplicatur dolor, quum ab eo, à quo non merueris, venit. Tanto magis injuria est affectior, quanto proximus est, qui facit. Si aliena temerè protuleris vitia, tua intempestivè audies crimina. *Ibidem.*

26. Injuriam irrogatam ait ejus esse insaniam qui fecit, discedens á maledicente sibi ait: ut tu linguæ tuæ, sic ego mearum aurium sum dominus. *Ibidem.*

27. Contumeliam nec fortis potest, nec ingenuus pati. Grave crimen etiam leviter quum est dictum, nocet. Heu quam miserum est, ab illo lædi, de quo

non possum credi? Injuriarum remedium est oblivio. In calamitoso risus etiam injuria est. Multis minatur, qui uni facit injuriam. *Sen. in prov.*

Vide etiam in tit. Humilitas, núm. 6. in tit. Ira, núm. 27. in tit. Miseria, núm. 6. in tit. Stultitia, núm. 5. in tit. Venia, núm. 1.

INNOCENTIA.

1. Illa est vera innocentia, quæ nec inimico nocet. *Aug. super Psalm.*

2. Vera innocentia est, ubi integritas sine peccato, venditio est sine debito, flagellum sine merito. *Aug. super Psal. 38.*

3. Quis est innocens? qui cum aliis non nocet, nec sibi nocet. Qui enim et sibi nocet, non est innocens. *August.*

4. Innocentia et integritas levi sorde violatur aspersa, et gratiæ suæ munus amittit. *Ambr. in Hexam.*

5. Sicut parvulus non perseverat in iracundia, non læsus meminit: non videns pulchram mulierem delectatur: non aliud cogitat, et aliud loquitur: sic et nos, nisi talem habuerimus innocentiam, et animi puritatem, regna cœlorum non poterimus intrare. *Hier. super illud Matth. Quicumque humiliaverit se.*

6. Innocens inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ bono, et inter malignitates quum de pœna meluit, de innocentia gloriatur. *Hier. ad Demetri.*

7. Immediocris est titulus virtutis, inter pravos vivere bene: et inter malignantes innocentiæ retinere candorem, et morum lenitatem. *Bern. super Cant.*

8. Gaude de innocentia, et exulta: gaude inquam, quia ubique illæsa est, ubique secura. Si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis, si occideris, coronaris. Tu in servitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta: tibi omnis reatus adjicitur: tibi universa militia subjugatur: te potentes honorant: suscipiunt principes, magnates exquirunt: et illi nonnunquam te desiderant, qui impugnant. Tibi

boni parent, mali invident, zelant æmuli, inimici succumbunt, nec unquam poteris victrix non esse, etiamsi inter homines judex justus defuerit. *Chrys. in hom.*

9. Puritas innocentiæ conservata, fons est et origo omnis scientiæ et virtutis. *Hugo.*

10. Innocentia est puritas animi, omnem injuriæ illationem abhorrens. *Tull. de Offic.*

11. Triumphus innocentiæ est, non peccare, ubi liceat: in quem plus potes peccare desine. *Seneca in Proverb.*

12. In malis sperare bonum, nisi innocens, nemo solet. *Ibidem.*

13. Innocentia per gradus certos ab homine discedit, et ne in maximis trepidet audacia, diu vires in minoribus colligit. *Quint. Declar.*

Vide etiam in tit. Conscientia, núm. 18, 25. in tit. Conversatio, núm. 16. in tit. Honestas, núm. 2 in tit. Solitudo, núm. 26.

INSTABILITAS.

1. Jam quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse. Vel quod scit, vel quod delectatur, et sic ab elationis vanitate sanetur: et sciat quod vere non de ista terra, sed spiritualiter dictum sit: *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra, etc. Aug.*

2. Tanto autem magis delectat opus bonum quanto magis diligitur Deus, summum atque incommutabile bonum. *Aug. de pecc. mer. et remis.*

3. Tria sunt, quæ vagam mentem stabilem faciunt, vigiliæ, meditatio et oratio; quarum assiduitas, et jugis intentio confert animæ stabilem firmitatem. *Joan. Cass.*

4. Stabilitas est mentem fixam obtinere, nulla locorum, vel temporum varietate, in diversa jactare. *Hugo.*

5. Vir est, qui contra biformes fortunæ eventus, uniformi mentis constantia militat præmunitus. *Tull.*

6. Maximum indicium malæ mentis est fluctuatio, et inter simulationem virtutum, et amorem vitiorum assidua jactatio. *Senec. in Prov.*

7. Diversitas est vitium et signum vacillantis animi, ac nondum habentis vigorem suum. Nemo proponit sibi, quod velit: nec si proposuit, perseverat in eo, sed transilit, nec tantum mutat, sed redit: et in ea, quæ deseruit ac damnavit, revoluitur. Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle: non potest idem semper placere, nisi rectum. Variatur quotidie judicium et in contrarium vertitur: ac plerisque agitur vita per usum. *Senec. in epist.*

8. Nec peregrinatione longa, nec locorum varietatibus, tristitiam mentis gravitatemque discuties, animum debes mutare, non cœlum, licet vastum trajeceris mare, sequuntur enim te, quocumque perveneris, vitia. Quid miraris tibi peregrinationes non prodesse, cum te circumferas? premit te eadem causa, quæ expulit. Quid terrarum juvare novitas potest? Quid cognitio urbium aut locorum? in irritum cedit ista jactantia. Onus animi deponendum est: non ante tibi ullus placebit locus. Vadis huc et illuc: nisi excutias, incides pondus, quod ipsa jactatione incommodius fit: sic in navi, onera immota minus urgent inæqualiter convoluta: citius eam partem, in quam incumbere demergunt motu ipso tibi noces: ægrum enim concutis, in ultimas expellis terras: licet, magis qui veneris, quam quo, interest. Bene vivere omni loco positum est. *Ibidem.*

9. Mutare loca, et in alium de alio transire nolo. Frequens migratio, instabilis est animi. Ut animum possis continere, primum corporis fugam siste deinde plurimum remedia continuata proficiunt: sine desistere oculos tuos: sine aure assuescere sanioribus verbis, quoties processeris, aliqua, quæ removent cupiditates occurrent. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Conversatio, núm. 37.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INTENTIO.

1. Quod non bona intentione facis non tibi proderit: quia quomodo feceris, non quomodo illi evenerit, tibi imputabitur. *Aug. tractans ill. Matth. 6. Si lumen, etc.*

2. Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, et terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulneravit. Summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens, mens reproba intentione polluatur. *Greg. in moral.*

3. Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia talia foris audiuntur, qualia ex intimis proferuntur. *Greg. 22. mor.*

4. Omni cura servandus est à malitiæ pulvere oculus cordis: ne hoc, quod in actione rectum hominibus ostendit, apud semetipsum per vitium elationis intorqueat. *Ibidem.*

5. Valde laboriosum est custodire, ne mala homo facere audeat: ne in bonis actibus per intentionem titubet: et inter recta opera sinistra cogitatio illudat. *Greg. lib. 11. moral.*

6. Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. *Greg. in mor.*

7. Tunc solum Deo vera obsequia reddimus, quum eum propter amoris fiduciam non timemus, quum nos ad bona opera affectus, non metus dirigit: quum malum nostræ menti non placet, non est sensus in crimine, sed affectus. *Ibidem.*

8. Ut interior oculus vere simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria: charitatem in intentione, et veritatem in electione: quomodo denique simplex erit oculus, cum ignorantia veritatis ejus qui bonum diligit, et malum nescius agit? hujus bonus est quidem oculus, quia pius, non tamen simplex, quia cæcus.

Et est qui bonum et libenter agit, et prudenter intelligit. Illius vero oculum non immerito simplicem dixerim: utpote cui neutrum bonum desit: nec zelus scilicet bonus, nec scientia: is vero oculus nequam est, qui perversus pariter et cæcus bonum agit, et malum credit. *Bern. de præc. et dispens.*

9. Bonum prorsus condemnat intentio prava, et non penitus excusat recta. *Bern. ibid.*

10. Sicut oculum simplicem duo ista faciunt bona, amor boni, et cognitio Dei, sic nequam oculum duo è regione mala constituunt: cæcitas, qua fit, ut veritatem non agnoscat: et perversitas, qua fit, ut diligat iniquitatem. *Bern. de Confess.*

11. Causa actum poterit decorare si aut necessitate subsistat, aut utilitate vigeat, aut honestate splendescat, aut cum affectu mentis tota valeat substantia operis tolerari: opus non ex se, sed ex causa fit crimen: nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet. *Chrys. in tract. de symb.*

12. Nihil interest quo animo facias, quod vitiosum est fecisse, quia facta cernuntur, animus vero non videtur. Nulla enim laus est non facere quod facere non possis. *Senec. de mor.*

Vide etiam in tit. Cor, núm. 8. in tit. Eleemosyna, núm. 2, 24, 30. in tit. Excusatio, núm. 3. in tit. Exemplum, núm. 9. in tit. Hypocrisis, núm. 12, 50. in tit. Jactantia, núm. 6, 7. in tit. Loquacitas, núm. 13. in tit. Relinquere, núm. 15.

INVIDIA.

1. Invidia est filia superbiæ: sed ista mater superbia nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuo parit: suffoca matrem, et non erit filia. *August. de ver. Dom. super Matth.*

2. Invidia vitium diabolicum, quo solo diabolus reus est et inexpiabiliter reus. Non enim diabolo dicitur ut damnetur, adulterium commisisti: furtum fecisti: villam alienam rapuisti, sed homini stanti invidisti. *Aug. lib. 1. de doctr. Christ.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo: tollam invidiam, et meum est quod habes. *Aug. sup. Joan.*

4. Invidia est odium alienæ felicitatis: respectu superiorum, quia eis non equatur: respectu inferiorum, ne sibi æquentur: respectu parium, quia sibi æquantur. Unde Cain invidit, Abel prosperitati. Rachel Liæ fœcunditati, Saul David felicitati. Per invidiam procuratus est lapsus mundi, et mors Christi. *Aug. in quodam. serm.*

5. Oro te, quid invido delectationis præstat invidia? quem secretis quibusdam constientiæ ungulis livor ipse discerpit: et alienam felicitatem tormentum facit? *Hier. in epist. ad Demetr.*

6. Parvulus est, qui invidia occiditur: quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret: sed inter hæc sciendum est, quod quamvis per omne vitium, quod perpetratur humano cordi, antiqui hostis viis infunditur. In hac tamen nequitia sua tota viscera serpens commovit, et imprimendæ malitiæ pestem vomuit. *Greg. lib. 5. moral.*

7. Evenire plerumque solet, ut non amissa charitate, etiam inimici ruina nos lætificet: et rursum ejus gloria, sine invidiæ culpa contristet, quia per hoc quosdam bene erigi credimus: et proficientes illos plerosque injuste oprimi formidamus. *Greg. 32. moral.*

8. Invidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescunt: fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Nam quum invidi mentem livor excruciat, bonum quod appelit, sibi ab alio adimi, aut restringi metuit: qui ergo livoris peste plene carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat. *Greg. in moral.*

9. Nil lætum de propriis libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam fœlicitas torquet aliena: et quanto operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis livore profundius suffoditur: ut quo alii ad meliora properant, eo ipso deterius ruant. *Greg. lib. 3. moral.*

10. Tanto quisque plus invidet aliis bona præsentia, quanto minus ea ipse contempserit. *Ibidem.*

11. Dum electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris exitantur: et bona nascentia quæ nolunt imitari, persequuntur. *Ibidem.*

12. Non est congruum quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulis invidere qui sunt omnibus honoribus pulchriores. *Plin. Jun. l. 3. epist.*

13. Quemadmodum columna, si recta fuerit, accepto pondere amplius confirmatur, si autem modice obliquata fuerit, non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latus: sic et cor hominis, si fuerit rectum, videns opera viri justi, audiens doctrinam sapientiæ ejus, amplius confirmatur. Sed si cor perversum fuerit: non solum non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, et magis pervertitur. *Chrys. super illud Matth. 21. Indignati sunt.*

14. O invidia, quæ semper sibi es inimica: nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit, illi autem cui invidet, gloriam parit. *Chrys. super Matth.*

15. Tantos invidus habet justæ pœnæ tortores, quantos invidiosus habuit laudatores. *Prosp. lib. 1. de vitiis et virtutib.*

16. Invidia in suum auctorem reciproca, est de bono alterius tabescentis animi cruciatus. *Ibidem.*

17. Invidia justius nihil est, quæ protinus ipsum auctorem perimit excruciatque suum. *Ibidem.*

18. Huic scilicet invido vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, in dentibus stridor, verba rabida, et effrænata convitia, et manus ad violentiam prompta, juxta illud Poëtæ: Pallor in ore sedet: macies in corpore toto. Non recta est facies: livent rubigine dentes. Pectora felle virent: lingua est suffossa veneno. Risus abest: nunquam poteris nisi ferre dolo es. *Pet. Rav.*

19. Virum fortem excitat ad virtutis exercitium alieni livoris aculeus, nec mentis oculos torquere permittit. Invidia detractus Jacob, qui in baculo suo Jordanem transierat, non rediisset cum duabus turmis,

nisi eum invidia Esau agitasset. Joseph non imperasset Ægypto, nisi fratrum invidia ipsum vendidisset. Scriptum quippè est: Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet. *Ibidem.*

20. Si quis in torrente divitiarum natat, cum Crasso opes spargit: cum Cicerone in specie disputat, cum Platone Philosophiam facie ad faciem speculatur: cum Hippolyto castitatis speculo sigillatur: in hunc omnes suarum detractionum acervos expendit. *Alanus de complanctu naturæ.*

21. Invidis aliena prosperitas adversa, aliena adversitas prospera judicatur: hi in aliena gratulatione tristantur, in aliena tristitia gratulantur. Isti suas in alienæ paupertate divitias: suam paupertatem in alienis divitiis metiuntur. Isti autem alienæ famæ serenitatem detractionis nubilo, nubilare conantur, aut ejusdem gloriam sola tacitumitate furari. Isti autem puram alienæ probitatem, synceritatem fermentant, aut veris falsitatis fermenta maritant. Sapientiæ gloriam degloriat livor inglorius. *Alan. ibid.*

22. Invidia quod monstruosius monstrum? aut quod damnosius damnum? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalior pœna? hæc est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus. Quid sunt invidiæ motus, nisi humanæ tranquillitatis hostes, mundanæ tentationis satellites, animi laborantis vigiles hostes, alienæ fœlicitatis excubiæ? *Ibidem.*

23. Si quis ergò livoris rubiginem, invidiæ tineam à mentis thesauro velit proscribere, in alieno dolore suum dolorem inveniat condolendo, alienum gaudium suum faciat congaudendo: in alienis opibus suas penset divitias, in aliena paupertate suam lugeat paupertatem. *Alan. ibid.*

24. Nulla tam modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit: divites enim sunt alienis jacturis, locupletes calamitatibus immortales funeribus. Unde quidam interrogatus, quomodo invidos non haberet? respondit: Si nihil, inquit, ex magnis rebus habueris, aut nihil feliciter gesseris: nam sola miseria caret invidia. *Val. Max. lib. 4.*

25. Africano justitia virtutem, gloriosa æmulatione comparavit. *Tull. 2. Rhet. sua.*

26. Virtutis comes invidia plerumque bonos insectatur. *Tull. 4. ad Here.*

27. Invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non jactaveris, si sciveris in sinu gaudere. *Senec. 17. epist.*

28. Etsi non multos inimicos tibi faciat injuria, multos tamen faciet invidia. *Senec. de mor.*

29. Homo sum, quomodo devitabo secularium rerum invidiam? Facilius est pauperi contemptum effugere, quam diviti invidiam. *Senec. ibid.*

30. Utinam invidi oculos haberent in omnibus civitatibus, ut de omnibus felicitatibus torquerentur: nam quanta felicium sunt gaudia, tanti invidorum sunt gemitus. *Ibidem.*

31. Venenum quod serpentes in alienam perniciem effundunt, sine sua continent: non ita vitium invidiæ continetur, nam invidum torquet et macerat, bona odit et extenuat: injurias vero dilatat atque auget. *Senec. in epist.*

32. Nunquam melius torquebis invidos quam virtuti et gloriæ serviendo. *Senec. ibid.*

33. Invidia tacite sed inimice irascitur. Invidiam ferre aut fortis, aut felix potest. *Ibid.*

34. Si non inviderís, major eris: nam qui invidet, minor est. Scito quid est invidia: Dolor est animi ex alienis commodis. Scito etiam et illud, quod nulli invidet vir bonitate præditus. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Detractio, núm. 20, 33, 37. in tit. Discordia, núm. 14. in tit. Labor, núm. 12. in tit. Malitia, núm. 8, 9. in tit. Miseria, núm. 9. in tit. Potestas, núm. 1. in tit. Prædestinatio, núm. 11, 12. in tit. Vitium, núm. 3, 8.

IRA.

1. Ira est, quod quum inest opinio turbulenti ap-

petitus inferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt: idcirco plerumque non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus, et aleatores tesseris, et pictores penicillo, et cuicumque instrumento quilibet ex quo difficultatem se pati arbitratur: ac etiam assiduitate irascendi, fel crescere etiam medici affirmant, cremento autem fellis rursus et facile et prope nullis causis existentibus irascimur. *Aug. in ep. ad Neron.*

2. Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. *August. in epist.*

3. * Si tantum irascendum est sapienti, quam scelerum indignitas exigit, non irascendum est, sed insaniendum. *Senec. lib. 2. de ira.*

4. Furor est ira brevis, quæ non tam ex malitiæ proposito, quam eventu subito contingit. *August.*

5. Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Sic enim legitur, *qui fratrem suum odit, homicida est*: quicumque convitio vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione, quam citius curare, quod fecit: et ille qui læsus est sine deceptione dimittere. Si autem se invicem læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras quas utique quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis. *Ibidem.*

6. Melior est autem, qui quamvis ira sæpe tentetur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur et ad veniam petendam tardius inclinatur: qui autem nunquam veniam petit, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non projiciatur. *Ibidem.*

7. Ira fratris si fuerit inveterata, jam odium est. Ira turbat, odium extinguit: ira festuca, odium trabs est. *Aug. super psalm. 54.*

8. Iram fratris tunc portabis, quum tu adversus

eum non irasceris, ut rursum eo tempore, quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate et tranquillitate supportet. *August. de verb. Apost.*

9. Nulli irascenti ira sua videtur esse injusta. Ira enim inveterascens ita fit odium, dum quasi justi doloris admista dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpat. *August. ad Dioscor.*

10. Resiste iræ, si potes: cede, si non potes. Si præveneri, et præoccupaverit mentem tuam iracundia, et ascenderit in te, non relinquas locum tuum: locus tuus patientia est. *Ambros. de offic. lib. 2.*

11. Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius, quam animo non commoveri. Hoc nostrum est, naturæ illud. *Ambros. ibid.*

12. Irascimini, ubi est culpa, cui irasci debeatis: non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveatur: alioquin non virtus, sed lenitudo et remissio judicatur. *Ibidem.*

13. Qui sibi irascitur, quia cito motus est, definit irasci alteri: qui autem vult iram suam probare justam, plus inflammatur, et cito in culpam cadit. *Ibidem.*

14. Est ut passio gravissima, culpa conscientiæ, quam ratio emollit et comprimit: emolliri enim potest, eradicari non potest, quoniam animus, qui est rationis capax, non est suarum pasionum dominus, sed reprehensor, neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam non irascatur. Sed ut ratione se temperet, indignationem cohibeat, á puniendo se revocet, sicut et propheta nos docet, dicens: *irascimini, et nolite peccare*, concessit, quod naturæ est, negavit, quod culpæ est. *Ambros. de Jacob et vita bea. lib. 1.*

15. Non iræ imperat, sed indulget naturæ, quam homo prevenire non potest, mitigare potest. Igitur et si irascimur affectus noster motum recipiat, sed naturam, non peccatum præter naturam. *Amb. ad Vercell.*

16. Præclarum est, motum temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, in-

dignationemque compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque illud levius, istud fortius æstimetur. *Amb. super Luc. lib. 5.*

17. Incendium ad male operandum aut iracundia, aut cupiditas esse consuevit. *Amb. de paradiso*

18. Est ira, quæ justitiam Dei non operatur, et furori proxima, menti suæ vim eripit, in tantum, ut labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur. Recte illud laudatur Architæ Tarentini, qui cum villico suo iratus: Jam te, inquit, cæderem, nisi iratus essem. *Hier. super Joel. prop.*

19. Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitatum stimulis conscientiæ ira ab omni consilio ac mente deturbat, ut dum irascitur, insanire credatur? *Hieron. ad Demetr. virginem.*

20. Per iram sapientia perditur, ut quid, quove ordine agendum sit, nesciatur. *Greg. lib. 5. moral.*

21. Aliquando ira perturbato animo quasi ex judicio silentium dicit, ut qui se foris per linguam non exprimit, intus deterius ignescit: ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, et nihil dicendo, quam sit adversus dicat. *Ibidem.*

22. Plerumque per silentium clausa ira intra mentem vehementius æstuat, et clamosas tacita voces formal. Verba sibi, quibus exasperetur objicit, et quali in causæ examine posita durius exasperata respondet. *Ibidem.*

25. Quanta sit iracundiæ culpa pensare possumus, per quam patientia perditur: ut quid, quove ordine sit agendum omnino nesciatur, quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, quum mentem promovendo confundit. *Ibidem.*

2 . Per iram justitia relinquitur: quia dum perturbata mens, judicium sine ratione exasperat omne quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur: quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur: per iram concordia rumpitur: per iram lux veritatis amittitur: quia quum

menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus, radium suæ cognitionis abscondit. *Ibidem.*

27. Per iram spiritus sancti splendor excutitur, quia super humilem et quietum requiescere dicitur: quia quum ira quietem subtrahit, suam spiritui sancto claudit habitationem: cujus recessione animus vacuus ad apertam morum insaniam ducitur, et usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. *Ibidem.*

28. Plus sæpe ira in vindicta exigit, quam injuria accipit. Ira quum delinquentium culpas insequitur, non debet menti quasi domina præire, sed post rationis tergum quasi ancilla famulari. *Greg. in moral.*

29. Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris. Quum tranquilla mens fuerit, fac quod placet. *Ibidem.*

30. Nam iræ suæ stimulis accensum, cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperant oculi, et nequaquam recognoscuntur: noliorem quidem clamorem format, sed intus quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab arreptitiis longe est, qui actionis suæ conscius non est. *Greg. lib. 5. moral.*

31. Aliquando iracundus manus non erigit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit, fratri namque interitum precibus exposcit, et hoc Deum perpetrare expetit. *Ibidem.*

32. Alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus formidat, illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Ira per vitium oculos mentis excæcat: ira autem per zelum turbat. Si nobis et proximis delinquentibus irascimur, non peccamus: si enim sic proximos, ut nos amare præcipimus, restat ut sic eorum erroribus, sicut nostris vitiis irascamur. *Ibidem.*

33. Mentis furore ebriæ omne, quod rectum dicitur, perversum videtur. *Greg. super Ezech.*

34. Non irasci ubi irascendum est, et nolle emendare, peccatum est. Plus vero irasci, quam irascendum est, peccatum peccato addere est.

35. Si non potes iram vitare, tempera: si non

potes furorem cavere, cohibe. Tene silentium patientiæ, tacendo citius vincis. *Isid. lib. 1. soliloq.*

36. Non commoveri, malum est, sed irrationabiliter nulloque negotio justo flagitante commoveri. *Chrys. de laudibus pan. ho. 6.*

37. Non dolere, quia peccaveris, magis indignari atque irasci facit Deum, quam idipsum quod ante peccaveras. *Chrys super Matth. homil. 23.*

38. Coercere omnino nequid animus prava semel voluntate viliatus: quia zelus sapere nescit, et ira consilium non habet. *Chrys. super Matth. 2.*

39. Reges siquidem, quum ex aliis causis irascuntur, citò placantur: illa autem ira eorum est inextinguibilis, quam regni zelus accendit. *Ibidem.*

40. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Itaque qui cum causa non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat: negligentiam nutrit, et non solum malos, sed etiam bonos ad malum invitat. *Chrys. super illud Matth. 5. Qui irascitur fratri.*

41. Qui cum causa irascitur, non fratri suo irascitur, sed vitio: qui vero irascitur fratri, respiciendo ad naturæ communionem, vel fidei unitatem, reus erit judicio. *Vater. ibid.*

42. Hæc est natura iræ, ut dilata languescat, et pereat: prolata vero magis ac magis conflagret. *Beda super Para. lib. 2.*

43. Melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem. *Cass. super Psa. Irascimini et nolite pec.*

44. Ubi est fervida vindicta, non est temperata justitia. *Ibidem.*

45. Motum siquidem animi fervidum propter humanam fragilitatem in potestate habere non possumus: suffragante tamen gratia Dei, ratione disciplinandi continemus: nam si irascamur, nec Dei consideratione refrænemur, sed à voto nostro impediamur aliquo necessitatis objectu, tunc utique constat nos facti crimen portare, etiamsi non possumus quod volebamus efficere. *Cass. super Matth.*

46. Ira est subita animi tempestas, quæ dum inordinate se concutit, cor hominis ad insaniam se protrahit. *Hugo.*

47. Irasci, rationis est: auferuntur enim delicta, et refrenatur licentia, quod utique juste, sapienter utique fit. *Lactan. de ira.*

48. Nam ab iratis si perspicuè pax et benevolentia aperitur, non modo ea non invenitur, sed etiam augetur odium atque inflamatur. *Tull. in prolog. rhet.*

49. Crudelitas, horridus habitus, truculenta species, violenti spiritus, vox terribilis, cui silentium dare, incrementum est adjicere: etenim quomodo sibi ipsa statuet, si non suggillationis quidem frænis fuerit revocata? *Val. Max. lib. 8.*

50. Immodica ira gignit insaniam. Hæc ardescit, affectus ex amore potius, quam ex odio nascitur. Non vivimus minus inter seria, quam inter lusus et jocos, nec interest ex qua magna causa nascatur, sed in qualem perveniat animum. Sic ignis non refert, quam magnus, sed quo incidat. Ingentis iræ exitus furor est, et ideo ita vitanda est, non immoderationis causa, sed sanitatis. *Senec. lib. de ira.*

51. Nihil inter insanum et iratum est, non unus dies, alter semper insanit, alter semper irascitur. *Ibidem.*

52. Iracundia infelicitas geminatur. Iracundus quum irasci desierit, tunc irascitur sibi, respicere nihil consuevit iracundia. *Senec. in prov.*

53. Quo minus presseris iram, eo ab ira magis premeris: tunc enim incipimus aliis irasci, quum nobis desinimus. Finis namque iræ, initium est pœnitentiæ. *Ibidem.*

54. Ad bonum virum cito moritur iracundia, breve amans, est ipsa iracundiæ memoria. Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia, gravissima est probi hominis iracundia, gravis tamen pœna est, quem post facti pœnitet. *Ibidem.*

55. In amore semper mendax iracundia est. Iratum breviter vites, inimicum diu. Iracundiam qui vin-

cit, hostem superat maximum: iratus etiam facinus consilium putat: si quis irascitur ab alio, pœnas à se exigit. *Ibidem.*

56. * Prohibenda est maxime ira in puniendo, nunquam enim qui iratus accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium et parum: cavendum est igitur ne mane major sit pœna, quam culpa. *Cic. 1. Offic.*

57. * Semper ira procul absit, cum qua nihil recte, nihil considerate fieri potest, quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea ne constanter fieri possunt, nec ab iis qui absunt probari. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 20. in tit. Convitium, núm. 6, 7, 9. in tit. Correctio, núm. 4, 25, 44, 57, 86. in tit. Crudelitas, núm. 3, 4, 5. in tit. Discordia, núm. 9. in tit. Jejunium, núm. 33. in tit. Malitia, núm. 12. in tit. Mansuetudo, núm. 7. in tit. Misericordia, núm. 3. in tit. Mors, núm. 3, 10. in tit. Odium, núm. 3, 4, 5, 6. in tit. Patientia, núm. 1, 2. in tit. Suspicio, núm. 5. in tit. Venia, núm. 9, 16. in tit. Vitium, núm. 3.

JACTANTIA.

1. Animadvertendum est, non solum rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus lutosis esse posse jactantiam, et eo periculosiorem, quo sub specie servilutis Dei decipit. *Aug. de serm. Dom. in monte.*

2. Jactantia non est vitium laudis humanæ, sed vitium animæ perversæ amantis humanam laudem, spreto testimonio conscientiæ. *Aug. lib. 12 de civ. Dei.*

3. * Jactantia non tantum in pompa et nitore sed etiam in sordibus est. *Aug. lib. 2. de verb. Domin.*

4. Hostes ad rapinam provocat, qui suas eorum notitia divitias denudat. *Gr. mor.*

5. Si vis sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime, et tunc illud, quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquam fecisse quum feceris, et plenissime cuncta fecisti. *Chrys. super Matth.*

6. Dum causa jactantiæ pauper pascitur, etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum convertitur. *Isid. de sum. bon.*

7. Occulta, quod agis, in quantum vales: quod si ex toto non vales: sit in animo occultandi voluntas, et non erit de ostentatione ulla temeritas. *Isid. de conflictu vitiorum.*

8. * Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari finctus, nisi sceleratus appareas. *Bern. super Cant. serm. 1.*

9. Nihil est quod magis diminuat laudis præconium, quam suos assidue jactare successus, et singulis diebus anni vendere diem unum. Legitur de Mario, quod cum plurima fecisset egregie, una sui jactatione gloriam famæ perdidit, et quia sibi præsumpsit ascribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ commendationis vota demeruit. *Val. Max. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 8, 13, 14. in tit. Eleemosyna, núm. 1, 2. in tit. Gloria vana, núm. 8, 19, 22. in tit. Mors, núm. 29. in tit. Ornatus, núm. 2. in tit. Sapientia, núm. 28 in tit. Superbia, núm. 38, 40.

JEJUNIUM.

1. Jejunium magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium. *Aug. super Joan.*

2. Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitas vero lumen accendit. *Aug. in serm. de jejunio.*

3. Jejunium verbositatem non amat, divitiarum superfluitatem judicat: superbiam spernit: humilitatem commendat: præstat homini seipsum intelligere, quod est infirmum, et fragile. *Aug. ibid.*

4. * Jejunia et eleemosynæ orationem juvant. *Aug. epist. 121.*

cit, hostem superat maximum: iratus etiam facinus consilium putat: si quis irascitur ab alio, pœnas à se exigit. *Ibidem.*

56. * Prohibenda est maxime ira in puniendo, nunquam enim qui iratus accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium et parum: cavendum est igitur ne mane major sit pœna, quam culpa. *Cic. 1. Offic.*

57. * Semper ira procul absit, cum qua nihil recte, nihil considerate fieri potest, quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea ne constanter fieri possunt, nec ab iis qui absunt probari. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 20. in tit. Convitium, núm. 6, 7, 9. in tit. Correctio, núm. 4, 25, 44, 57, 86. in tit. Crudelitas, núm. 3, 4, 5. in tit. Discordia, núm. 9. in tit. Jejunium, núm. 33. in tit. Malitia, núm. 12. in tit. Mansuetudo, núm. 7. in tit. Misericordia, núm. 3. in tit. Mors, núm. 3, 10. in tit. Odium, núm. 3, 4, 5, 6. in tit. Patientia, núm. 1, 2. in tit. Suspicio, núm. 5. in tit. Venia, núm. 9, 16. in tit. Vitium, núm. 3.

JACTANTIA.

1. Animadvertendum est, non solum rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus lutosis esse posse jactantiam, et eo periculosiorem, quo sub specie servilutis Dei decipit. *Aug. de serm. Dom. in monte.*

2. Jactantia non est vitium laudis humanæ, sed vitium animæ perversæ amantis humanam laudem, spreto testimonio conscientiæ. *Aug. lib. 12 de civ. Dei.*

3. * Jactantia non tantum in pompa et nitore sed etiam in sordibus est. *Aug. lib. 2. de verb. Domin.*

4. Hostes ad rapinam provocat, qui suas eorum notitia divitias denudat. *Gr. mor.*

5. Si vis sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime, et tunc illud, quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquam fecisse quum feceris, et plenissime cuncta fecisti. *Chrys. super Matth.*

6. Dum causa jactantiæ pauper pascitur, etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum convertitur. *Isid. de sum. bon.*

7. Occulta, quod agis, in quantum vales: quod si ex toto non vales: sit in animo occultandi voluntas, et non erit de ostentatione ulla temeritas. *Isid. de conflictu vitiorum.*

8. * Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari finctus, nisi sceleratus appareas. *Bern. super Cant. serm. 1.*

9. Nihil est quod magis diminuat laudis præconium, quam suos assidue jactare successus, et singulis diebus anni vendere diem unum. Legitur de Mario, quod cum plurima fecisset egregie, una sui jactatione gloriam famæ perdidit, et quia sibi præsumpsit ascribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ commendationis vota demeruit. *Val. Max. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 8, 13, 14. in tit. Eleemosyna, núm. 1, 2. in tit. Gloria vana, núm. 8, 19, 22. in tit. Mors, núm. 29. in tit. Ornatus, núm. 2. in tit. Sapientia, núm. 28 in tit. Superbia, núm. 38, 40.

JEJUNIUM.

1. Jejunium magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium. *Aug. super Joan.*

2. Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitas vero lumen accendit. *Aug. in serm. de jejunio.*

3. Jejunium verbositatem non amat, divitiarum superfluitatem judicat: superbiam spernit: humilitatem commendat: præstat homini seipsum intelligere, quod est infirmum, et fragile. *Aug. ibid.*

4. * Jejunia et eleemosynæ orationem juvant. *Aug. epist. 121.*

5. * Jejunium humilitatis signum. *Idem epist. 176.*

6. Quamvis abstineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulcia alimenta non sumat, non tamen illius fertur acceptum jejunium, qui non diebus XL, jejunat: pudet discere, senes et aniculæ quadragesimam faciunt: divites juvenesque non faciunt. *Ambr. in serm. quadragesim.*

7. Ille quadragesimam facit, qui jejunando et vigilando ascendit ad pascha: nam sicut reliquo anno jejunare præmium est, ita in quadragesima non jejunare, peccatum est. Illa enim voluntaria sunt jejunia, et ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa invitamur, ad ista compellimur. *Amb. ibid.*

8. Qui constitutum numerum una die manducando præterit, non ut unius diei violator accusatur, sed ut totius quadragesimæ transgressor arguitur. *Ibidem.*

9. Jejunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis: hoc gradu ad eum citius pervenitur: hoc gradu, antequam curru, Elias ascendit. *Ambr. de Elia et jejunio.*

10. Jejunii labor compensatur mentis placiditate, levatur usu, sustentatur otio, aut fallitur negotio. *Amb. de Offic.*

11. Non sanat oculum quod calcaneo adhibetur: jejunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis. *Hier. super Marcum.*

12. Tantum tibi jejuniorum impone modum, quantum ferre potes. Sint tibi pura, simplicia, casta, moderata jejunia, et non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, et molestias quasdam et difficultates ciborum quærere. *Hier. ad Nepotian.*

13. Sic debes jejunare, ut non palpites, et respirare vix possis, et comitum tuorum vel porteris vel traharis manibus, sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias. *Hier. ad Demet. virginem.*

14. Jejunium non solum perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, et sanctificatio et

pudicitia atque prudentia, sine qua nemo videbit Deum. *Ibidem.*

15. Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum et vigiliarum frigore restringendæ sunt. *Ibidem.*

16. Sint moderata et sancta in omni mentis humilitate jejunia, quæ ita attenuent corpus, ut mentem elevent, ne res humilitatis signat superbiam, et vitia de virtute nascantur. *Hier. ad Concell.*

17. Prudenter enim Deus vult sibi serviri, non ut nimietate debiles fiant, et post medicorum suffragia requirant: temperandum enim est, ut si fieri potest, cœptum obsequium gradatim provehatur, potius quam inconsiderantia minuatur. *Glos. Hier. super illud. 1. Tim. 5. Noli aquam bibere, etc.*

18. *Sanctificate jejunium.* Jejunium sanctificare est, adjunctis bonis aliis, dignam Deo carnis abstinentiam ostendere. *Greg. in past. ibid.*

19. Non Deo sed sibi jejunat, qui quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. *Ibidem.*

20. Illud jejunium Deus approbat, ut hoc, quod tibi subtrahis, alteri largiaris: ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. *Greg. in hex.*

21. Bene jejunat, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona Conditoris, cum indigentibus percipit, et qui ea quæ sibi ad tempus subtrahit, nequaquam ventri offerenda custodit: sed pauperibus tribuit. *Greg. ibidem.*

22. Si sola gula peccavit, sola jejunet, et sufficit. Si vero peccaverunt et membra cætera, cur non jejunent et ipsa? Jejunet igitur oculus à curiosis aspectibus, et omni petulantia, ut bene humiliatus coërceatur in penitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens, à fabulis, et rumoribus, et quæcumque ociosa sunt, et ad salutem minime pertinentia. Jejunet lingua in detractione et murmuratione, ab inutilibus et variis atque scurrilibus verbis, interdum quoque ob gravitatem silentii, ab ipsis, quæ videri poterant necessaria. Jejunent ma-

nus ab ociosis signis, et ab operibus omnibus, quæcumque non sunt imperata, sed et multo magis anima ipsa jejunet à vitiis et à propria voluntate sua. Etenim sine jejunio hoc, cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est: *Quia in diebus jejuniorum vestrorum voluntates vestræ inveniuntur. Ber. in ser. 38.*

23. Dignum reor aliquatenus exponere, quo fructu et quemadmodum oporteat jejunare. Primum quidem pro eo quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commissimus, illicita condonantur. Quid est condonari commissa, nisi jejunio brevi jejunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus unquam cibus est, nulla consolatio, nullus terminus, ubi guttam aquæ dives postulat, et accipere non meretur. *Ibidem.*

24. Bonum et salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur peccata. Non solum autem ablutio est peccatorum, sed etiam extirpatio vitiorum: non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam: non solum delet peccata præterita, quæ commissimus, sed etiam repellit futura, quæ committere poteramus. *Ibidem.*

25. Jejunium orationem, devotionem et fiduciam donat: oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium meretur gratiam orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium et representat Domino. *Ibidem.*

26. Oratio justi, ut ait scriptura, penetrat cœlos. Sint ergo jejunio nostro, ut facile cœlos penetrent alæ duæ, orationis scilicet atque justitiæ. Non est magnum si jejunat cum Christo, qui sessurus est ad mensam patris cum Christo. *Ibidem.*

27. Qui peccat et jejunat, non ad gloriam Dei jejunat, nec se humiliat, sed suæ substantiæ parcit. *Chrys. super Matth.*

28. Non culpatur infirmus jejunium solvens, à quo cibos accipit pauper esuriens, nec escam sumendo polluitur, qui eleemosyna in percipiendo mundatur. *Leo papa de jejun. sept. mensis.*

29. Non in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii: haud fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur, et ab obtrectationibus lingua cohibeatur. *Ibidem.*

30. Aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium est, in quadragesima vero non jejunare, peccatum est. Alio tempore qui jejunat accipiet indulgentiam: in his diebus qui potest et non jejunat sentiet pœnam. *Cæsa. in admonitione secunda.*

31. Tale jejunium sine eleemosyna est, quale sine oleo lucerna. *Cæsarius ibid.*

32. Jejuniis sic est adhibenda temperies, ut corpus nostrum nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. *Fulgentius ad Probl.*

33. Jejunium christiani, egentis debet esse refectio, jejunium pacem debet nutrire, non jurgia. Quale illud est autem, quod non vesceris carnibus, et de ore tuo, omni esca sordidius egreditur maledictum? Quale est illud quod sanctificatur venter jejunio, et polluitur lingua mendatio? *Max. in natali domini.*

34. Non tantum est jejunii lucrum quantum iræ dispendium, nec tantus fructus lectione capitur, quantum detrimentum contemptu fratris incurritur. *In collatione abbatis Moysi.*

35. Pulchre abbas Macarius cuidam percunctanti, cur fame ab hora tertia pulsaretur, qui in cœnobio hebdomadis integris refectionem sæpè contemnens non sensisset esuriem, respondit: quia hic nullus est jejunii tui testis, qui te suis laudibus nutriat aut sustentet. Ibi autem digitus hominum et Xenodochiæ refectio saginabat. *In collatione Serapionis.*

36. Jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castrum, murum spiritus sancti, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. *Pet. Rav. in quodam serm.*

37. Jejunium quamvis auferat vitiorum morbus, carnis amputet passiones, criminum causas propellat: tamen sine misericordiæ unguento, sine pietatis rivo, sine eleemosynæ sumptu, perfectam salutem mentibus

non reponit. Jejunium sanat vulnera peccatorum, sed cicatrices vulnerum sine misericordia non emendat. *Pet. Rav. ibid.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, Caro, núm. 4. in tit. Discretio, núm. 13. 14. in tit. Oratio, núm. 18. 26. in tit. Satisfactio, núm. 4. in tit. Servitium, núm. 6. in tit. Christus, núm. 12.

JUDEX, SIVE JUDICIUM.

1. *Nolite judicare.* Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est: *A fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono modo fieri. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia in bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium judicare, maxime ut condemnemus. *Aug. de ser. Dom. in monte super ill. Matth. Nolite judicare, et contra Manich. lib.* 2.

2. Duo sunt in quibus temerarium est judicium: cavere debemus, quum incertum est, quo animo quid factum sit, vel incertum est qualis futurus sit: qui nunc vel bonus vel malus apparest. *Ibidem.*

3. Ignorantia judicis, plerumque est calamitas innocentis. *Aug. de civit. Dei. lib. 29.*

4. De adventu sponsi clamor in media nocte fit, quia sic dies judicii subrepit, ut prævideri non valeat, quando venit. *Aug. hom. 12.*

5. Tunc manifestus veniet inter justos judicaturus juste, qui occulte venerat judicandus ab injustis injuste. *Aug. de civit. Dei.*

6. Ille judex nec gratia prævenitur, nec misericordia jam flectitur, nec peccunia corrumpitur, nec satisfactione, nec pœnitentia mitigabitur. Hic dum tempus habet, agat anima pro se, quamdiu locus est misericordiæ, quia ibi erit locus justitiæ. *Aug. lib. 3. de symbol.*

7. Hi terrenas causas examinent, qui exteriorum

rerum sapientiam perceperunt: qui autem spiritualibus donis ditati sunt, terrenis non debent negotiis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deservire. *August. super ill. ad Corin. 6. Secularia judicia.*

8. Mitigat judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. *Ambr. de Cain et Abel.*

9. *Feci judicium et justitiam*, in judicio non contempsi pauperem, non oppressi viduam, personam divitis non recepi, in omnibus operibus misericordiam reservavi. *Ambr. super Beati immaculata.*

10. Judicis non est, sine accusatore damnare: quia Dominus Judam, licet fuisset fur, cum non esset accusatus, minime abjecit. *Ambr. 1. ad Corin. 6. ad Dam.*

11. Alienum te á personis omnium redde in judicio, ac propter justitiam: in judicio pauperem defendas: nec propter gratiam diviti indecenter adsistas: aut, si non potes facere, cognitionem respue causarum. *Hier. in epist. ad Damas.*

12. Judicaturo Domino lugubrem mundum, immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt, adducetur cum suis stultus Plato discipulis, tunc Aristotelis argumenta non proderunt, quando veniet ille filius pauperculæ quæstuariæ judicaturus fines terræ. *Hier. in epist. ad Heliod.*

13. Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco: sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper videtur illa tuba terribilis sonare in auribus meis: *Surgite mortui, venite ad judicium. Hier. super Matth.*

14. Debet quisquis proprias virtutes perpendere, et pro qualitate virium curam aliorum suscipere, ne dum delectatur, loco gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ, et qui gravatur pondere suarum, velit fieri judex alienarum culparum. Durum enim est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex fiat alienæ. *Greg. super ill. Eccle. 7. in glo. Noli quærere fieri judex, etc.*

15. Qui minoris meriti sunt in Ecclesia, et nullis magnorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent: quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur, quos Apostolus contemptibiles nominat, et tamen sapientes vocat, quum dicit: Secularia judicia si habueritis, contemptibiles illos constituite ad judicandum. *Greg. moral. 19.*

16. Judicare digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odium vel gratiam sequuntur. *Greg. in moral.*

17. In extremo die judicii, cum apertis cœlis ministrantibus angelis, consedentibus Apostolis in sede majestatis suæ Christus apparebit, omnes hunc electi pariter et reprobi videbunt, ut et justi de munere retributionis sine fine gaudeant, et injusti de ultione supplicii in perpetuum gemant. *Greg. hom. 15.*

18. Præsentis temporis ita agenda est lætitia, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat à memoria. *Greg. hom. 32.*

19. Divina judicia dum nesciuntur, non audaci sermone disculienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda. *Greg. in moral.*

20. Quid faciet virga deserti, ubi conculietur cedrus paradisi? Quid faciet agnus, ubi aries tremit? Si justus vix salvabitur, impius ubi apparebit? *Ibid.*

21. Sic Deus vias nostras considerat et gressus dinumerat: ut nec minimæ cogitationes ac verba minutissima, quæ apud nos viguerunt, ejus judicio indiscussa remaneant. *Greg. super ill. Matth. Omnes capilli vestri.*

22. In majestate visuri sunt, quem in humilitate videre noluerunt, ut tanto districtius virtutem sentiant, qui cervicem cordis ad ejus præsentiam non inclinant. *Greg. super ill. Matth. 14.*

23. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. *In nubibus cæli.*

24. Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, quia est suæ dispensator, ac judex. *Greg. in hom. Lactant. in ira Dei.*

25. Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit, qui cuique merita recitabit? Veniet inquam, veniet Dominus judicii, ubi plus valebunt pura corda, quam astuta verba, conscientia bona, quam marsupia plena: ibi Judex non falletur verbis, nec flectetur donis. *Bern. in quadam epist.*

26. Exurgente rege cœlesti judicare vivos et mortuos, virtutes angelicæ movebuntur, terribiles ministri terribilem dominum præcedentes. *Chrys. sup. illud Matt. 24. Et virtutes cœlorum.*

27. Patre familias moriente, domus turbatur, familia plangit, et nigris se vestimentis induit: sic humano genere, propter quod facta sunt, circa finem constituto, cœli ministeria lugent, et candore posito tenebris induentur. *Ibidem.*

28. Vere vox magna, vox tubæ terribilis cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum dirumpit, et de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignat. Hæc autem omnia citius consumit in opere, quam sagitta transit in aëre, dicente Apostolo: In momento, in ictu oculi. *Primæ ad Cor. 15.*

29. Gravius lacerantur pauperes á pravis judicibus, quam á cruentissimis hostibus. Nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quam judex iniquus in suis. *Isidor. de sum. bon. lib. 3.*

30. Sæpe judices pravi, cupiditatis causa, aut differunt, aut pervertunt judicium: non fiunt cœpta partium negotia, quousque marsupia eorum qui causantur, exhaurianl. *Ibidem.*

31. Quando enim judicant, non causam, sed dicta considerant: et sicut negligentes sunt in discutione causarum, sic in eorum damno solliciti sunt. *Ibidem.*

32. Qui recte judicat, et præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat, quia justitiam, quam gratis impartiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. *Ibidem.*

33. Quatuor modis judicium humanum pervertitur: timore, cupiditate, odio, amore. A dextris erunt

peccata accurentia, à sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens, ibi vix justus salvabitur. Heu, miser peccator, sic deprehensus quo fugies? latere erit impossibile, apparere intolerabile. *Anselmus de similitudinib. mundi.*

34. Statera dolosa non tantum in mensuratione pecuniæ, sed in judiciaria discretione tenetur. Qui enim aliter causam pauperis, aliter potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera utique librat iniqua. Sed et iis, qui sua bene gesta meliora, quam proximorum, et sua errata judicat leviora staterando, nec non et ille, qui onera importabilia imponit in humeros hominum, ipse autem digito suo non vult tangere ea: etiam ille, qui bona in publico, et male agit in occulto, pro iniquitate libræ dolosæ abominabitur à Domino, et qui sinceriter agit in omnibus, qui causam æqua lance discernit, is nimirum justi judicis voluntati et actioni congruit. *Beda lib. 2. super illud Pro. Statera dolosa, etc.*

35. Non silebo Zelantum mirabilem justitiæ rigidum, qui cum civitati Lactantium, cui præerat, lege lata cavisset, ut qui adulterium commisisset exocularetur, omni miseratione posthabita, deprehenso in hoc crimine filio ejus adolescente præcepit, ut utroque lumine privaretur. Cumque plebs civium summisis precibus rogitaret, indulta ob gratiam principis flagitii venia ad deliberandum paululum spatii captans, sibi et filio unum oculum districtus judex effodit, pium patrem, et severum judicem declamando. Egit itaque censura mirabili, ut sibi et filio videndi usus superesset, et in ultionem flagitii duo lumina, ut decreverat, cæcarentur. Ita debitum supplitii modum legi reddidit, ac mirabili temperamento se inter misericordem patrem et justum legislatorem partitur. *Val. lib. 8.*

36. Tamdiu judex dicitur, quamdiu et justius putatur: quia nomen quod ab æquitate sumitur, per superbiam non tenetur. *Cass. in epistol.*

37. Professionem constat esse justitiæ, legum peritos judices ordinare: quia non facile erroris vitio sordescit, quem doctrina purgavit. *Ibidem.*

38. Non est hæsitationis metus, nihil adeo gloriose lucet in judice, sicut amare et exhibere justitiam, sine omni acceptione personæ. Teste enim Cicerone proverbialiter dicitur: Exuit personam judicis, quisquis amicum induit. Æquitas, cui judex obsequitur, sinistram odii vel amoris dextram nescit. Nam talis debet esse juris minister, ut in ejus manu nullius auctoritate personæ titubet, aut vacillet libra justitiæ. *Pet. Rav. in quadam epist.*

39. Officium officialium est hodie jura confundere, lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, versutias concinnare. *Pet. Bles.*

40. Proprium munus magistratus est, se intelligere personam civitatis gerere, dignitatem et decus sustinere, leges servare, jura describere, et ea fidei suæ commissa meminisse. *Tull. de offi.*

41. * Cum judici dicenda sententia est, meminerit se Deum habere testem, id est, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus divinius. *Cic. 1. offic.*

42. * Est sapientia judicis in hoc, ut non solum quid possit, sed etiam quid debeat ponderet, nec quantum sibi permissum meminerit, sed etiam quatenus commissum sit. *Tull. pro Ravir.*

43. Boni judicis est dispensare non tantum quis damnandus sit, sed quatenus ad pœnitendum properat, cito qui judicat, fatetur facinus is, qui judicium fugit. Grave judicium est, qui judicium non habet: in judicando criminosa est celeritas. Judex damnatur, cum nocens absolvitur. *Senec. in Proverb.*

44. Molestius est inter duos amicos quam inter duos inimicos judicare. Judex enim bonus erit nemo, nisi qui de se alterum judicare cognoverit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Acceptio, num. 5, 7, 9, 10, 11, 13, 14. in tit. Advocati, num. 1, 14, 16, 17, 18, 21.

in tit. Antichristus, núm. 7, 8, 9. in tit. Confessio, núm. 26, 27. in tit. Excommunicatio, núm. 5. in tit. Excusatio, núm. 18. in tit. Justitia, núm. 2, 7, 15, 19, 23, 29, 31. in tit. Lex, núm. 3, 4. in tit. Misericordia, núm. 32. in tit. Mors, núm. 38. in tit. Munus, num. 2, 6, 8, 9. in tit. Pœnitentia, num. 19. in tit. Quærere, núm. 5. in tit. Regimen, núm. 5, 6. in tit. Resurrectio, núm. 10, 20. in tit. Simonia, num. 9. in tit. Timor, núm. 15.

JURAMENTUM.

1. Ille qui exigit juramentum, multum interest, si nescit illum falsum juraturum, an scit. Si enim nescit, et ideo dicit jura mihi, ut fides ei fiat, non audeo dicere, non esse peccatum, tamen humana tentatio est. Si autem scit eum fecisse, novit fecisse, vidit fecisse, et cogit jurare, homicida est. *August. de ver. Ap. in glo. ad Rom. 1.*

2. Ecce dico charitati vestræ et qui per lapidem jurat, perjurus est. *Ibidem.*

3. Juravit David temere: sed non implevit juratione, majore pietate. *Aug. in serm. de decoll. S. Joan. Bapt.*

4. Ille qui hominem provocat ad majorem juratione, et scit eum falsum juraturum esse, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, et ejus quem jurare provocavit, et suam. *Ibidem.*

5. Homines falsum jurant, vel quum fallunt. Aut putat homo falsum esse, quod verum est, et temere jurat, aut scit vel putat verum esse, et tamen pro falso jurat, et nihilominus cum scelere jurat. *Aug. de ver. Apo.*

6. Dico vobis, non jurate omnino, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur: de facilitate ad consuetudinem, de consuetudine in perjurium decidatur. *Aug. in lib. cont. mend.*

7. Non penitus jurare prohibuit, sed occationem perjurii, quod perfectius est, evitare, docuit. *Greg. super illud Matth. Non perjur.*

8. Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est ita hoc accipit, sicut ille, qui juratur, intelligit. *Isid. de sum. bon. l. 1.*

9. Æstimo quoniam non oportet, ut vir, qui secundum Evangelium vult vivere, adjuret alterum. Si enim jurare non licet, secundum evangelicum Christi mandatum, nolum est, quod nec adjurare alterum licet. *Greg. super Matth.*

10. Nemo est, qui frequenter jurat, quin aliquando non perjuret, sicut qui consuevit multa loqui, aliquando loquitur importuna. *Chrys. super Matth. 5. Dico vobis non jurare.*

Vide etiam in tit. Mendacium, núm. 7. in tit. Promissio, núm. 1. in tit. Veritas, núm. 9.

JUSTUS ET JUSTITIA.

1. Hæc est perfecta justitia, qua potius poliora, et minus minora diligimus. *August. de vera relig.*

2. Nimia justitia incurrit peccatum: temperata justitia facit perfectos, salsitudinem correctionis amor Christi temperet, et dilectionem proximi sal justitiæ condiat. *Ibidem.*

3. Amanda est justitia, et in hac amanda, gradus sunt proficientium, primus est, ut amori justitiæ non præponamus omnia quæ delectant. *August. de ver. Ap.*

4. Hoc certe alienum non est, quod jure possidetur: hoc autem jure, quod juste: et hoc juste, quod bene. Omne igitur, quod male possidetur, alienum est. Male autem possidet, qui male utitur. *August. ad Maced.*

5. Male se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. *Ambr. de offic.*

6. Justitia magis aliis quam sibi prodest, et utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens. *Ambr. lib. de parad.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

7. Justitia est, quæ nil alienum vendicat, quæ cuilibet dat, quod suum est, quæ negligit propriam utilitatem, ut servet communem æquitatem, et secundum ipsum prima justitia in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes, quarta in omnes. *Ambr. l. de offic.*

8. Regula justitiæ manifesta est, quod á vero non deceat declinare bonum virum, nec damno justo afficere quemquam, nec aliquid dolo annectere. *Ambr. de offic.*

9. Omnes virtutum species uno virtutum nomine continentur. *Hieron. ad Demetr.*

10. Homo Deo supposilus, justitiam percipit: comparatus amittit. Quia quisquis se auctori bonorum comparat, bono se, quod acceperat, privat. *Ibidem.*

11. Sæpe ipsa nostra justitia ad examen divinæ justitiæ deducta injustitia est, et sordet in districtione judicis, quod in estimatione fulget operantis. *Greg. lib. 5. moral.*

12. Humana justitia divinæ justitiæ comparata injustitia est, quod et lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radiis posita tenebratur. *Ibidem.*

13. Sancti viri, quando cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, dum gravare vel in minimis timent, ipsi contra justitiam gravari nequaquam refugiunt. *Ibidem.*

14. Sicut nonnunquam gravius est peccatum diligere, quam perpetrare: ita nequius est odisse justitiam, quam non fecisse. *Ibidem.*

15. Justum est homines propter justitiam diligere, non autem justitiam propter homines postponere. *Greg. in re.*

16. Quod peccatores voluptate æstimant, hoc justi proculdubio pœnam putant. Justus miranda agit, et opprobria recipit: ut qui exire se foras per laudes poluit, repulsis contumeliis ad semetipsum redit, et eo se robustius intus in Deo solidat, quo foris non invenit, ubi requiescat. *Greg. in mor.*

17. Bona vinea justi, imo bona vinea justus, cujus

vitis, cujus actio palmes, cujus vinum, testimonium conscientiæ, cujus lingua, torcular expressionis, et lachrymæ piæ contribulatorum unæ sunt amantium. *Bern. in serm.*

18. Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est: sed semper esurit, sititque justitiam: ita, ut si semper viveret, semper quantum in se est, justior esse contenderet. *Bern. in ep.*

19. Justitia est reddere unicuique quod suum est. Tribue ergo tribus, quæ sua sunt: superiori, æquali, inferiori. Redde reverentiam prælato et obedientiam, quorum altera cordis, altera corporis est: tribue æquali consilium, quo ignorantia erudiatur, et auxilium, quo infirmitas juvetur: tribue subjecto custodiam, ut possit cavere peccatum, et disciplinam, ut quod minus cavit, minime maneat impunitum. *Ibidem.*

20. Rectus est ille, qui ad terrena non curvatur, qui ad cœlestia totus erigitur, qui divinæ voluntati, humiliter subjicitur, cujus medium non exiens ab extremis, paupertate et patientia regulatur. *Ibidem.*

21. Justitia est animi libertas, tribuens unicuique suam propriam dignitatem, majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam. *Ans. in lib. cur Deus homo.*

22. Cur fere omnes conjugia Liæ abhorrent, et in amplexus Rachel tantum suspirant? Quia perfecta justitia jubet inimicos diligere, parentes, propriaque relinquere, illata mala patienter ferre, oblatam gloriam ubique declinare. Sed ab hujus mundi amatoribus quid stultius, quid laboriosius esse reputatur? hinc est, quod ab eis Lia et lippa creditur, et laboriosa vocatur. *Ric. lib. de contemp.*

23. Justitia non novit patrem, non novit matrem, veritatem novit, personam non accipit, Deum imitatur. *Cass. sup. ill. psalm. Et operatur justit.*

24. Justitia regis, pax est populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, se-

renitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, et sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. *Cipr. de 12 abusi.*

25. Justitia, æquitas est, qua tribuitur patienti, et si nolit, quod ejus merito debetur. *Tull. de offic.*

26. Justitia veritatis splendor est maximus, ex qua viri boni nominantur. *Ibidem.*

27. Totius justitiæ nulla est capitalior pestis, quam eorum, qui tunc quum maxime fallunt, id agunt, ut boni viri videantur. *Tull. 2. offic.*

28. Maximè ducuntur quidam, ut eos justitiæ capiat oblivio, quum in imperiorum honorem, gloriæve cupiditatem inciderint. *Tull. 1. offic.*

29. Necesse est, sit homo, qui non permittat homines sequi suas sententias, diffiniendo quid sit justitia, et quid injuria, cujus esse magis necessarium est, quam nativitas supercilii et palpebrarum, et quam multa alia utilia: esse vero hominem aptum ad instituendum et exequendum jura, necessarium est. *Aric. 10 metaph. suæ.*

30. Quisquis justitiam sectari desideras, prius Deum time, et ama, ut ameris à Deo. Amabis enim Deum, si in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, nulli nocere, et tunc te virum justum appellabunt omnes, sequentur, venerabuntur et diligent. Justus enim ut sis, non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis: nam nihil nocere non est justitia, sed abstinentia alieni. *Sen. 4. de virtutib.*

31. Ita justitiæ regula tenenda est, ut reverentia disciplinæ ejus neque nimia negligentiæ communitate despecta vilescat, neque severiori atrocitate durata, gratiam humanæ amabilitatis amittat. *Ibidem.*

32. Ab alio expectes, quod alteri feceris, præstabis parentibus pietatem, cognatis dilectionem, pacem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis: præstabis amicis fidem, omnibus æquitatem. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 12. in tit. Dolor, núm. 1. in tit. Fortitudo, núm. 14, 18. in tit. Hypocrisis, núm. 1, 3. in tit. Judex, núm. 1, 12. in tit. Lex, núm. 3, 4, 8, 9. in tit. Misericordia, núm. 9, 27. in tit. Munus, núm. 7. in tit. Pax, núm. 5. in tit. Peccatum, núm. 22. in tit. Pietas, núm. 1, 8. in tit. Rapina, núm. 3, 11. in tit. Sapientia, núm. 30. in tit. Virtus, núm. 7.

JUVENTUS.

1. Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum, fervore calentis inflammatur ætatis. *Ambros. de vid. lib. 1.*

2. Præmittit ætatis generalem jactantiam, quo plus commendat humilitatis suæ gratiam: non mirabilis humilitas in senectute, quæ effœta viribus, debilitata fracturis, tristis doloribus, anhela suspiriis, cocta curarum æstibus, et in ipsa vivendi mœsto fastidio alacritate est oblita jactantiæ. Rara sane juvenibus est humilitas, ideoque miranda: dum ætas viget, dum vires solidæ, dum sanguis æstuat, dum solicitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur, tunc fervet jactantia, tunc se juventutis extollit affectus, tunc humilitas quasi vilescit, abjecta contemnitur, tunc subjectio de genere conscientiæ æstimatur infirmitas. *Ambros. super Beati immaculati.*

3. Multos videmus juniorum super senes, intendere moribus dies, antiquorum tempora prævenire meritis, et quod deest ætati, virtutibus compensare: quia juxta Apostolum, ne quis contemnat adolescentiam bonæ indolis, senectus venerabilis non est numero annorum, sed magis merito morum computata. *Bern. in ep. ad Theobaldum militem.*

4. Sicut in senibus sobrietas, et morum perfectio requiritur: ita in adolescentibus obsequium, et subjectio, et obedientia rite debetur. *Cyp. de 12. abusion.*

5. Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit, sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicujus exercitatione non laborarit. Disciplina igitur absque obedientia qualiter fieri poterit?

Adolescens ergo sine obedientia, adolescens sine disciplina est. *Ibidem.*

6. Indigne transacta adolescentia, odiosam efficit senectutem, et honestè acta superior ætas fructus capit auctoritatis. Quid enim senectus surripere valet, in quo juventus reprehensibilis non fuit. *Cas. in ep.*

7. Divitiæ senum, non sunt canities capitum, sed industriæ juventutis, nec plurium annorum circulis, sed laborum præteritorum stipendiis metiendæ. *Ibidem.*

8. Nulla erit processu temporis difficilis clementia Principi, qui in annis puerilibus didicit servire pietati. *Sen. in ep.*

9. Magnum expecta gaudium, quum puerilem animum deposueris, et te in virum Philosophiæ descripseris. Adhuc enim non puerilia, sed quod gravius est, puerilitas remanet, et hoc quidem pejus est, quòd auctoritatem habemus senum, vilia verò puerorum, nec puerorum tantum, sed etiam infantium. *Sen. 16. ep.*

10. Adolescentulum verbosum et eloquentiæ studentem, cum sit sapientiæ inanis, non aliud, quam hostem justitiæ reputa. *Bern. ad Eugen.*

11. Impossibile est juvenem vitiis carnis non tentari. *Hieron.*

12. Honor adolescentium est, timorem Dei habere, parentibus deferre: honorem habere senioribus, castitatem tueri, humilitatem non aspernari, diligere clementiam et verecundiam, quæ ornamenta sunt juvenilis ætatis. In senibus gravitas, in juvenibus alacritas, in adolescentibus verecundia commendatur. *Amb. de offic.*

13. Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentia, tentationibus et libidine impedita, non explicat suum fulgorem, nisi labore et studio et oratione incentiva juventutis intra repellantur. *Hieron. ad Nepot.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 5. in tit. Castitas, núm. 18. in tit. Consilium, núm. 17. in tit. Conversio núm. 15. in tit. Honestas, núm. 4. in tit. Regere, núm. 18. in tit. Senectus, núm. 4, 8, 17, 18.

LABOR.

1. Diversis seminibus pectoris tui colles sere, nunc alimoniis mediocribus, nunc jejuniis parcioribus, lectione, opere, prece: ut mutatio laboris induciæ sint quietis. *August. de virginitate.*

2. Citius auditur una oratio obedientis, quam decem milia contemnentis: talis fuit oratio Pharisæi. *Aug. de opera mona.*

3. Non desinatis in labore persistere, quia sublevatio laboris, est vitium collaborantis. *Greg. 5. moral.*

4. Sancti viri, quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis suæ pignora intra spei suæ cubiculum clausa tenent. *Greg. in moral.*

5. Quibusdam pravis mentibus nihil est laboriosius, quam si eis præcipiatur, ut in hujus mundi actibus non laborent. *Greg. super Ezech.*

6. Nullus labor durus, nullum tempus videri longum debet, quo gloria æternitatis acquiritur. *Hier. in ep.*

7. Quantis sudoribus hæreditas casta expetitur, et minore labore promissa margarita Christi emi poterat. *Hier. ad Nepotia.*

8. Qui in labore hominum non sunt, in labore profecto dæmonum erunt. *Bern. super Cant.*

9. Causam laboris cogitet in labore, ut ipsa ei pœnam, quam patitur representet. *Bern. in serm.*

10. ' Laborem et dolorem multi sustinent, quem tamen Deus non considerat. *Bern. serm. de pœnit.*

11. ' Ad laborem quum veneris, sic temperabis opus agendum, ut solicitudo operis intentione animi tui ab iis quæ Dei sunt, non avertat. *Bern. in Doctr.*

12. Libentius suscipitur labor pro desiderio voluntatis, quam pro amore virtutis. *Leo papa de jejun. 7 mensis.*

13. Generosos animos labor nutrit, laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri, timere sudorem. *Sen. 31. ep.*

14. Multum abhorret opus, cujus inchoatio invi-

dia, continuatio est labor, finis est odium. *Sen. in ep.*

15. Si qua per laborem recte feceritis; labor cito recedet, beneficium dum vivitis, non abscedit. Si qua per voluptatem pravam nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum apud vos semper manebit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 6, 7. in tit. Consolatio, núm. 4. in tit. Honor, núm. 3. in tit. Perseverantia, núm. 6. in tit. Religio, núm. 9. in tit. Sapientia, núm. 31. in tit. Solicitudo, núm. 1. in tit. Virtus, núm. 6.

LACHRYMÆ.

1. * Lachrymæ pœnitentium cadunt in conspectu Domini. *Aug. serm. 3. in fe. Na.*

2. * Lachrymæ infantium, testes sunt nostræ miseriæ. *Idem. ho. 10.*

3. Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego, sed quod defendi non potest, ablui potest. Lavant lachrymæ delictum, quod voce pudor est dicere vel confiteri. Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. *Amb. super Lucam lib. 9.*

4. Flevit amare, ut lachrymæ lavarent delictum: tu similiter lachrymis dilue culpam. Non invenio quod dixerit, sed quod flevit. *Ibidem.*

5. Pascunt frecuenter lachrymæ, et mentem allevant fletus: refrigerant pectus, et mœstum consolantur. Est enim piis affectibus quædam flendi voluntas, et plerumque graves lachrymas evaporat dolor. *Amb. de obit. Valentini.*

6. O lachryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: non est qui te accedere vetat, si sola intraveris, vacua non redibis, magis crucias diabolum, quam pœna infernalis. Quid plura? Vincis invincibilem: ligas omnipotentem: inclinas filium Virginis. *Hier. in epist.*

7. Docente te in ecclesia, non clamor populi, sed

gemitus suscitetur. Lachrymæ auditorum laudes tuæ sint. Petrum ter negantem amaræ in locum suum restituêre lachrymæ. *Ibidem.*

8. Oratio Deum lenit, sed lachryma cogit, hæc ungit, illa pungit. *Hier. super Esai.*

9. Holocaustum siccum est bonum opus, quod orationis lachrymæ non infundunt: holocaustum pingue est, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur. *Greg. super ill. ho. 7. super Ezech. Holocaustum tuum pingue, etc.*

10. Irriguum superius accipit anima tua, quum se lachrymis regni cœlestis desiderio affligit: irriguum vero inferius accipit, quum inferni supplicia flendo pertimescit. *Greg. in registro tractans illud, Axa filiæ Cale. etc.*

11. Uniuscujusque mens tantum pœnitendo compunctione suæ bibat lacrhymas, quantum se à Deo meminit amisisse per culpas. *Greg. in past.*

12. Sæpe quod torpentes latuit, fletibus innotescit, et afflicta mens certius invenit malum, quod fecerat, et reatum suum, cujus secura non meminit, hunc in se commota deprehendit. *Greg. lib. 8. moral.*

13. Lachrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum, quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, et serenatæ conscientiæ suavitas. *Bern. super cant.*

14. Illas enim lachrymas vere in vinum mutari bonum dixerim, quæ supernæ compassionis affectu in fervorem prodeunt charitatis, pro qua etiam ad horam tui ipsius immemor sobria quadam ebrietate videris. *Bern. ibid.*

15. Ecce pro omnibus quæ ab initio conversationis meæ mihi retribuit, compunctionem videlicet lachrymarum, devotionem in meditationibus, consolationem in laboribus, directionem in meis actionibus, pro his, inquam, innumeris aliis beneficiis quid ei retribuam rursus? qui totum dedit, quid ulterius impendere habeo? *Bern. in ser.*

16. Delitiæ angelorum sunt lachrymæ nostræ, et delectabiles lachrymæ pœnitentis. *Bernard.*

17. Felices lachrymæ, quas benignæ manus conditoris abstergunt: et beati oculi, qui in talibus liquefieri elegerunt, quam elevari in superbiam, quam omne sublime videre, quam avaritiæ et petulantiæ famulari. *Bern. de contempt. mundi.*

18. Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulavit acceperit, nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non impetrarit. Ipse enim est, qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. *Chrys. in serm.*

19. Sicut post vehementes imbres, mundus aër ac purus efficitur, ita et post lachrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas. *Chrys sup. Matth.*

20. Fletus, est cibus animarum, corroboratio sensuum, et absolutio peccatorum, refectio mentium, lavacrum culparum. *Cass. super psalm. Fuere mihi lachrymæ, etc.*

21. Luctus est, quum quis exacerbato animo quod minus ultionis potest in superiorem, in seipso studet fletibus satisfacere. *Victorin.*

22. Multis enim consolationi sunt lachrymæ et ex parte maxima magnitudinem doloris minuunt, dolor siquidem speciem ignis gerit, qui dum plus tegitur, plus ignescit. *Pet. Btes.*

23. Per lachrymas argumentum desiderii quærimus et dolorem non sequimur, sed ostendimus: nemo enim sibi tristis est. *Sen. ep. 61.*

Vide etiam in tit. Conjugium, núm. 29. in tit. Dolor, núm. 5. in tit. Gaudium, núm. 8. in tit. Justitia, núm. 17. in tit. Pœnitentia, núm. 22, 25.

LASCIVIA.

1. Caveamus ne dum laxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi conceptum quendam bonorum operum. Usus enim cito inflectit naturam. *Ambros. de offic. lib. 1.*

2. Ubi saltatio, ibi diabolus: neque enim Deus ad hoc nobis dedit pedes, ut cum camellis saltemus, sed ut cum angelis chorum faciamus. In saltibus lætantur dæmones, et exultant ministri dæmonum. *Chrys. super ill. Matth. 14. Die autem, etc.*

3. Puellam, propter quam iniquæ apparebant nuptiæ, occultari oportebat, ut convitium matris meretricis occultaretur. *Ibidem.*

4. Si volumus, magna sæpè intelligemus ex parvis, ex oculorum intuitu, ex remissis aut contractis superciliis, ex mœstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex contentione vocis vel summissione, et cæteris similibus facile judicabimus, quod eorum aptè fiat, quidve ab officio discrepet. *Tull. in Rhet.*

5. Sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso loco aliquod probi ingenii eluceat. *Tull. lib. 1. de offic.*

6. Non ita generati á natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potius, et ad quædam studia graviora atque majora. *Ibidem.*

7. Ludo et joco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus cæteris, tunc cum gravioribus et seriis rebus satisfecerimus. *Ibidem.*

8. Sic te geras sapienter, ut nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem. Illi autem qui in ludo deficiunt, neque ipsi dicunt aliquod ridiculum, et dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt. *Seneca.*

9. Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede, á verbis quoque turpibus abstineto, quia licentia eorum impudentiam nutrit. Sermones utiles magis, quam facetos et affabiles ama. Miscebis interdum seriis jocos, sed temperatos, et sine detrimento dignitatis et verecundiæ. Nam reprehensibilis ludus est, si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter factus. Odibilem quoque hominem facit risus, aut superbus, aut clarus, aut malignus, aut furtivus, aut alienis malis evocatus. *Sen. de virtutibus.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vide etiam in tit. Consolatio, núm. 3. in tit. Conversatio, núm. 9, 12, 35. in tit. Diviliæ, núm. 36. in tit. Gaudium, núm. 4. in tit. Gula, núm. 8, 15. in tit. Honestas, núm. 4. in tit. Laus, núm. 25. in tit. Loquacitas, núm. 4. in tit. Modestia, Otiositas, núm. 4. in tit. Ornatus et Prælatio, núm. 5, 12. in tit. Religio núm. 16. in tit. Tristitia, núm. 7. in tit. Virginitas, núm. 1, 6.

LAUS.

1. Laus humana non appeti á sapiente, sed subsequi debet sapientes, et recte facientem, ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant. *Aug. de ser. Dom. in monte.*

2. Securitas laudis in laude Dei est. Ubi laudator securus est? ubi non timet, ne de laudato erubescat. *Aug. super Psal.*

3. Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. *Aug. super Joan.*

4. Ibi est á vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione secura est. *August. ad Diogen.*

5. Non hujus laudis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia et si cuiquam facile est laude carere, dum negatur, difficile est ea non delectari, dum offertur. *Aug. ibid.*

6. Non prohibet videri, ut Deus laudetur, sed videri, ut ipsi laudentur. *Aug. super ill. Matth. 6. Ne justitiam vestram, etc.*

7. Hanc opinionem faciliter præsumptam quæso deponas, tuumque animum, quamvis erga me benevolentissimum, solvas atque eruas: ac de me mihi magis, quam ulli alteri credas. *Aug. in epist. ad Volus.*

8. Nec valde gaudere debemus, quando laudamur nec contristari, quando vituperamur: quia nec depravare injuria, nec coronare potest laus aliena. *Ibidem.*

9. Quid est, quod dicis, ego dives, ille pauper? Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas, taceas laudes tuas, qui miserationes tuas non consideras. *Aug. de Doctr. christ.*

10. Esse humilem est, nolle laudari in se. Qui ergo in se laudari appetit, superbus esse convincitur. *Aug. super ill. psalm. 5.*

11. Apulejus auditoribus suis admirantibus doctrinam commendabat, non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis. *Aug. super Gen.*

12. Laudamus mend citer, delectamur inaniter, et vani sunt, qui laudantur, et mendaces, qui laudant. Alii laudantur, et ficti sunt: alii laudant, quod putant, et falsi sunt: alii utrorumque præconiis gloriantur, et vani sunt. *Aug. in quadam epist.*

13. Remotis obstaculis vanæ opionis scelera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallacia et tegmina, et vanæ laudes et gloriæ auferantur, et apparebunt miseriæ peccatorum. *Aug. lib. 3. de civ. Dei.*

14. Dicit sermo divinus, ne laudaveris hominem in vita sua, tanquam si diceret: Lauda post mortem, magnifica post consummationem. Duplici tamen ex causa utilius est, homini memoriæ laudem dare, quam vitæ, ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentat elatio. Lauda ergo post pericula, prædica securum, lauda navigantis felicitatem, sed quum pervenerit ad portum, lauda ducis virtutem, sed quum perductus est ad triumphum. Quis autem dives possit hic sine trepidatione laudari, qui et de preterito meminit se habere, quod doleat, et de futuro videt sibi superesse, quod timeat? *Aug. in Natal. s. Euseb.*

15. Plures in hoc ipso placere cupiunt, quod placere contemnunt: et mirum in modum laus dum vitatur, appetitur. *Hieron in epist.*

16. Vilium satis hominum est et suam laudem quærentium, alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant, et qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione pejorum. *Ibidem.*

17. Cave ne hominum rumusculos acceperis, cave ne offensam Dei in populorum laudes commutes. *Hieron. ad Nepot.*

18. Si vere laudabilis esse cupis, laudes hominum

Vide etiam in tit. Consolatio, núm. 3. in tit. Conversatio, núm. 9, 12, 35. in tit. Diviliæ, núm. 36. in tit. Gaudium, núm. 4. in tit. Gula, núm. 8, 15. in tit. Honestas, núm. 4. in tit. Laus, núm. 25. in tit. Loquacitas, núm. 4. in tit. Modestia, Otiositas, núm. 4. in tit. Ornatus et Prælatio, núm. 5, 12. in tit. Religio núm. 16. in tit. Tristitia, núm. 7. in tit. Virginitas, núm. 1, 6.

LAUS.

1. Laus humana non appeti á sapiente, sed subsequi debet sapientes, et recte facientem, ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant. *Aug. de ser. Dom. in monte.*

2. Securitas laudis in laude Dei est. Ubi laudator securus est? ubi non timet, ne de laudato erubescat. *Aug. super Psal.*

3. Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. *Aug. super Joan.*

4. Ibi est á vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione secura est. *August. ad Diogen.*

5. Non hujus laudis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia et si cuiquam facile est laude carere, dum negatur, difficile est ea non delectari, dum offertur. *Aug. ibid.*

6. Non prohibet videri, ut Deus laudetur, sed videri, ut ipsi laudentur. *Aug. super ill. Matth. 6. Ne justitiam vestram, etc.*

7. Hanc opinionem faciliter præsumptam quæso deponas, tuumque animum, quamvis erga me benevolentissimum, solvas atque eruas: ac de me mihi magis, quam ulli alteri credas. *Aug. in epist. ad Volus.*

8. Nec valde gaudere debemus, quando laudamur nec contristari, quando vituperamur: quia nec depravare injuria, nec coronare potest laus aliena. *Ibidem.*

9. Quid est, quod dicis, ego dives, ille pauper? Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas, taceas laudes tuas, qui miserationes tuas non consideras. *Aug. de Doctr. christ.*

10. Esse humilem est, nolle laudari in se. Qui ergo in se laudari appetit, superbus esse convincitur. *Aug. super ill. psalm. 5.*

11. Apulejus auditoribus suis admirantibus doctrinam commendabat, non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis. *Aug. super Gen.*

12. Laudamus mend citer, delectamur inaniter, et vani sunt, qui laudantur, et mendaces, qui laudant. Alii laudantur, et ficti sunt: alii laudant, quod putant, et falsi sunt: alii utrorumque præconiis gloriantur, et vani sunt. *Aug. in quadam epist.*

13. Remotis obstaculis vanæ opionis scelera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallacia et tegmina, et vanæ laudes et gloriæ auferantur, et apparebunt miseriæ peccatorum. *Aug. lib. 3. de civ. Dei.*

14. Dicit sermo divinus, ne laudaveris hominem in vita sua, tanquam si diceret: Lauda post mortem, magnifica post consummationem. Duplici tamen ex causa utilius est, homini memoriæ laudem dare, quam vitæ, ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentat elatio. Lauda ergo post pericula, prædica securum, lauda navigantis felicitatem, sed quum pervenerit ad portum, lauda ducis virtutem, sed quum perductus est ad triumphum. Quis autem dives possit hic sine trepidatione laudari, qui et de preterito meminit se habere, quod doleat, et de futuro videt sibi superesse, quod timeat? *Aug. in Natal. s. Euseb.*

15. Plures in hoc ipso placere cupiunt, quod placere contemnunt: et mirum in modum laus dum vitatur, appetitur. *Hieron in epist.*

16. Vilium satis hominum est et suam laudem quærentium, alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant, et qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione pejorum. *Ibidem.*

17. Cave ne hominum rumusculos acceperis, cave ne offensam Dei in populorum laudes commutes. *Hieron. ad Nepot.*

18. Si vere laudabilis esse cupis, laudes hominum

ne requiras, quia quamvis alicui sit facile laudem non curare, dum negatur, est tamen difficile ea, non delectari, quum offertur. *Hieron. ad Celan.*

19. Sæpè bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat. *Greg. in moral.*

20. Pene omne, quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quod potuit dici. Nam cujus laudi non sufficit obstupescens conscientia, quomodo sufficit loquens lingua? *Ibidem.*

21. Laus sua justos cruciat, iniquos exultat, sed justos dum cruciat, purgat iniquos: dum lætificat, reprobos monstrat *Ibidem.*

22. Quum per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt. *Greg. lib. 1. moral.*

23. Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi plantati ligni ante tempus comedit. *Ibid.*

24. Quo arbor altius ad superiora surrexerit, eo vim ventorum vehementius sentit, quia quo plus quisque in bona opera attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur. *Greg. 22. moral.*

25. Valde perfectorum est sic ostenso opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude nesciat privata exultatione gaudere *Ibidem.*

26. Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gaudentibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. *Ibidem*

27. Nescit laudem, dum suppetit, fugere, qui ad hanc didicit, cum deesset, anhelare. *Greg. in past.*

28. Quum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venundatur. *Ibidem.*

29. Quisquis laudis concupiscentias calcare non sufficit, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ egit occultat. *Ibidem.*

30. Laus in nobis referatur ad ipsum laudabilium universorum auctorem et largitorem: non ficte, quemadmodum ab hypocritis, non sola consuetudine, sicut á secularibus, sed nec necessitate quidem, ut jumenta ferendis oneribus applicantur, sed sicut decet sanctos synceritate fida, devotione solicita, hilaritate grata, sed non disoluta. *Bern. super cant.*

31. Extrema dementia est, nulla imminente necessitate rerum, et necessitate violenta, propriis laudibus velle decorari. Non est secundum Deum loqui: judicium est potius istud insaniæ: hoc enim omnem nobis mercedem evacuat. *Chrysost. de laud. Paul. h. 5.*

32. Non laudatur de fide leprosus, quia in lege doctus: hic alienigena, scilicet centurio laudatur, quia legis ignarus: in modico enim sermone sapientiæ plus laudatur rusticus, quum in magno philosophus, et puer si aliquid dixerit sapienter, laudatur, ubi perfectior non auditur. *Chrys. sup. ill. Matth. 1. Audiens Jesus.*

33. Justum est, ut bene gerentibus laudis tribuatur assensus. Nam si equorum cursus hominum clamoribus incitatur: et insonantium manibus agitatur, ut mutis animalibus velocitas appetatur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis aviditatem singulariter incendimus? *Cass. lib. 1. epist.*

34. Gloriosis quippe gratiosiora sunt præconia, quam tributa, quia stipendium et tyranno impenditur: laudis autem prædicatio non nisi bono principi debetur. *Cass. lib. 2. epist.*

35. Generosus est, parentes laudas: dives est, non credo fortunæ: validus est, ægritudine fatigabitur, pernix est, abibit in senectutem: formosus, est expecta parum, et non erit. *Apulejus de Deo Socrat.*

36. In homine quoque illud laudandum est, quod ipsius est: familiam formosam habet, et domum pulchram, multum serit, multum fœnerat, nihil horum in ipso est, sed citra ipsum: lauda in illo, quod nec eripi potest, nec dari, quod proprium hominis est: quæris quid sit? Animus et ratio in animo perfecta. Quid autem est ratio hoc ab illo exigat, rem facilimam, secundum naturam suam vivere. *Sen. 41. ep.*

37. Quid stultius est, quam in homine aliena lau-

dare? Quid eo dementius, qui ea miratur, quæ ad alium transferri protinus possunt? Nemo gloriari, nisi de suo debet. *Ibidem.*

38. Lauda parce, vitupera parcius: similiter enim reprehensibilis nimia laudatio, et immoderata vituperatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est, testimonium veritati, non amicitiæ reddas. *Senec. in epist.*

39. Sit tibi tam tristè laudari á turpibus, quam si laudaris ob turpia. Lætior esto, quoties displices malis, et malorum de te æstimationes pravas, veram tibi laudationem adscribe. Sectator epularum non de bene vivente, sed de bene pascente laudabilem profert sententiam. *Senec. de 4. virt. in quadam epist.*

40. Nolo, nolo laudes me: ó magnum virum! contempsit omnia, et damnatis humanæ vitæ furoribus, fugit nihil damni, nisi me. Non est, quod proficiendi causa venire ad me velis: erras, qui hinc aliquid auxilii speras: non medicus, sed æger hic habitat. Malo illa, quum discesseris dicas: Ego istum bonum hominem putabam, et eruditum: crexeram aures, destitutus sum, nihil vidi, nihil audivi, quod concupiscerem, ad quod reverterer, quum secesseris: non est agendum hoc, ut de te homines loquantur, sed ut ipse tecum loquaris. Quid autem loqueris, quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male æstima. *Senec. ibid. 69. epist.*

41. Bonum est laudari, sed præstantius est esse laudabilem: neminem cito laudaveris: neminem cito accusaveris. Vitium est, omnia credere: vitium est, nihil credere. *Senec. lib. de moribus.*

42. Parva laude dignus est, qui tantum miseris antefertur. Lascivia et laus nunquam habent concordiam. Quam magnum est nolle laudari, et esse laudabilem! *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Adulatio et Constientia, núm. 28. in tit. Convitium, núm. 1, 2. in tit. Deus, núm. 18. in tit. Eleemosyna, núm. 19. in tit. Eloquentia, núm. 1. in tit. Fama, Favor, Gloria bona, núm. 4. in tit. Honor, núm. 23. in tit. Jejunium, núm. 1, 12. in tit. Prælatio, núm. 1, 17. in tit. Sanctitas, núm. 19, 21, 23. in tit. Superbia, núm. 5. in tit. Virtus, núm. 26.

LEX.

1. Quod imperatorum lex minando imperat, hoc fides credendo impetrat. *August. in lib. de spiritu et litera.*

2. Lex Dei charitas est: lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur. *Ibidem.*

3. Factæ sunt leges, ut earum metu humana coerceatur audacia: tutaque sit inter improbos innocentia: et in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænetur nocendi facultas. *Isid. lib. 2. Etymol.*

4. Erit lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate adscripta. *Isid. ibid.*

5. Octo genera pœnarum in legibus contineri Tullius scripsit, id est, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, servitutem et mortem. *Ibidem.*

6. In his rebus, in quibus nihil statuit certum scriptura divina, nobis populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. *Leo papa.*

7. Meditatio legis est, non solum in legendis scripturis, sed etiam in his, quæ scripta sunt, faciendis. *Ibidem.*

8. Quid enim potest esse melius, quam homines in bonis legibus confidere, et casus reliquos non timere? Jura publica certissima sunt humanæ vitæ solatia, infirmorum auxilia, et potentium fræna: unde et securitas venit, et conscientia proficit. *Cassiod.*

9. Quam porro subtiliter Anacharsis leges araneorum telis comparavit! nam ait illa infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere: ita his humiles et pauperes constringi, diviles et præpotentes non alligari. *Val. Max. de memorabil. di.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vide etiam in tit. Consuetudo, núm. 4, 12, 13. in tit. Dilectio, núm. 6. in tit. Gratia, núm. 8. in tit. Perfectio, núm. 9. in tit. Sacerdos, núm. 13.

LIBERALITAS.

1. Liberalitas est motus quidam animi faciens et approbans liberas largitiones sine spe retributionis. *Aug. de diffinit.*

2. Dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat: et quum negaveris, quod petit, judicanda est justitia, ut non eum inanem dimittas: et aliquando melius aliquid dabis, etiam quum injuste petentem correxeris. *Aug. de serm. Dom. in monte.*

3. Modus liberalitatis tenendus est, ut quod bene facis, quotidie facere possis. *Ambros.*

4. Uberior est munus ex parvo, quam thesaurus ex maximo: quia non tantum, quod detur, sed quantum desiderat perpenditur. Nemo plus tribuit quam qui sibi nihil reliquit. *Ambr. lib. 1. de vid.*

5. Non solum quæritur quantum, sed de quanto et quo animo detur. *Ambr. super epis. ad Cor.*

6. Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari: nisi forte, ut Elisæus boves suos occidit, et pauperes pavit de eo, quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica. *Ambros. lib. 1. de offic.*

7. Non illa perfecta est liberalitas, si jactantiæ causa magis, quam misericordiæ largiaris: affectus tuus nomen imponit operi tuo. *Ibidem.*

8. Non probatur liberalitas, vel largitas, si quod aliter largitur, alteri quis extorqueat, si injuste quæsierat, et injuste dispensandum putat. *Ibidem.*

9. Perfecta est liberalitas, ubi silentio quis regit opus suum: et necessitatibus singulorum occulte subvenit, quem laudat os pauperis, et non labia sua. Denique perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur: ut principium operis circa domesticos fidei. *Ibidem.*

10. Est alia probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias: si egere cognoscas. Melius enim est, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati: non tamen ut illi ditiores fieri velint, quod tu possis conferre inopibus. *Ibidem.*

11. Est duplex liberalitas: una quæ subsidio rei adjuvat, id est, usu pecuniæ: altera, quæ operum collatione impenditur: quæ multo frequenter splendidior est, multoque preclarior. *Ibidem.*

12. Quicquid ex affectu puro ac syncero promittitur, hoc est, decorum, non superfluas ædificationes aggredi, non pretermittere necessarias. *Ibidem.*

13. Considera Christi substantiam, ne imprudenter effundas, id est, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, ne secundum dictum prudentissimi viri, liberalitate liberalitas pereat. *Hier. ad Pauli.*

14. Liberalitas non cumulatione patrimonii, sed largitatis diffinitur affectu. *Hier. lib. de vid.*

15. In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum et personarum: rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur, ut pluribus prodesse possimus: juxta illud prophetæ: *Dispersit, dedit pauperibus.* Personarum, ut primum justis, deinde peccatoribus: quibus tamen prohibemur dare, non quia homines, sed quia peccatores. *Greg. in epist.*

16. Quibusdam inopiam ferre non valentibus, tolerabilius est minus tribuere, quam post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare. *Greg. 19. moral.*

17. Nunquam ex vacua manus á munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. *Ibidem.*

18. Nulli parvus est sensus, cui magnus est animus: nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis. Majora quidem sunt impendia divitum, et minora mediocrium: sed nec discrepat fructus operum ubi non deest affectus operantium. *Leo papa in appar. Domin.*

19. Si non est omnium equalis facultas, debet esse

par pietas: quoniam fidelium largitas, non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate. *Ibidem.*

20. Semper illi, quod largiatur, occurrit, cui bene velle non deficit. *Ibidem.*

21. Honestius est rem negare, quam longos terminos dare: quia minus decipitur, cui celeriter negatur. Unde ad multam instantiam res exhibita, chara videtur emptione. Gratius est donum, quod venit ante preces. *Cassiod. in epist.*

22. Parva, ex voto offerentis magna fiunt munera, consumunt autem auctorem suum, quæ constiterint extorta. *Valer. in serm.*

23. Tunc solum pretiosa est pecunia, quando usu largiendi desinit possideri. *Boët. de consolat.*

24. Liberare est serere beneficium, ut metere possis fructum. *Cic. ant. ir. in exi.*

25 Liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant: et quod aptissimum est ad quiete vivendum, charitatem. *Cic. 2. de fin.*

26. Quemadmodum sæva et acerbisima crudelitas est, quæ trahit pœnam: et misericordiæ genus est cito occidere: ita major est muneris gratia, quæ minus diu pependit. Sicut in telis eadem ferri vis est: sed in infinitum interest utrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant: ita illud quod datur, scilicet interest quomodo detur, an tarde, an cito. *Sen. lib. 2. de off. seu ben.*

27. Omnis benignitas properat: et proprium est, libenter facientis, cito facere: si de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit. Itaque duas res maximas perdidit, et tempus, et argumentum amicæ voluntatis. *Ibidem.*

28. Nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parva magnifice, qui regum opes æquavit animo, qui exiguum tribuit, sed qui libenter: qui paupertatis suæ oblitus est, dum in ea respicit, qui occasionem qua prodesset, quæsivit. *Ibidem.*

29. Multoque gratius venit quod facili, quam quod ex plena manu venit, seu datur: exiguum est quod in me contulit, sed amplius non potuit. At hoc, quod dedit, magnum est: sed dubitavit, sed distulit, sed cum daret, gemuit, sed superbe dedit, sed quum contulit, ambitioni dedit, non mihi. *Seneca.*

30. Non refert quid sit, quod datur, nisi á volente volenti. A quibus ergo accipiemus? ut breviter tibi respondeam, ab his, quibus dedisse videamus. *Ibidem.*

31. Unum bene positum beneficium, multorum amissorum solatur damna. Beneficium est benevola actio, tribuens gaudium, capiensque tribuendo, et etiam id, quod facit, prona et sponte sua parata. *Ibidem.*

32. Cave ne beneficium majus sit facultate tua: inest enim tali liberalitati cupiditas rapiendi, ut ad largiendum suppetant copiæ. Sequuntur enim talem largitionem rapinæ, quum eo enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur: et majora odia eorum assequuntur, quibus ademerunt, quam favores eorum, quibus dederunt. *Ibidem.*

33. Officium liberalitatis est omni petenti dare, deos imitari. Si deos imitaris, da etiam ingratis. Nam et sceleratis Sol oritur, et piratis maria patent, dii rerum omnium optimi auctores, ignorantibus beneficia dare incipiunt, ingratis perseverant: non cessant Dii beneficia congerere, unam sortiti intentionem, scilicet prodesse, imitemur illos: demus, etiamsi multa in irritum data sunt. Ingratus est: non fecit mihi injuriam, sed sibi, nam gratum beneficium semper delectat, ingratum semel. *Ibidem.*

34. Duo sunt genera largorum: quorum alteri dispensatores, alteri liberales: dispensatores, qui epulis et muneribus histrionum et lenonum pecunias profundunt, quorum memoriam, aut brevem, aut nullam sunt relicturi: liberales, qui suis facultatibus, aut captos aut prædonibus redimunt, aut amicos in filiarum

collocatione juvant: vel in alia re quærenda vel agenda. *Ibidem.*

35. Refert cujus animi sit, qui præstat, non cujus status: non est gloriosum, quod ab invito et tergiversante fit: nihil facit virtus, quod necesse est. *Senec. 85. epistol.*

36. Multi sunt qui non donant, sed projiciunt. Non voco liberalem, pecuniæ suæ iratum. *Ibidem.*

37. Ab Antigono Cynicus petit talentum. Respondit plus esse, quam Cynicum deceret petere: repulsus petit denarium: respondit minus esse, quam quod regem deceret dare. Turpissima hujusmodi cavillatio est. Invenit enim quomodo neutrum daret. In talento Cynicum, in denario regem respexit, cum posset et denarium Cynico dare, et talentum tanquam rex. *Senec. lib. de benefic.*

38. Melius Alexander, cum daret civitatem cuidam dicenti, non convenire civitatem humili fortunæ suæ, respondit: Non quæro quid oporteat te accipere, sed quid deceat me dare. Socrati cum multa pro suis facultatibus offerret, Æschines pauper auditor, ait: Nihil, inquid, dignum te, quod tibi dare possem invenio: et ob hoc solum me pauperem esse sentio, tamen dono tibi unum quod habeo, meipsum: hoc autem munus rogo qualecumque est, boni cogites: alii enim cum multum tibi darent plus sibi reliquerunt: sed ego mihi de me nihil reliqui. Nemo enim plus tribuit, quam qui sibi nihil reliquid: cui Socrates: Tu, inquid, magnum munus mihi das, ubi te tam parvo æstimas. Habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi. Ecce quomodo æstimes, hoc munere vicit omnem juvenum opulentorum munificentiam. Vides quomodo animus invenit liberalitatis materiam etiam inter angustias, neque existimes illum vilem sibi fuisse quia pretium se sibi fecit ingeniosus adolescens. Non ergo quanta quæque sint, sed á quali, prospiciendum est. *Ibidem.*

39. Melius puto apud pauperes bonos, quam apud

divites magnos collocari beneficium: et reddit rationem. Nam qui locupletes sunt, beneficio obligari nolunt: imo quum acceperint beneficium, quamvis magnum, aut beneficium se prius dedisse arbitrantur, aut aliquid á se expectari suspicantur: cum vero inopi bono benefacis, spectatum se, non suam fortunam putat: et ideo si in contentione res venerit, sequere Themistoclem, qui ait de nuptiis filiæ suæ consultus, malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam quæ viro. *Sen. de ben.*

40. Sicut non est liberalis, qui sibi donat: nec clemens qui sibi ignoscit: nec misericors, qui malis suis tangitur, sed qui aliis: ita etiam nemo sibi ipsi beneficium dat, sed naturæ suæ parat, quæ monet ad refutanda nociva, et appetenda proficua. *Sen. lib. 3. de benefic.*

41. Bis est gratum, si quod opus est, ultro offeras. Benignus etiam causam dandi cogitat, cui semper dederis, ubi negas, rapere imperas. *Senec. in prov.*

42. Duplex fit bonitas, quum accedit celeritas: minus decipitur, cui negatur celerius. Ages sic alienum negotium, ut tuum non obliviscaris: amico ita prodesto, ut tibi non noceas. *Senec. ibid.*

Vide etiam in tit. Beneficia et Hospitalitas et Parentes, núm. 2. in tit. Paupertas, núm. 16. in tit. Petitio, núm. 11, 12. in tit. Promissio, núm. 2, 4, 5. in tit. Servilium, 12.

LIBERTAS.

1. Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat: et quem regnare delectat uni omnium regnatori Deo subjectus sit, plus eum diligendo, quam semelipsum. *August. de vera religione.*

2. Quidam religionem nostram, quam manifestissimis et paucissimis celebrationum sacramentis de misericordia volunt esse liberam, servilibus premunt oneribus. *Aug. lib. ad inquisit. Janu.*

3. Prima libertas voluntatis erat, posse non peccare, novissima erit multo magis non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multo magis non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit perseverantiæ felicitas, bonum non posse deserere. *August. de correctione et gratia.*

4. Ille vero in quavis conditione servitii liber est, qui amore non capitur: avaritiæ vinculis non tenetur: metu criminis non alligatur: qui securus expectat præsentia: quem non terrent futura. *Ambr. de Joseph.*

5. Cum nobis triplex posita sit libertas, á peccato, á miseria, á necessitate: hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura. In prima restauramur á gratia, media per diligentiam gratia comitata, exercetur in via: tertia autem reservatur nobis in patria: dicatur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prima habet multum honoris: secunda plurimum virtutis: novissima cumulum jucunditatis. *Bern. de libero arbitr.*

6. Liber est æstimandus, qui nulli turpitudini servit.

7. Quid es libertas? potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur? Soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? An ille mihi liber est, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit, dandum est: vocat, venendum: ejicit, abeundum: minatur, extimescendum: ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiamsi in amplissima familia natus sit, apellandum puto. *Cic. in paradoxo penultim.*

8. Illa præclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit fugienda repetenda libertate. *Cicer. in Philip.*

9. Quid? eques, aut libertinus, aut servus nomina

ex ambitione, aut injuria nata suspicere in cœlum ex angulo licet. *Senec. 51. epist.*

10. Quid sit libertas quæris? nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus, fortunam in æquum reducere. *Senec. 47. epist.*

11. Liber non est, quem superbus inflammat animus. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Nobilitas et Sacramentum, núm. 1, 22. in tit. Servitus et Violentia.

LIBIDO.

1. Sine libidine non est parentum concubitus: ob hoc ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus. *August. de fide ad Petrum.*

2. Libido velut festuca est, cito accenditur, prope consumitur. *Ambros. in quadam epist.*

3. Sævus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte fervet, die anhelat. *Ambr. in lib. de Abel et Cain.*

4. Non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. *Hieron. in quadam epist.*

5. Libidinosa mens ardentius honesta persequitur: et quod cum licet, dulcius suspicatur. *Hier. ibid.*

6. In serico et in pannis eadem dominatur libido, nec regum purpuram timet, nec mendicantium spernit squalorem: multoque melius est stomachum dolere, quam mentem: imperare corpori, quam servire: gressu vacillare, quam pudicitia. Nisi statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur: quæ sunt infelicium remedia: cavendum est vulnus, quod dolore curatur. *Hier. in epistol. ad Salvi.*

7. Venter mero æstuans, cito spumat in libidinem. Venter enim et genitalia vicina sunt et unum alteri subministrat. Ex vicinitate enim membrorum sequitur confœderatio vitiorum. *Hier. in epist.*

8. Nulla facilius ad maleficium causa quam turpis

amor, et intemperans libido commovere potuit. *Tull. 2. de Rhet.*

9. Libidinis initium continebis, si exitum cogitaveris. *Senec. lib. 2. de moribus.*

Vide etiam in tit. Virginitas, núm. 17. in tit. Voluptas, núm. 15.

LOQUACITAS.

1. Absit ut multiloquium deputem quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine, aut prolixitate dicantur. *August.*

2. Periculum est dicere non solum falsa, sed etiam vera: si is ea, non quibus oportet, insinuet: quod vitium quadripartitum est: vel adulationis, vel avaritiæ, vel jactantiæ, vel loquacitatis incautæ. *Ambr. super Beati immaculati.*

3. Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse: vix quempiam tacendo: ideoque tacere nosse, quam loqui, difficilius est. *Ambr. 1. de offic.*

4. Alliga sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colliget. Si restrictior et ripis coerceatur, cito lutum colligit amnis et undas. Jugum sit verbis tuis et statera atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus atque in verbis modus. *Ambr. ibid.*

5. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter: postremo, si ubi non oportet, loquaris. *Ambr. lib. 1. de virginitate.*

6. Verba volvere, et apud imperitum vulgus, admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebem et indoctam volubilitate linguæ decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur. *Hieron. ad Nepotia.*

7. *Tempus tacendi et tempus loquendi*: discreta vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut quum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat: aut quum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. *Greg. lib. 7. moral.*

8. *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxu eloquii relaxare, quo contra in bona etiam parte dicitur aqua profunda, verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam caput est jurgiorum: quia qui linguam non refrænat, concordiam dissipat. *Gregor. in pastoral.*

9. Quot supervacuis verbis mens á silentii sui censura dissipatur, quasi tot ruinis extra seducitur: unde redire interius ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium exterius sparsa vim intimæ considerationis amittit. *Greg. lib. 5. moral.*

10. Pravi sicut in sensu leves sunt, ita in locutione præcipites: quia quod levis conscientia concipit, levior protinus lingua prodit. *Ibi. lib. 5.*

11. Lingua sub magni moderaminis libratione frænanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat: aut restricta etiam ab utilitate torpescat. *Ibid. lib. 8.*

12. Si illatas molestias lingua tranquille diceret, á constientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant: quia quum putredo, quæ intus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. *Ibid. lib. 7.*

13. Quum intentionem bonam locutio cauta non sequitur, ipsa pietatis propositio in transgressionis vitium vertitur. *Ibid. lib. 5.*

14. Isti sunt casus culpæ crescentis: ut lingua, quum non restringitur, nequaquam ubi ceciderit jaceat, sed semper ad deteriora descendat. *Ibidem lib. 16.*

15. Tenerum membrum est lingua, et tamen vix teneri potest: substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum: in venis tenuis est et lata: ideo aptissimum evacuandis sordibus instrumentum. *Bernar. in quadam epist.*

16. Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit:

leviter penetrat animum, sed non leviter exit: leviter profert, sed non leviter revocatur: facile volat, ideo charitatem facile violat. *Bern. ibid.*

17. Vanus sermo cito polluit mentem, et facile agitur, quod libenter auditur. *Isid. in lib. soliloq.*

18. Sapiens non solum quod loquitur sed etiam opportunitatem loci, et temporis, et personæ, quum loquitur, diligenter inquirit. *Glo. super illud Proverb. 15.*

19. Vanus sermo, vanæ conscientiæ est judex, mores hominis lingua pandit, qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur: quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Sermo vanus non erit absque judicio, quia ab omni statu rectitudinis deviant, qui per vana verba dilabuntur. *Hug. lib. 2. de anim.*

20. Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo, ligat et ligari non potest: labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallitur. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit, et interficit: blanda est et subdola: lata et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala. Qui custodit linguam suam, custodit animam, quoniam mors et vita in potestate linguæ est. *Ibidem.*

21. Est tempus quando nihil, est tempus quando aliquid, nullum autem est tempus in quo dicenda sunt omnia. *Hugo de disc. monach.*

22. Quis est hominum sic cautus, ut si inter æmulos loquatur, nullum ejus verbum incurrat aliquam quæstionem? Difficilis res est, linguam in lubrico faucium constitutam veritatis rigide tenere mensuram: cui si incaute fræna laxentur, frequenter contra se loquitur. Facilius enim culpa tacendo refugitur, quam loquendo. Salomon dicit: Ori tuo facito ostium et seram, et verbis jugum atque stateram. *Cass. super illud psalm. Dixi custodiam.*

23. Quibus citra honestatis nitorem lingua polluitur infrænis, his conscientia quoque sordidissima est: quia facilius contingit, ut quispiam seria loquens vivat obscæne, id est immunde, quam valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, et probus moribus. *Sid. lib. 3. epist.*

24. Sapiens sermones suos præcogitat, et examinat prius in pectore, quum proferat in ore. Qui enim sunt leves et faciles ac importuni locutores, nullo rerum pondere innixi, verbis tumidis et laxantibus eam orationem bene existimant. Est in ore nasci, non in pectore, linguam. *Aul. Gel. lib. 8.*

25. Nunquam tacet, quem morbus loquendi tenet. Hesiodus ait, linguam non vulgandam esse, sed recondendam et thesaurum ejus esse gratiam optimam, si modesta, pauca, et modulata sit. *Ibidem.*

26. Quidam á Pythagora quærens quomodo inter sapientes discipulos computari possit, respondit: Serva silentium, donec necessarium sit tibi loqui. Si nihil dixeris, nisi quod bene scieris, si gesseris optima et locutus fueris pauca. Nam silentium signum est sapientiæ, et loquacitas signum est stultitiæ. Ne festines respondere, donec fuerit finis interrogationis, nec quæstionem in conventu solvere tentes, cum sapientiorem te interesse prospexeris. *Pith. in suis præceptis.*

27. Non multis verbis opus est, sed efficacibus, seminis modo spargenda sunt. *Sen. 38. ep.*

28. Quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit: ita oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum hæc erit tibi, tardiloquentem te esse jubeo. *Sen. 40. ep.*

29. Sermonem maximo temperamento cum loquente dispensa: in quo palitur aut extraneus verecundiam, aut familiaris calumniam, aut imperitus injuriam, aut crudelis invidiam, aut peritus infamiam. *Senec. in quadam epist.*

30. Imago animi, sermo est: qualis vir, talis oratio. Magnum est vocis et silentii temperamentum. Gar-

rulo non respondere convitium est. *Sen. in Prov.*

31. Ut licentiosa mancipia animi imperio redige linguam, cupiditatemque opprime, si non potes, paululum remitte. Sæpe ea, quæ sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore. *Sen. lib. de moribus.*

32. Conscientiam amici nullus invenit linguæ præceps: canibus imbecillibus mos est, quanto plus defecerunt virium, tanto magis latratibus indulgere. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Advocati núm. 7. in tit. Consilium, núm. 27. in tit. Conversatio, núm. 23, 24, 26, 27, 36. in tit. Convitium, núm. 5, 6, 7, 8. in tit. Cor, núm. 17. in tit. Discordia núm. 12. in tit. Obedientia, núm. 15. in tit. Otiositas, núm. 4. in tit. Odium, núm. 19. in tit. Pax, núm. 21. in tit. Taciturnitas et Verecundia, núm. 1.

LUXURIA.

1. Luxuria non est vitium corporum pulchrorum vel suavium, sed animæ perversæ amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia: qua aptamur spiritualibus. *August. 12. de civ. Dei.*

2. Cur te non in voluptate tua modo aquæ luxuria dilatas, cum te quis sequatur, ignoras? Acceptum tempus immisceri desideriis perdere non debes, quia quam citius pertranseat nescis. Si enim Deus hominem in voluptate carnis nollet, in ipso humani generis exordio masculum et fœminam non fecisset. *Aug. de conflic. vitiorum.*

3. Quanti et quales Episcopi, et clerici post confessionum et victoriarum calcata certamina, post magnalia et signa mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, quum volunt in navi fragili navigare! Quantos leones domuit una infirmitas delicata, id est luxuria, quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam! *August. de singularitate clericorum.*

4. Commistio sororum et fratrum quanto sit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior religione prohibente. *Aug. 15. de civitate Dei.*

5. Sicut iniquum est aviditate possidendi transgredi limitem agrorum: ita et iniquum est libidine concumbendi subvertere limitem morum. *Ibidem.*

6. Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam, et ad præsens voluptatem deliniens, futuram non sinit cogitare paupertatem. *Aug. de doct. christ.*

7. Ex voluntate perversa facta est libido: et dum servitur libidini, facta est consuetudo: et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. *Aug. lib. de confess.*

8. Qui luxuriatur, vivens mortuus est: et ferreas mentes libido domat, quæ majorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putant omne, quod nesciunt. *Hier. matri et filiæ.*

9. O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! *Hier. in epist.*

10. Libido enim transacta semper sui relinquit pœnitudinem, et nunquam satiatur, et extincta reaccenditur, usu crescit et deficit, nec rationi paret, quæ impetu ducitur. *Ibidem.*

11. O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna! *Ibidem.*

12. Quælibet alia fient bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur. *Greg. 12. moral.*

13. Malum luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere: callidus enim adversarius noster, quum ab effectu operis expellitur, secreta cogitatione polluere nititur. *Ibidem.*

14. Ex quo luxuria semel mentem alicujus occupaverit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim

desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio. *Gregor. in moral.*

15. Alia est carnis luxuria, qua castitate corrumpimur: alia cordis, qua de castitate gloriamur. *Bern. in serm.*

16. Luxuriæ currus cuadriga volvitur vitiorum, ingluvie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otii soporisque resolutione: trahitur equis æque duobus, prosperitate vitæ, et rerum abundantia: et qui his præsident duo, ignaviæ torpor, et infida securitas. *Bern. super cant.*

17. Vitium libidinis facile ex vacantia et otio nascitur, nam difinitio amoris hæc est, Animæ vacantis passio. Ovidius: *Otia si tollas periere cupidinis arcus. Chrys. super Matth.*

18. Tamdiu spiritu fornicationis animum necesse est impugnari, donec se bellum gerere supra vires agnoscat. Nec labore, vel studio proprio victoriam obtinere se posse, nisi Dei fuerit auxilio ac protectione suffulta. *Cass. ex collat. abbatis Moysi.*

19. Brevis est voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicationis. *Beda de tempto Sal.*

20. Luxuria, est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, quæ humanum corpus debilitat, et virilis animi robur enervat. *Hugo.*

21. Petulantia est ex carnalium cogitationum conceptione, totius corporis pecudialis hebetudo. *Ibidem.*

22. Venus, est illecebrosa voluptas, adulterina jucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorso. *Ibidem.*

23. O extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effœminat, sed corpus enervat, non solum maculat animam, sed fœdat personam! Omne namque peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus suum est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Semper illam præcedunt ardor et petulantia, semper comitatur fœtor et immunditiæ, semper sequitur dolor et pœnitentia. *Ibidem.*

24. Quis ejus multiplices species enumerare valeat? hæc enim Pentapolim cum adjacenti regione subvertit: Sichem cum populo interemit: hæc filios Judæ percussit: Judæum et Madianitidem pugione transfodit: tribum Benjamin pro uxore Levite delevit: filios Heli sacerdotis in bello postravit: hæc Uriam occidit, Amon interfecit, plurimos lapidavit: hæc Ruben maledixit, Samsonem seduxit, Salomonem pervertit. Verum est ergo quod legitur: *Propter speciem mulieris multi perierunt. Ibidem.*

25. Blandum malum luxuria, quod accusare aliquando facilius est, quam vitare. Quæ invictum Anibalem armis illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tradidit: illa ducem vigilantissimum, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia: veneris usu lasciviore, ad somnum et delicias evocavit. Quid his ergo vitiis fœdius? quid etiam damnosius? quibus virtus alteritur, victoriæ languescunt: sopita gloria in infamiam convertitur: animi et corporis vires expugnantur: adeo ut nescias an ab hostibus, an ab illis capi perniciosius habendum sit. *Val. Max. lib. 9.*

26. Venus dolosa et ejus corrigia est varia, et quod ex insidiis agit incontinens concupiscentiæ. *Arist. l. 7. ethic.*

27. Esus carnium et potus vini ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 8. in tit. Avaritia, núm. 29. in tit. Caro, num. 20. in tit. Castitas, núm. 18, 21, 22, 23. in tit. Concupiscentia, núm. 1. in tit. Ebrietas, núm. 10, 16. in tit. Gula, núm. 9, 17. in tit. Superbia, núm. 14, 18, 19, 36. in tit,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Vitium, núm. 2, 6. in tit. Voluntas, núm. 10.

MAGISTER.

1. Periculosum est magisterium: discipulatus securus est: ideo Psal. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam.* Securior est enim verbi auditor, quam verbi prolator. *Aug. in quodam serm.*

2. Magisterium vocant, ut quasi laudatus mysterium cordis sui, simpliciter aperiat, eosque velit habere discipulos. *Hier. sup. ill. Matt. 22. Magister scimus quia veraæ est.*

3. Dionysius magistrum sibi in grammatica eligit Donatum, in rhetorica Victorinum, in theologia Gregorium Nazianzenum: similiter Theophrastes sibi eligit Aristotelem, Aristoteles Platonem, Plato Socratem, regina Austri sapientissimum Salomonem. *Isid. in Sinon.*

4. Magistrum vocat, cujus non vult esse discipulus: de mandato magno interrogat, qui nec minimum servat. *Chrys. sup. Matth. 22. Magister quod est mandatum magnum in lege.*

5. Optimus lector est, qui doctorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat, et retulerit magis quam attulerit: neque cogitat illud videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. *Hier. lib. 1. de Trinit.*

6. Principium disciplinæ humilitas est: cujus cum multa sint documenta, hæc tria præcipue ad lectorem vel auditorem pertinent. Primum, ut nullam scientiam, nullam scripturam vilem teneat. Secundum, ut á nemine discere erubescat. Tertium, ut quum scientiam adeptus fuerit, cæteros non contemnat. *Hugo in didascal. lib. 1.*

7. Nulla res discipulo est ita perniciosa, sicut vita magistri contumeliosa. *Boetius de discip. scholarium.*

Vide etiam in tit. Doctrina.

MAGNANIMITAS.

1. Viros fortes, magnanimos esse, eosdem volumus veritatis amicos, minimeque fallaces *Tull. l. 1. de offic.*

2. Ad magnanimum pertinet, neque perturbationi animi, neque hominis, neque fortunæ succumbere. *Ib.*

3. Ad magnanimum pertinet, ea quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil á statu naturæ discedat, nihil á dignitate sapientis. *Ibidem.*

4. Magnanimitas est virtus spontanea, difficilium aggressio, et rationabilis. *Ibidem.*

5. Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, et quum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, non vindicare potuisse. Scito enim magnum et honestum vindictæ esse genus, ignoscere. *Sen. de 4. virtutibus.*

6. Magnanimitas autem si ultra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum, et in quascumque excellentias dictorum atque factorum neglecta honestate festinum, qui momentis omnibus supercilia subrigens, ut bestiarius inquietat, excitat, alium ferit, alium fugat: sed talis aut miserum appetit finem, aut ærumnosam sui memoriam derelinquit. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem nec audacem. *Ibidem.*

7. Eris magnanimus, si pericula nec appetas, ut temerarius, nec formides, ut timidus. Nam timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia. *Ib.*

8. Magnitudo animi, si á communitate humana sit remota, feritas quædam erit et immanitas. *Ibidem.*

9. Pauper fiam, inter plures ero: exul fiam me natum putabo, quo mittar. Non sum uni angulo natus, patria mea totius hujus mundi est. *Sen. in epist.*

10. Magnanimo nihil est magnum. Stilbon Philosophus capta patria, amisso rerum, etc. ecce vir fortis et strenuus ipsam sui hostis victoriam vicit: Facilius est totam gentem, quam magnanimum vincere. *Sen. 25. epist.*

11. Magnanimi est, magna contemnere, et mediocria malle, quam nimia. *Sen. 37. epist.*

12. Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam majora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cælestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare: quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus ac sacer, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. *Sen. 40. epist.*

13. Animus intuendus, ut pariter fugiendorum ac petendorum, non ex opinione sed ex natura pretia rebus imponens, asperis blandisque pariter invictus, neuter se fortunæ submittens, super omnia, quæ contingunt, acciduntque eminens, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangit, quem non attollant fortuita, nec deprimant: talis animus virtus est, hæc est ejus facies. *Sen. 66. epist.*

14. Magnanimo de rebus magnis judicandum est: fortunatior est, qui omnia rerum diversarum onera rigida cervice sustollit, eo qui supra fortunam extat. Non mirum est in tranquillitate non conculi: illud mirare, ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur; ibi stare, ubi omnes jacent. *Ibidem.*

15. Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet: quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non quæritur, vires suas novit, vincit virtute fortunam. *Sen. 72. epist.*

16. Nihil magnum est in rebus humanis, nisi magno animo despicias. *Sen. de mor.*

17. Proprium enim est magnanimitatis veræ non sentire se percussum. In magnis enim fera et magna ad latratum canum lenta respicit. *Ibidem.*

18. * Magnanimitas virtus est, per quam utraque fortuna virtusque et ignominia feruntur. *Aristot. de vir. et vita divis.*

19. * Magnanimitas est pulchrè ferre et felicitatem et infelicitatem, honorem et ignominiam, et non admirari nec delitias, nec clientelas, nec potestatem, nec victorias gymnicas, habere autem animi altitudinem et magnitudinem. Est autem magnanimus nec vitam magnifaciens, nec vitæ emans, simplex porro moribus et generosus injuria, potens lacessiri, et non vindex: sequitur autem magnanimitatem simplicitas et veritas. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 15. in tit. Divitiæ, núm. 2, 17. in tit. Fortitudo, núm. 5, 7, 30. in tit. Labor, núm. 13. in tit. Nobilitas, núm. 19. in tit. Virtus, núm. 30, 83.

MALITIA.

1. Melius judicavit Deus de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. *August. in Enchirid.*

2. Malignitas est mala voluntas hominis, cum ultra non possit: vel beneficiis grates non referre. *August.*

3. * Malitiæ comes individua est miseria. *August. in 39. Psalm. 22.*

4. Malitia est per quam moribus deceptoriis veritate palliata, vel odium alterius, vel proprium commodum attenditur. *August. in quadam epist.*

5. Malitia, est mentis atque animi depravatio á tramite veritatis devia, quæ in curiosorum animos frequenter obrepit. *Ambros. in Hexam.*

6. Mala non sunt, nisi quæ crimine mentem implicant et conscientiam ligant. *Ibidem.*

7. Sicut ignis amoris mentem erigit: ita ignis malitiæ involvit: quia et Spiritus sanctus cor quod replet, elevat, et ardor malitiæ ad inferiora semper incurvat. *Greg. super Joelem.*

8. Mens prava semper in laboribus est, quia aut molitur mala, quæ inferat: vel metuit, ne sibi ab aliis inferantur: et quidquid contra proximos cogitat, hoc contra se cogitari á proximis formidat. *Gregor. 12. Moral.*

9. Velocius malitiæ parva scintilla consumitur, quam virtutis ignibus concalefacere possimus: nam et melli

11. Magnanimi est, magna contemnere, et mediocria malle, quam nimia. *Sen. 37. epist.*

12. Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam majora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cælestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare: quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus ac sacer, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. *Sen. 40. epist.*

13. Animus intuendus, ut pariter fugiendorum ac petendorum, non ex opinione sed ex natura pretia rebus imponens, asperis blandisque pariter invictus, neuter se fortunæ submittens, super omnia, quæ contingunt, acciduntque eminens, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangit, quem non attollant fortuita, nec deprimant: talis animus virtus est, hæc est ejus facies. *Sen. 66. epist.*

14. Magnanimo de rebus magnis judicandum est: fortunatior est, qui omnia rerum diversarum onera rigida cervice sustollit, eo qui supra fortunam extat. Non mirum est in tranquillitate non conculi: illud mirare, ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur; ibi stare, ubi omnes jacent. *Ibidem.*

15. Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet: quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non quæritur, vires suas novit, vincit virtute fortunam. *Sen. 72. epist.*

16. Nihil magnum est in rebus humanis, nisi magno animo despicias. *Sen. de mor.*

17. Proprium enim est magnanimitatis veræ non sentire se percussum. In magnis enim fera et magna ad latratum canum lenta respicit. *Ibidem.*

18. * Magnanimitas virtus est, per quam utraque fortuna virtusque et ignominia feruntur. *Aristot. de vir. et vita divis.*

19. * Magnanimitas est pulchrè ferre et felicitatem et infelicitatem, honorem et ignominiam, et non admirari nec delitias, nec clientelas, nec potestatem, nec victorias gymnicas, habere autem animi altitudinem et magnitudinem. Est autem magnanimus nec vitam magnifaciens, nec vitæ emans, simplex porro moribus et generosus injuria, potens lacessiri, et non vindex: sequitur autem magnanimitatem simplicitas et veritas. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 15. in tit. Divitiæ, núm. 2, 17. in tit. Fortitudo, núm. 5, 7, 30. in tit. Labor, núm. 13. in tit. Nobilitas, núm. 19. in tit. Virtus, núm. 30, 83.

MALITIA.

1. Melius judicavit Deus de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. *August. in Enchirid.*

2. Malignitas est mala voluntas hominis, cum ultra non possit: vel beneficiis grates non referre. *August.*

3. * Malitiæ comes individua est miseria. *August. in 39. Psalm. 22.*

4. Malitia est per quam moribus deceptoriis veritate palliata, vel odium alterius, vel proprium commodum attenditur. *August. in quadam epist.*

5. Malitia, est mentis atque animi depravatio á tramite veritatis devia, quæ in curiosorum animos frequenter obrepit. *Ambros. in Hexam.*

6. Mala non sunt, nisi quæ crimine mentem implicant et conscientiam ligant. *Ibidem.*

7. Sicut ignis amoris mentem erigit: ita ignis malitiæ involvit: quia et Spiritus sanctus cor quod replet, elevat, et ardor malitiæ ad inferiora semper incurvat. *Greg. super Joelem.*

8. Mens prava semper in laboribus est, quia aut molitur mala, quæ inferat: vel metuit, ne sibi ab aliis inferantur: et quidquid contra proximos cogitat, hoc contra se cogitari á proximis formidat. *Gregor. 12. Moral.*

9. Velocius malitiæ parva scintilla consumitur, quam virtutis ignibus concalefacere possimus: nam et melli

plurimo parum absinthii injectum, velocem amaritudinem tradit: mellis etiamsi duplum injiciatur absinthio, non poterit ejus obtineri dulcedo. *Greg. Naz. in apolog.*

10. Habet malitia currum suum rotis quatuor consistentem, sævitia, impatientia, audacia, impudentia. Valde enim velox est currus iste ad effundendum sanguinem, qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec pudore inhibetur. Trahitur autem duobus pernicibus equis, et ad omnem perniciem paratissimis, terrena potentia, et sæculi pompa. Porro præsident his duobus equis aurigæ duo, timor et livor. Timor quidem pompam, Livor potentiam agit. *Bern. super Cant.*

11. Consideras hujus stultitiæ mistum dolum tyranni: aut enim Herodes credidit scripturis aut non. Si non credidit, ut quid ergo interrogabat scripturas, quas putabat esse vaniloquas? Si credidit æstimans prophetiam esse immobilem, quomodo ergo sperabat illum regem posse interficere, quem futurum esse dicebant scripturæ? Nam si prophetiæ credidit, clarum erat ipsum adversus impossibilia conari. Sed si non credidit, tunc nec sibi timere debuit, nec puero insidiari. Respondit Chrysostomus: Anima semel malignitate capta, stultior cunctis efficitur. Tale quippe est vitium malignitatis, ut á nullo plerumque impulsa, sese ipsa præcipitet, et sæpe absque effectu operis, ærumnosa et impossibilia conetur efficere. *Chrys. super Matth. c. 2.*

12. Coerceri omnino nequit animus prava semel voluntate vitiatus, quia zelus sapere nescit, et ita consilium non habet: ideo Herodes non suo consilio gubernabatur, sed vinculo diaboli trahebatur. *Ibidem.*

13. Sicut ignis quanto amplius ligna susceperit, in majorem flammam erigitur, sic anima mala quanto magis veritatem audierit, eo amplius in malitiam excitatur. *Chrys. super Matth. 22.*

14. Ætate minores, malitia pares. Nam pulli serpentum statura breviores sunt, veneno autem æquales: catuli luporum, et si venatione nocere non possunt jam tamen in sanguine gaudent, et morsibus lædunt. *Ibidem.*

15. Debuerunt Pharisæi timere Sadducæorum exemplo, ut ne similiter interrogantes confundantur: sed ardens malitia dum se sociare festinat, rei exitum non aspicit, malevolentia enim et livor nutriunt impudentiam. *Ibidem.*

16. Pharisæi apud se dicebant: Unus loquatur pro omnibus, et omnes loquamur per unum, ut si vicerit, omnes videamur victores. Si autem victus fuerit, solus videatur confusus: ecce sagacitas malignantium. *Ibidem.*

17. Loquitur apud se maligna cogitatio: usquequo illum talem tolero? Consentire ei comprobor, si eum non corripio: consentiens autem, Deum offendo: corripiam ergo, ne Deum offendam. Nihil pro mea, sed pro Dei injuria vel ulciscenda totum facio: imo sic illum sibi restituam: proximum enim corripere et eum castigare, hoc non est proximo nocere, sed prodesse velle. Sic sæpe apud se loquitur cogitatio maligna, excæcavit enim eam malitia sua. *Hug. lib. 1 de anim.*

18. Nequitiam veteres diffinierunt, voluntariam esse malitiam, in quam non casu incidimus, sed spontanea voluntate versamur: nequam dictus est, nequaquam, id est, nullo tempore aptus. *Cass. super psalm.*

19. Malignitatem vitæ nostræ similitudo declarat. Aranea est animal debile ac tenuissimum, quod transeuntibus muscis quædam retia dolosa contexit: sic animi illorum, qui sceleratis operibus diditi sunt, inanibus et subdolis machinationibus occupantur. *Cass. super ill. Anni eorum.*

20. Malitia est ex proposito et deliberatione, malo cognito, prono animo consentire. *Richar. de ver. Apo. tract. illud. Non fermento malitiæ.*

21. Inventor malorum est, qui aliquam malam consuetudinem, vel aliquod tormentum primus invenerit. *Tullius.*

22. Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit:

at venenum quod serpentes in alienam pernitiem perferunt, sine sua continent: non est huic simile, hoc habentibus pessimum est. *Senec. 82. epist.*

23. Male facere qui vult, nusquam non invenit causam: malevolus semper sua natura utitur. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 2, 5. in tit. Correctio, núm. 76, 77, 82, 83. in tit. Discordia, núm. 16. in tit. Fortitudo, núm. 15. in tit. Fraus, Homo, núm. 8. in tit. Hypocrisis, núm. 14, 31. in tit. Ira, núm. 37. in tit. Nocumentum, núm. 1. in tit. Pœnitentia, núm. 17. in tit. Prædestinatio, núm. 11, 12, 13. in tit. Prudentia, núm. 17. in tit. Sapientia, núm. 11. in tit. Simplicitas, núm. 3, 4, 5, 6.

MANDATUM.

1. Si quid vel addas, vel detrahas, prævaricatio videtur esse quædam mandati. Simplex enim et pura mandati forma tenuenda est, vel testimonii series intimanda. Nihil igitur, quod bonum videtur, addendum est. *Aug. in lib. de Para.*

2. Si quis unum mandatum custodiat, et aliud prævaricator, nihil ei prodest. *Ibidem.*

3. Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ hujus molestias suavem jucundamque gustabis, si ejus qui eam promisit, præcepta dilexeris. *August.*

4. Non est amicus recti, quando, si fieri posset, mallet id, quod rectum est, non juberi. *Aug. super psalm. 66.*

5. Non ideo putes aliqua contemnenda esse mandata, quia leviora sunt: tam enim maxima illa, quam minima imperata sunt, et contemptus cujuscumque præcepti, præcipientis injuria est. In quovis proposito, in quovis gradu, æquale peccatum est, vel prohibita admittere, vel jussa non facere. *Hieron. in epist.*

6. Jussa sine culpa non negliguntur, et sine crimine non contemnuntur. *Bernard. de præcept. et dispens.*

7. Contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis, et communiter damnabilis est: neglectus autem in fixis gravior, tolerabilior in mobilibus mandatis. *Ibidem.*

8. Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcepit homo. *Bern. super Cant.*

9. Sunt mandata, quæ duris atque carnalibus imponuntur animis ex lege vitæ, et disciplinæ: et sunt olea dispensationis, quæ infirmis et pusillis corde misericordiæ apponuntur: et sunt consiliorum solida fortiaque, quæ ex intimis sapientiæ proponuntur sanis. *Ib.*

10. Prælati jussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis: nec ultra extendi nec contrahi citra debet. Nihil me prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. *Bern. de præcep. et disp.*

11. Mandata Moysi in actu facilia sunt, ut non occidas: et ideo in remuneratione modica, et in peccato magna: sed mandata Christi, ut non irascaris, in actu difficilia: et ideo in remuneratione magna et in peccato minima. *Chrys. sup. Matth. 60.*

12. Merito dedit præceptum, qui præmisit exemplum. *Cass. super Psalm.*

13. Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia præcedit auxilium, et obedientia mollit imperium; nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod jubetur. *Leo Papa in appar. Domini.*

Vide etiam in tit. Concupiscentia, núm. 2. in tit. Correctio, núm. 25, 66. in tit. Dilectio, núm. 10. in tit. Exemplum, núm. 22. in tit. Mansuetudo, núm. 7. in tit. Oratio, núm. 32, 33. in tit. Peccatum, núm. 10. in tit. Superbia, núm. 16. in tit. Timor, núm. 13.

MANSUETUDO.

1. Miles sunt, qui cedunt improbitatibus et non

resistunt in malo, sed vincunt in bono malum. *Aug. de ser. Dom. in monte.*

2. Mitescere est, non contradicere divinæ scripturæ, sive intelligere, si aliqua vitia nostra percutit, sive non intelligere: quasi nos melius et verius sapere, et percipere possemus. *Aug. lib. 2. de Doctr. Christia.*

3. Mansuetus homo cordi est medicus. *Ambros. ad Vercel. Episcop.*

4. Quum deposuero omne peccatum, et eruero omnem malitiam, et simplicitate contentus fuero, inops malorum, superest, ut mores temperem. Quid enim mihi prodest carere sceleribus, nisi fuero mitis atque mansuetus? *Ambros. super Luc. lib. 5.*

5. Beatus qui severitatem et mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. *Ambros.*

6. Mitis est, quem non rancor vel ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet, non irritat, nec irritatur non nocet nec nocere cogitat. *Hier. in glo. sup. Matth. 5. Beati.*

7. Nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus et humilis ad omnes, ex diverso torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrænatis superciliis, facie inter pallorem et ruborem variata, clamore perstrepitat, et errantes non tam á bono retrahit, quam ad malum sua sævitia præcipitat. *Hier. sup. epi. ad Tit. Non irac.*

8. Sunt quidam mites sed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio: patebit autem, quam longe sint á vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. *Bern. super Cant.*

9. * Regat disciplina, rigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet rigorem: et sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Gregor. 19. moral.*

10. Magna est virtus, si non lædas, á quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas, Magna est gloria, si cui potuisti nocere parcas. *Isid. in soli. lib. 2.*

11. Benevolentia, est bona erga aliquem voluntas, ultra quam valet, affectum suum protendens. *Hugo.*

12. Benignitas, est largitas rerum per compassionem. *Ibidem.*

13. Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi, vel lenitas superioris adversus inferiorem. *Hugo de S. Victor.*

14. Clemens dicitur animus, quando est tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad subveniendum. *Ibidem.*

15. *Mansueti lætentur*: non dixit, lege docti, non jejunantes, non psallentes, sed mansueti lætentur, qui charitate præcipua habere omnium rerum temperantiam consueverunt. *Cass. super Psal. 33. Mansuet.*

16. Mansuetos appellamus manu consuetos, id est, patientes et mites, qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem gravare præsumunt. *Cass. super Psalm. 38. Mansueti, etc.*

17. Ornamentum enim bonorum omnium est syncera benignitas, quæ nunquam est sola: quia de virtutibus cognoscitur esse generata. *Cass. in epist.*

18. Mansuetudo, est motus animi utrumque statum mundi, lance pensans æquali. *Tull. de offic.*

19. Clementia est virtus, per quam animus concitatus in odium alicujus benignitate retinetur. *Tull. 2. Rhetor.*

20. Clementia est, quæ alieno sanguini tanquam suo parcit, et scit homini non esse homine prodige utendum. *Sen. de clement. ad Neron.*

21. * Mansuetudo est virtus animosæ partis, qua præditi ægre moventur ad iram. *Arist. de vir. et vit. divis.*

22. * Hominem homini nihil aliud mansuetum et mitem reddit, quam benevolentiæ, justitiæ et probitatis fides. *Plutarch. de Polit.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 32, 47, 91. in tit. Spiritus sanctus, núm. 11.

MARIA.

1. Excepta virgine Maria, de qua propter bono-

rem Domini nullam prorsus habere volo questionem: inde enim scimus, quod ei plus collatum fuit gratiæ ad vincendum omni ex parte peccatum: quia concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac virgine excepta, si omnes sanctos et sanctas quum hic viverent, congregare possem, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisset responsum putamus, nisi quod ait Joannes: *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus?* etc. *August. de natura et gratia.*

2. Auctrix peccati Eva: auctrix meriti Maria. Eva, occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: illa percussit, ista sanavit. *Aug. in serm. de assump.*

3. *Ave Maria gratia plena Dominus tecum*, tecum in corde, tecum in ventre, tecum in utero tecum in auxilio. *Aug. in serm. de natura Beatæ Mariæ.*

4. Exultavit Maria: et matrem se læta miratur, et de spiritu sancto se protulisse gaudet: nec quia peperit innupta, terretur, sed quia genuit cum exultatione, miratur. *Ibidem.*

5. Felicior partus spiritualis, quam carnalis. Beatior enim Maria fuit concipiendo Christum fide, quam carne: materna enim propinquitas nihil ei profuisset, nisi felicius ipsum fide, quam carne gestasset. Idem super illud Luc. II. *Beati, qui audiunt verbum Dei*, etc. Hoc inquit est dicere, mater mea, quam appellatis felicem: inde felix est, quia verbum Dei custodivit, non quia in illa verbum caro factum est. *Aug. in lib. de virgin.*

6. Non mirum, si Dominus redemplurus mundum operationem suam tunc inchoavit á Maria, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. *Ambros. super Luc.*

7. Quid nobilius Dei matre, quid splendidius ea quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit? Et ut de cæteris ejus virtutibus taceam, virgo erat non solum corpore, sed etiam mente: corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi peritior, legendi studiosior,

non in cumulo divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, omnibus bene velle, majoribus assurgere, æqualibus non invidere, jactantiam fugere, rationem sequi et amare: quando ista fastidivit humilem? quando risit debilem? quando vitavit inopem? Nihil in oculis torvum, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis, talem hanc Evangelista monstravit, talem angelus reperit, talem spiritus sanctus elegit: Quid enim in singulis mores? quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur. *Ambr. de virg. lib. 2.*

8. Quantæ in una virgine species virtutum emicant, secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. *Ibidem.*

9. Sit igitur nobis tanquam in imagine descripta virginitas, vita Mariæ, in qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis: hinc sumatis exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, ostendunt. *Ibidem.*

10. Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit. *Ambros. de virginit.*

11. Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de matris pudore dubitare: sciebat enim teneram virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris; nec putavit ortus sui fidem, matris injuriis adstruendam. Servatur itaque sanctæ Mariæ, sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas. Oportet enim sanctos et ab his testimonium habere qui foris sunt, nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur. *Ambros. super Luc. lib. 2.*

12. *Surgens Maria*, etc. Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec dubitans

de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio: in montana perrexit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet? Nescit tarda molimina spiritus sancti gratia. *Ibidem.*

13. Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce virginem oraculo, disce virginem ministerio, solam in penetralibus, quam nemo virorum viderat. Solus angelus reperit solam sine comite, solam sine teste, ne quo indigno damnaretur affatu. Disce ergo virgo verborum vitare lasciviam. Maria autem angeli salutationem verebatur, ab angelo salutatur, ubi clauso super se ostiolo orabat patrem in abscondito. Non est enim putandum ostiolum virginis apertum, ne vel orantis turbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. *Ambros.*

14. *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, etc. Talibus namque decebat virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena, quæ reddidit cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. *Hier. in ser. de assumpt.*

15. Quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur. Hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ divinitus nunciatur. *Ibidem.*

16. Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eis laudibus referamus, cum etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior enim cœlo est, de qua loqui nitimur: abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Si cœlum, inquit, te vocem, altior es: si matrem gentium, præcedis: si formam Dei te appellem, digna existis: si dominam angelorum, prima esse probaris. Quid ergo de te digne dicam? *Hieron.*

17. Cæteris virginibus per partes præstatur gratia: Mariæ vero se totam infundit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Christo quoquam aliter et aliter, quia in Christo fuit plenitudo gratiæ tanquam in homine personaliter difinito: in Maria vero, ut in templo singulariter consecrato: vel aliter, in Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente, in Maria vero sicut in collo transfundente. *Ibidem.*

18. Non est in mundo locus dignior utero virginali, in quo Dei filium Maria suscepit, nec in cœlis solio regali, quo Mariam Dei filius sublimavit. *Ibidem.*

19. Si diligenter attendas, nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ, et nihil candoris, quod non resplendeat in virgine gloriosa. *Ibidem.*

20. Virgo regia ipsa est via, per quam salvator advenit: procedens de ipsius utero, tanquam sponsus de thalamo suo. Per te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis: excusset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas Deo grata, nostræ veniam impetret vanitati: copiosa charitas tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum: fœcunditas gloriosa, fœcunditatem nobis conferat meritorum. *Bern. in serm.* 2.

21. Ad beatam virginem sicut ad medicum, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, et qui in cœlo sunt, et qui in terra, et qui in inferno habitant, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequuntur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis: illi qui sunt in cœlo, ut restaurentur: et qui in inferno, ut eripiantur: et qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur, et qui sequuntur, ut glorificentur. *Ibidem.*

22. Per te, virgo sancta, cœlum impletum est, inferus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem, miseris expectantibus perdita vita data. *Bern. in serm. 98.*

23. Nihil est, quod tantum me terreat, nec est aliquid, quod tantum me delectet, sicut de beata virgine sermonem habere: terret, inquam, me, indignitas propria,

sed me delectat virginis laus et excellentia. *Bernar. in quodam serm.*

24. Ille solus ó virgo beata tuas laudes sileat, qui te fideliter invocatam senserit, unquam in suis necessitatibus, sibi defuisse. Et quid mirum, si invocata adest, quæ etiam non vocata præsto est? *Ibidem.*

25. O venter capacior cœlis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus orbis comprehendere non potuit, et qui tribus digitis molem terræ apprehendit. *Ibidem.*

26. Si criminum immanitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, si judicii horrore perterritus, si barathro desperationis absortus es, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat á corde, non recedat ab ore. Nam ipsam cogitans, non erras: ipsam cogitans non desperas: ipsam sequens, non devias: ipsa tenente non corruis: ipsa protegente non metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia pervenis: et sic in temetipso experiri poteris, quam merito dictum sit nomen virginis, Maria, id est, maris stella. *Bern. in serm.*

27. Oportet universos cristicolas inter fluctus hujus sæculi navigantes, attendere hanc maris stellam quæ supremo cardini, id est, Deo proxima est, et respectu exempli ejus cursum vitæ dirigere, quod qui fecerit, non jactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur sirenea voragine voluptatum, sed prospere veniat ad portum quietis æternæ. *Ibidem.*

28. Sicut á te despectus et adversus necesse est quod pereat, sic ad te reversus, et á te respectus, impossibile est quod pereat. Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. *Ib.*

29. Puto quod copiosior sanctificationis gratia in ipsam descenderit, quæ non solum ejus sanctificaret ortum, sed et vitam deinceps ab omni peccato custodiret immunem. *Ibidem.*

30. Quis misericordiæ tuæ, ó benedicta, longitudinem, profunditatem, sublimitatem queat investigare? Nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua misericordia plena sit omnis terra, sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris, et in umbra mortis oblinuit redemptionem. *Ib.*

31. Maria omnibus facta est sapientibus et insipientibus, copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam, denique tota trinitas gloriam, filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit, qui se abscondat á calore ejus. *Bern. in ser. 98.*

32. *Beatam me dicent omnes generationes,* ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam et gloriam tribuisti. In te enim angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, et per te, et de te benigna manus omnipotentis quidquid creavit, recreavit. *Bern. in ser.*

33. Maria virginem se oblita, gloriatur de humilitate, et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate. *Bern. super Missus est.*

34. Mulier evangelica, quæ commiscuit tria sata farinæ fuit beata virgo, quæ in incarnatione fermento fidei suæ commiscuit tria sata; novum, antiquum et æternum, scilicet animam de novo creatam, corpus de natura, Adam et æternum in unione divinitatis. *Bern. lib. 5. de consider.*

35. O inæstimabilis Mariæ laus! Joseph plus credidit castitati, quam utero intumescenti, plus gratiæ, quam naturæ: conceptionem vidit, sed fornicationem non existimavit: Possibilius credebat mulierem sine viro concipere, quam Mariam posse peccare. *Chrys. super Matth. 1.*

36. Joseph justus erat verbo, justus in facto, justus in legis consummatione, justus in initio gratiæ: ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii et sacramentum quoddam magnificum in ea esse cognos-

cebat: cui approximare se indignum æstimabat, exemplo Petri *Lucæ 5*: Recede á me, quia homo peccator sum. *Orig. super ill. Matth. 1. Joseph. cum esset justus.*

37. Tu patrona humani generis, tu afflictis rebus medica singularis, quis tuo non egeat munere, cum sit peccare commune? *Cass. in quadam epist.*

38. Dum unigenitus Dei existens ante sæcula, ex Mariæ utero natus est homo, investigabili miraculo facta est et ancilla hominis per deitatem, et mater Verbi per carnem. *Gregor. in registr.*

39. Quia umbra non aliter exprimitur, nisi per lumen et corpus: virtus altissimi Mariam obumbrat: quia in ejus utero lux incorporea corpus sumpsit: ex qua videlicet obrumbatione omne in se refrigerium mentis accepit. *Gregor. in Mor. super ill. Virtus altis.*

40. Christus non operante coitu, sed spiritu sancto superveniente conceptus est: natus autem materna viscera et fœcunda exhibuit et incorrupta servavit. *Ibidem.*

41. Quicumque sibi Mariæ optat præmium, imitetur exemplum. *Ambr. de virginitate.*

42. Sicut in transitu meo Mariæ non est corrupta virginitas, sic mea ibi non est maculata majestas. *Aug. cont. duas hære.*

43. Unde sordes in Maria, quæ nec in concipiendo libidinem, nec in pariendo est passa dolorem? Unde sordes in domo, in qua nullus habitator terræ accessit? Solus ad eam ejus fabricator et Dominus venit. *Ibidem.*

44. Eva inobediens meruit pœnam, Maria obediendo consecuta est gratiam: illa gustando prohibitum, maledicta: hæc credendo angelo benedicta. *Aug. ibidem. Quomodo fiet istud.*

45. Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset: sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo non violenter ablaturo, sed potius contra violantes custodituro, quod illa jam voverat. *August. de virginit.*

46. Vera ratione censeo confitendum, Mariam in Christo, et apud Christum esse: in Christo: quia in ipso vivimus, movemur et sumus: apud Christum, quia gloriose ad æternitatem assumpta, benignitate Christi honoratius suscepta cæteris, atque ad communem utilitatem non addicta post mortem, putredini videlicet vermi et pulveri. *August. in serm. de annunc.*

47. Sicut in comparatione Dei nemo bonus: ita etiam in comparatione matris Domini nulla invenitur perfecta: quamvis eximia virtutibus comprobetur. *Hier. in serm.*

48. Totam repleverat eam Spiritus sancti gratia: totam incenderat eam divinus amor: ita ut etiam in ea nihil esset mundanum, quod violaret affectum, sed amor continuus et ebrietas perfusi amoris. *Ibidem.*

49. Maria quia mente passa est, plusquam martyr fuit, nimirum et ejus dilectio amplius fortis, quam mors: quia mortem Christi suam fecit. *Ibidem.*

50. Si spiritu Dei omnis virtus angelorum constat, beatam et gloriosam virginem in quam supervenit Spiritus sanctus, et Deus totus illapsus portatur novem mensibus in utero, credimus ampliora promeruisse virtutum privilegia, et percepisse gratiam ab angelis. *Ib.*

51. Si in domo patris mansiones multæ sunt, credimus splendidiorem filium matri præstitisse, quam olim ædificavit sibi domum subnixam columnis septem. *Ibidem.*

52. Comessatrix ac vinolenta nunquam Maria fuit: quia omnis mulier quæ vinolenta est et comessatrix, meretrix est. Non levis, non jocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix: sicut solent plerumque puellæ, quæ libenter talia aut loquuntur, aut audiunt: non super virum oculos suos extulit, aut infixit aspectum. *Chrys. super Matth.*

53. Magna fuit sanctificatio Jeremiæ, qua potuit vitare faciliter culpam mortalium: major sanctificatio Joannis Baptistæ, qua potuit vitare frequentiam venalium: maxima virginis Mariæ, qua potuit vitare, imo vitavit omne peccatum. *Bern. ad canonic. Lugdun.*

54. Maria proprium peccatum non habuit: et ab innocentissimo corde ejus præsentia longe fuit, nihil unquam cogitavit, locuta vel operata est, de quo opor-

teret eam aliquando pœnitere. Gradum tamen plenioris sanctitatis in conceptione filii habuit, ut videlicet plena gratia esset, et in gratia confirmata: Istud est illud vas novum in figura, in quo jussit Helisæus mitti sal. *Rav. in ser. de Nativit. virg. hæc Bern.*

55. Quæ est virgo tam sublimis, ut salutetur ab angelo, tam humilis ut desponsata sit fabro? *Et R. ho. 2.*

56. Hæc est virgo carne et mente, virgo professione, virgo denique qualem describit Apostolus, mente et corpore sancta. *Bern. super hom. Missus est.*

57. *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Vere in plenitudine sanctorum detentio virginis Mariæ: cui non defuit fides patriarcharum, spes prophetarum, zelus apostolorum, constantia martyrum, sobrietas confessorum, castitas virginum, fœcunditas conjugatorum, sed nec ipsa puritas angelorum. *Bernard.*

58. Sinum suæ misericordiæ Maria omnibus aperit: ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, persona filii Dei carnis substantiam. *Ibidem.*

59. Quod triennis in templo præsentata est beata virgo, et in contubernio virginum posita, nondum plena verba formabat, et jam gressu maturo incedebat, ut non infantula putaretur, sed grandæva: horas sic discernebat, quod mane usque ad tertiam orationi vacabat: á tertia usque ad nonam texebat, vel nebat ad cultum templi: á nona autem orationi instabat, donec angelus veniebat, de cujus manu cibum sumebat: cibum vero quem cum aliis virginibus sumebat, pauperi erogabat. *Hieronym.*

60. Per istas 12 stellas intelligimus duodecim prærogativas in beata virgine fuisse. Regia generatio, angelica salutatio, præcipua sanctificatio, mirifica conceptio, integritas sine corruptione in continendo: fœcunditas sine commistione in concipiendo, facilitas sine aggravatione in filium ferendo, suavitas sine afflictione in pariendo, sobrietas pudorata in eloquio, humilitas comprobata in animo, acerbitas degustata in martyrio, et crudelitas conservata in triduo. *Bern. in Apoc.*

61. Hinc fratres, hinc ergo perpenditur quibus laudibus digna sit beata et gloriosa virgo Maria: quæ illum de castissimis suis visceribus nobis genuit: qui nos de tam profundo gutture avidissimi draconis eripuit. Ad ejus namque digna efferenda præconia non Rhetoricorum diserta facundia, non Dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima Philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, si hæc ineffabilis virgo, in suis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cum et ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille patriarcharum chorus, non providus prophetarum numerus, non judex Apostolorum Senatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium patrum huic beatissimæ virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid justitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic virgini deesse potuit, quæ totius divinæ gratiæ charismate plena fuit? Sicut namque, dum ab angelo salutaretur audivit? *Ave gratia plena, Dominus tecum*: quod ergo vitium in ejus mente vel corpore vendicare potuit sibi locum, quæ ad instar cœli plenitudine totius Deitatis meruit esse sacrarium? in Christo enim sicut per Paulum dicitur, habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Nec mirum, si cunctorum merita transcendit mortalium, quoniam et ipsa superexcedit celsitudinem angelorum. O mirabiliter fœcunda virginitas, quæ novo et inaudito miraculo mater dici possit et virgo: qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur. Sentiebat quidem pondera ventris, quæ pudorem non amiserat castitatis: mirabatur partus insignia, quæ nulla noverat viri contagia: erat spes in partu, cum non fuisset voluptas in coitu: immensum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturivit: qui sibi et munus fœcunditatis attulit, et conceptus virginitatis decus non abstulit natus: qui antequam nasceretur, talem creavit eam, ut digne nasci posset ex ea. *Petr. Dam.*

in quodam serm. super Evang. Lib. generationis.

62. Quo pacto ejus festivitatem dignè celebrare potest infirmitas hominum, quæ gaudium parere meruit angelorum? Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum, quæ illud de se protulit verbum, quod manet in æternum? Quæ lingua in ejus laude invenitur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, et cum tremore obediunt elementa? *Petr. Damian. in serm. de Nativit. B. Virg.*

Vide etiam in tit. Incarnatio, núm. 4. in tit. Nativitas, núm. 11.

MARTYRIUM.

1. Non constituimus martyribus templa et sacerdotia: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. *August. 8. de civitate Dei.*

2. Sæculi homines infeliciter felices sunt: martyres autem feliciter infelices erant. *Idem super Psalm.*

3. Injuria est pro martyre orare, cujus debemus orationibus commendari. *August. de verb. Apost.*

4. Mori á persequente, martyrium in aperto opere est: ferre vero contumelias et odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. *Greg. in ho.*

5. Si adjuvante nos Domino virtutem patientiæ servare contendimus, et in pace ecclesiæ vivimus, martyrii palmam tenemus. *Greg. ho. 55.*

6. Sancti martyres præsentem vitam non despexissent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent. *Greg. Dial. lib. 4.*

7. Nos sine ferro et sanguine martyres esse possumus: si patientiam veraciter in animo custodimus. *Ib.*

8. Quamvis occasio persecutionis deest, habet tamen et pax nostra martyrium suum: quia etsi carnis colla ferro non subdimus: spirituali tamen gladio desideria in mente trucidamus. *Greg. ho. 3. super Evang.*

9. Duo sunt quippe martyrii genera, unum in publico, aliud in mente, simul et in actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi nullo ferro perculientium trucidemur. *Ibidem.*

10. Quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas preticsas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? Propterea pauperibus pariter et martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque dilatione percipitur. *Bern. in serm.*

11. Egestas bene tolerata propter Christum facit martyrium. *Chrysost.*

12. In prœliis sensibilibus, qui potior est ad occisionem, probior est, et hostibus terribilior: quamvis cum rex non possit suscitare post mortem: quanto magis hic, ubi tanta spes resurrectionis est? *Chrys. super Matth.*

13. Fortissimus Abraham, sed beatus Laurentius fortior fortissimo. Audiamus qualiter Abraham sua dimisit, et Laurentius sua dispersit et dedit pauperibus. Abraham filium suum Deo obtulit: Laurentius seipsum pro filio Dei: hic ignem parat, colligat filium, gladium evaginat: sed angelum audit prohibentem ne perficiat: ille ad ignem positus Christum prædicat, carnifices vero urgentes carbones ministrando, verbis non exasperat: efficitur holocaustum Domino, id est, totum incensum, intus igne charitatis, exterius vero flamma tribulationis, hic quia obediens efficitur, filium recipit incolumem: ille quia perseverat in tormentis, á Dei filio recipitur ad salutem. *Hugo de claust. anim.*

14. Hoc enim Baptisma, scilicet martyrium, in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius. *Cypr. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Christianus, núm. 8. in tit. Humilitas, núm. 20. in tit. Virginitas, núm. 16.

MEDICINA.

1. Novit medicus quid saluliferum, quidve contrarium petat ægrotus. Ægroti estis, nolite ergo medico dictare quæ vobis medicamina velit apponere. *Aug. in quodam serm.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. Contraria divinæ conditioni præcepta medicinæ sunt: á jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat. *Ambros. super Psalm. 150.*

3. Omnis medicina habet ad tempus amaritudinem: sed postea fructus doloris sanitate monstratur. *Hier. super Hierem. lib. 2.*

4. Improbus et imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, et ipse vulnus quod patitur, nescit. *Gregor. in pastoral.*

5. Mors medicinalis est, ut sæpe fervorem viscerum in pruriginem cutis trahat: et plerumque inde interius curat, unde exterius sauciat. Ita nonnunquam divinæ dispensationis medicamine agitur, ut exterioribus doloribus internum vulnus adimatur. *Ibidem.*

6. * Medicina aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curat. *Greg. 23. moral.*

7. Ego plagis conscientiæ meæ malum judico accommodatius, medicamentum probris et contumeliis. *Bern. in epist.*

8. O sapientia quanta arte medendi in vino et oleo animæ meæ sanitatem restauras, fortiter suavis, et suaviter fortis, fortis pro me, et suavis mihi. *Bern. super Cant.*

9. Unde irrepsit morbus, inde remedium intret, et per eadem sequatur vestigia, vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis, et sanat oculum qui turbatus est, ut serenus videat quem turbatus non potest, auris prima mortis janua, prima aperiatur et vitæ. *Ibidem.*

10. Spirituali medico spiritualem offerebat mercedem: nam omnes medici pecuniis, iste autem solus oratione placatur. *Chrys. super illud Matth. 2. Ostende te sacerdoti, etc.*

11. Nomen medicinæ á modo ac temperamento impositum existimatur, ut non statim, sed paulatim adhibeatur, nam in multo contristatur natura, naturaliter autem gaudet. Unde et qui pigmenta et antidota assidue biberint, vexantur: immoderatio enim omnis non salutem, sed periculum affert. *Isid. lib. 4. Etymol.*

12. Frequenter si quid ex aptitudine medici gratiosa, et ex quadam confidentia, quam ægrotus inde concipit, natura jam deficiens convalescit. *Bern. ib.*

13. Medicorum consilia devita, qui parum docti et satis seduli officiosissime multos occidunt. *Senec. in epist.*

14. * Noli imitari malos medicos, qui in alienis malis profitentur se tenere medicinæ scientiam, seipsos curare non possunt. *Sulp. ad Cicer.*

15. * Nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt. *Cic. 2. offic.*

16. * Nulla ars inconstantior medicina, nec sæpius mutatur, quum sit fructuosior nulla. *Plin. Sen. l. 29.*

17. * In hac artium sola evenit, ut unicuique medicum se professo statim credatur, quum sit periculum in nullo mendatio majus. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Eleemosyna, núm. 36. in tit. Eucharistia, núm. 13. in tit. Gratia, núm. 3. in tit. Gula, núm. 6, 7. in tit. Humilitas, núm. 4. in tit. Mansuetudo, núm. 3. in tit. Munus, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm. 1.

MENDACIUM.

1. Quomodo Deus pater genuit filium veritatem: sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium. *Aug. super Joan. super ill. Mendax est et pater ejus.*

2. Quum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. *Aug. de ver. apo.*

3. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Sunt mendacia quædam pro salute vel commodo alicujus, non malitia, sed benignitate, ut obstetrices, quæ dixerunt pro filiis Israel falsum Pharaoni: hæc autem mendacia non re, sed in dolo laudantur: et qui sic

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Est etiam mendacium joco, quod non fallit, scit enim cui dicitur, causa joci dici; et hæc duo genera non sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis non convenit mentiri, nec pro temporali vita, cujus morte sua vel alterius occiditur anima: licet autem, si non falsum dicere, verum tacere: ut si quis non vult hominem ad mortem perdere, verum taceat, sed non falsum dicat, nec pro corpore alterius animam suam occidat. *Aug. super psalm. 5.*

4. Quidquid figurate fit, aut dicitur, non est mendacium. *Aug. ad Cantic.*

5. In quibus rebus nihil interest ad capescendum regnum Dei, utrum credatur an non: utrum vera putentur an falsa: in his errare et aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum, aut si est, minimum est atque levissimum. *Aug. in Enchir.*

6. Aliud est mentiri, aliud est verum occultare: sicut aliud est falsum dicere, aliud est verum tacere: ut si quis non velit ad mortem hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur: neque occidat animam suam pro corpore alterius. *August. super psalm. 5.*

7. Mihi autem absurdum videtur omne mendacium esse peccatum. Sed multum interest, quo animo, et de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim ita peccat, qui consolandi, sicut qui nocendi voluntate mentitur: nec tantum ille nocet, qui viatorem mentiendo in adversum iter mittit: quantum is, qui viam vitæ mendacio fallentem depravat. *Aug. in Enchir.*

8. Aliud est jurare falsum, aliud jurare in dolo. Non enim omnis, qui aliter facturus est, quam promittit, in dolo jurat. Licet enim Apostolus Corinthiis promitteret: *Veniam ad vos*: non tamen in dolo juravit, aut mendaciter promisit. Ille autem in dolo jurat, aut mendaciter promittit, in cujus mente est, non sic se facturum ut promittit. Ille autem, qui promittit falsum quod putat verum: nec in dolo jurat, nec

mendaciter promittit. *Hier. super Hierem. lib. 2.*

9. Nonnulli obstetricum mendacium conantur asserere non esse peccatum, maxime quia illis mentientibus scriptum est: quod ædificavit eis Dominus domos: in quo magis recompensatio cognoscitur, quam mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, præmissa culpa mendacii in terrena est recompensatione declinata. *Greg. super illo loco.*

10. Nonnunquam pejus est mendacium meditari quam loqui. Nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari vero studiosæ pravitatis. *Greg. lib. 8. moral.*

11. Mendacii quoque genus perfecti viri summopere fugiunt: ut nec vita alicujus pro eorum fallacia defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstari nituntur carni alienæ, quanquam hoc peccati genus facillime credamus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hoc facile abstergitur, quod mater boni operis ipsa pietas admittit. *Ibidem.*

12. Aliud est sub incerto hoc vel illud opinando sentire, aliud est temere affirmare, quod nescias. Est enim qui dubie profert mendacium, et non mentitur: et est qui veritatem, quam nescit, affirmat, et mentitur: nam et ille, non quidem, quod non est, esse; sed se, quod credit, credere dicit, et verum dicit: et si hoc verum non sit, quod credit. Is quum se certum, unde certus est, non esse, dicit, verum non dicit, etiamsi verum sit, de quo asserit. *Bern. super Cant. serm. 18.*

13. Concessum est diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet. *Chrys. super Matth.*

14. Mendacia si non habent quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur, sicut ait Psalmus, *mentita est iniquitas sibi. Chrys. super Matth. 21.*

15. * Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentitus eras, mentiendo efficis quod vitaveras. *Cyprian.*

16. * Qui veritatem occultat, et qui mendacium pro-

fert, uterque reus est: Ille, quia prodesse non vult: iste quia nocere desiderat. *Anselm. in epi. ad Cor.*

17. Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quenquam: quia quolibet modo mentiatur quis, offendit. *Isid. de conflictu vitiorum et virtutum.*

18. Quidam in suis mendaciis gratiosi sunt: quidam semper laborant esse veridici, et mendacissimi reputantur. *Pet. Bles.*

19. Mendacium, est falsa verborum prolatio cum intentione fallendi. *Tullius.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 48. in tit. Confessio, núm. 4. in tit. Jejunium, núm. 32. in tit. Veritas, núm. 8, 11. in tit. Vitium, núm. 6.

MERCATIO.

1. Desiderio tuo locum facis diabolo. Ecce enim diabolus proposuit lucrum et mutavit ad fraudem, lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris: sed lucrum esca est, fraus laqueus: sic attende escam, ut videas et laqueum: quia lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris, fraudem autem si feceris capieris. *Aug. super Psalm.*

2. Regula justitiæ manifesta est: quod á vero non declinare virum deceat bonum, nec damno justo afficere quenquam, nec aliquid dolo annectere rei suæ. *Ambr. lib. de Offic.*

3. In contractibus vitia eorum, quæ væneunt, prodi jubentur: at nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transierint, doli actione tenetur. *Amb. 3. de Offic.*

4. Vilem se vult æstimari Christus, ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur. *Amb. super Lucam lib. 6.*

5. Super omnes mercatores, plus maledictus est, scilicet usurarius: quia mercator dat ut non jam repetat: iste autem postquam fœneravit, et suum iterum repetit, et alienum cum suo tollit. *Chrys. sup. Matth. 21. Ejiciebat de templo omnes ementes, etc.*

6. Quicumque comparat, inquid, rem, ut illam integram et imminutam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. *Ibidem.*

7. Propemodum donare videtur, qui vendit rogatus: ad saturatos cum mercibus ire, certamen est: suo autem arbitrio pretium poscit, qui victualia potest ferre jejunus. *Cass. in ep. lib. 2.*

8. Aurum vel divitias siquidem per bella quærere, nefas est: per maria, periculum: per falsitates, opprobrium: per agriculturam vero licitum est: honestum vero est lucrum, per quod nemo læditur, juste acquiritur, et nulli præjudicatur. *Cass. in epistol.*

9. Sordidum est eorum officium, qui emunt á mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi quodammodo mentiantur. Agricultura enim nihil melius, nihil uberius, nihil homine libero dignius. Hanc laudat Horatius: Beatus ille, qui procul negotiis. Ut prisca gens mortalium, paterna rura bobus exercet suis: Solutus omni fœnore. *Tullius.*

Vide etiam in tit. Clericus, núm. 3. in tit. Prædicatio, núm. 2, 7.

MERITUM.

1. Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? *Aug. lib. confess.*

2. Deus auctor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, et opus explicat voluntati. *Aug. de lib. arbitr.*

3. Simplices et indocti regnum cœlorum rapiunt, et nos cum literis nostris ad infernum descendimus. *Aug. Matth. 11.*

4. Magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora. *Greg. in moral.*

5. Non est magni meriti, si quid foris erga nos agatur in corpore, sed magis pensandum est, quid agatur in mente: nam præsentem mundum despicere, transitoria amare, non mentem medullitus in humilitate Deo et proximis sternere, contra illatas contumelias patientiam servare, et custodita patientia dolorem malitiæ á

fert, uterque reus est: Ille, quia prodesse non vult: iste quia nocere desiderat. *Anselm. in epi. ad Cor.*

17. Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quenquam: quia quolibet modo mentiatur quis, offendit. *Isid. de conflictu vitiorum et virtutum.*

18. Quidam in suis mendaciis gratiosi sunt: quidam semper laborant esse veridici, et mendacissimi reputantur. *Pet. Bles.*

19. Mendacium, est falsa verborum prolatio cum intentione fallendi. *Tullius.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 48. in tit. Confessio, núm. 4. in tit. Jejunium, núm. 32. in tit. Veritas, núm. 8, 11. in tit. Vitium, núm. 6.

MERCATIO.

1. Desiderio tuo locum facis diabolo. Ecce enim diabolus proposuit lucrum et mutavit ad fraudem, lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris: sed lucrum esca est, fraus laqueus: sic attende escam, ut videas et laqueum: quia lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris, fraudem autem si feceris capieris. *Aug. super Psalm.*

2. Regula justitiæ manifesta est: quod á vero non declinare virum deceat bonum, nec damno justo afficere quenquam, nec aliquid dolo annectere rei suæ. *Ambr. lib. de Offic.*

3. In contractibus vitia eorum, quæ væneunt, prodi jubentur: at nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transierint, doli actione tenetur. *Amb. 3. de Offic.*

4. Vilem se vult æstimari Christus, ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur. *Amb. super Lucam lib. 6.*

5. Super omnes mercatores, plus maledictus est, scilicet usurarius: quia mercator dat ut non jam repetat: iste autem postquam fœneravit, et suum iterum repetit, et alienum cum suo tollit. *Chrys. sup. Matth. 21. Ejiciebat de templo omnes ementes, etc.*

6. Quicumque comparat, inquid, rem, ut illam integram et imminutam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. *Ibidem.*

7. Propemodum donare videtur, qui vendit rogatus: ad saturatos cum mercibus ire, certamen est: suo autem arbitrio pretium poscit, qui victualia potest ferre jejunus. *Cass. in ep. lib. 2.*

8. Aurum vel divitias siquidem per bella quærere, nefas est: per maria, periculum: per falsitates, opprobrium: per agriculturam vero licitum est: honestum vero est lucrum, per quod nemo læditur, juste acquiritur, et nulli præjudicatur. *Cass. in epistol.*

9. Sordidum est eorum officium, qui emunt á mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi quodammodo mentiantur. Agricultura enim nihil melius, nihil uberius, nihil homine libero dignius. Hanc laudat Horatius: Beatus ille, qui procul negotiis. Ut prisca gens mortalium, paterna rura bobus exercet suis: Solutus omni fœnore. *Tullius.*

Vide etiam in tit. Clericus, núm. 3. in tit. Prædicatio, núm. 2, 7.

MERITUM.

1. Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? *Aug. lib. confess.*

2. Deus auctor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, et opus explicat voluntati. *Aug. de lib. arbitr.*

3. Simplices et indocti regnum cœlorum rapiunt, et nos cum literis nostris ad infernum descendimus. *Aug. Matth. 11.*

4. Magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora. *Greg. in moral.*

5. Non est magni meriti, si quid foris erga nos agatur in corpore, sed magis pensandum est, quid agatur in mente: nam præsentem mundum despicere, transitoria amare, non mentem medullitus in humilitate Deo et proximis sternere, contra illatas contumelias patientiam servare, et custodita patientia dolorem malitiæ á

corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minime ambire, amicum in Deo diligere, propter Deum et eos, qui sunt inimici, amare, de afflictione proximi lugere, de morte inimici non exaltare, hic est nova creatura. *Greg. in hom. 10.*

6. Hoc totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum salvum fecit: sufficit ad meritum scire quod non sufficiant merita. *Bern. serm. 58.*

7. Præposterus ordo est, ante meritum exigere præmium, et ante laborem sumere cibum. *Bern. super Cant.*

8. Domine, multi volunt tecum conregnare: sed non compati: volunt invenire, et non quærere: volunt consequi, et non sequi. *Bern. in serm.*

9. Etsi millies moriamur, etsi omnes virtutes animæ expleamus, nihil dignum gerimus ad ea, quæ ipsi á Deo percepimus. *Chrysost. de compunct. cor.*

10. Videmus aliquoties nonnullos cœpisse postremos, et factos merito priores. *Chrys. de reparat. lapsi.*

11. Quidquid gesseris, parum est: quidquid feceris, minus. Omne enim meritum breve est comparatione donorum: numera beneficia, si potes, et tunc considera quid mereris. *Chrys. hom. 70.*

12. Si totum tempus vitæ hujus occupant obsequia, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, non poteris pensare, quod debes. *Ibidem.*

13. Sit licet excellens hominum meritum, sit naturæ jura conservans, sit legum jussis obtemperans, fidem impleat, justitiam teneat, virtutes exerceat, damnet vitia, peccata repellat, exemplum semel imitantibus præbeat, nihil est respectu ejusdem. *Ibidem.*

14. Cum divinis muneribus actus proprios meditare: nec dignum te judicabis, eo quod fueris, si intelliges, quod mereris. *Ibidem.*

15. Grandis violentia est in terra nasci, et cœlum rapere, et habere per virtutem, quod non possumus habere per naturam. *Regnum cœlorum vim patitur*: quia gloria Domini Israel patribus debita, á prophetis nunciata, á Christo oblata, fide Gentium occupatur et

rapitur, dum per pœnitentiam, quam Joannes prædicavit, reviviscunt ad cœlestem patriam, quasi in alienum locum redeuntes. *Chrysost. Matth. 11.*

16. Securus celsa conscendit, qui se in paulò minoribus approbavit, et certo præcedit vestigio, qui gradatim politur accepto. Sine merito siquidem remuneratum putatur omne, quod subitum est: nec in exploratis suspitionem refugit, quod repente provenerit. Econtra omnia deliberata sunt robusta, et totum bonis actibus obtinuisse creditur, qui post documenta laudatæ militiæ promovetur. *Cass. lib. 1.*

17. Sumpsisti nomen ex meritis, custodi ut semper læteris veritate vocabuli: nam cum omnis appellatio ad delineandas res videatur imposita, nimis absurdum est, nomen alienum portare, et aliud dici, quam possit in moribus inveniri. Verum hæc bonæ conscientiæ dicta sufficiant, quia dubitari de illo creditur, qui á plurimis admonetur. *Ibidem.*

18. Qui enim est ordine vel dignitate primus, debet esse meritorum laude præcipuus. *Idem lib. 2.*

19. Indiscreti hominis mores confusique vagarentur, si aut culpa formidinem, aut virtus præmium non haberet. *Ibidem.*

20. Junioribus conceditur spes laboris, dum vicissitudo fuerit reddita veteranis. *Idem lib. 4.*

21. Differri non debent merita fidelium, ut ad studia bonorum actuum provocentur vota cunctorum. Demus igitur, quæ sunt justa, laboribus, ut provectu priorum invitemus corda sequentium. *Ibidem.*

22. Sicut enim æquum est desidiosis, laborantium præmia denegare: ita convenit exultantibus, id est, operantibus, remunerationis optata concedere. *Ibidem.*

23. Dignum est, ut fructus laborum sequantur vota fidelium, et superior gradus accipiat, quem gestarum rerum integritas affecta commendat. *Ibidem.*

24. Bene moderatrix omnium rerum antiquitas consideravit, ut laboris sui pretia recipiant, qui publicis utilitatibus obsecundant: ne quis haberetur præteritus, qui probabili fuerat actione laudandus. *Ibidem.*

25. Hoc est profecto difficillimum regnandi genus, exercere juvenem in suis sensibus principatum. Rarum omnino bonum est, Dominum triumphare de moribus, et hoc consequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modestia pervenire. *Cassiod.*

26. Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit: potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Hæc est magnarum ratio virtutum: ut quanto plus homo laborat: tanto plus mercedis acquirat. *Valer. in serm.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 19. in tit. Charitas, núm. 4. in tit. Consolatio, núm. 4. in tit. Gloria vana, núm. 15. in tit. Gloria æterna, núm. 11, 20, 39. in tit. Gratitudo, núm. 12, 13. in tit. Justitia, 25. in tit. Otiositas, núm. 10. in tit. Pœnitentia, núm. 46. in tit. Remuneratio, núm. 7. in tit. Sanctitas, núm. 17. in tit. Tentatio, núm. 2. in tit. Tribulatio, núm. 1, 10.

MILITIA.

1. Militare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est: sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile: propterea enim providentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, predo grassetur. *Aug. de verb. Dom.*

2. De cubiculo ad aciem, de umbra egrediens ad solem: corpus assuetum tunicæ, loricæ onus non sustinet: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum, durus exasperat capulus: fortior autem miles ex confragoso venit. *Hier. in ep. ad Theo. mon.*

3. Rei militaris virtus præstat cæteris virtutibus: omnia nostra studia, et hæc forensis laus latet in tutela ac præsidio bellicæ virtutis: et simul ac increpuit tumultus, artes illico nostræ conticescunt. *Cicer. pro Mur.*

4. Juventus enim cui defensio provinciarum, cui bellorum est committenda fortuna, et genere, si copia suppetat, et moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit: verecundia, dum prohibet fugere, facit esse victorem. *Veg. de re. mil. l. 2.*

5. Fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, et cervorum aprorumque venatores convenit sociare militiæ. *Ibidem.*

6. Nihil enim magis in itinere, vel in acie custodiendum est, quam ut omnes milites incedendi ordinem servent: quod aliter non potest fieri, nisi ut exercitio deambulare celeriter et æqualiter discant. Periculum enim ab hostibus semper gravissimum sustinet divisus et inordinatus exercitus. *Ibidem.*

7. Nihil enim neque firmius, neque felicius, neque laudabilius est republica, in qua abundant milites eruditi. *Ibidem.*

8. Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum, cujus dissimulatione, situ ac rubigine arma fœdantur. *Veg. lib. 2.*

9. Ab is, qui tyrones probant, in omnibus quidem staturæ magnitudinem, corporis robur, alacritatem animi convenit explorari. *Ibidem.*

10. Nunquam enim ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpit, sed incitantur pauci vitiorum scelerumque impunitate: sperant peccare cum pluribus. Quod si ferri medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius est more majorum, in auctores criminum vindicari: ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat: laudabiliores tamen duces sunt, quorum exercitum admodestiam, labor et usus instituit, quam illi, quorum milites ad obedientiam suppliciorum formido compellit. *Idem. lib. 8.*

11. Plerique rei militaris ignari, pleniorem victoriam credunt, si adversarios aut locorum angustiis, aut armatorum multitudine circumdederint, ut aditum non inveniant abscedendi: sed clausis ex desperatione crescit audacia, et quum spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit commori, qui sine dubio scit

esse morturum: ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus, qua fugerent, inveniendam. Nam cum abscedendi aditu patefacto, mentes omnium ad præbenda terga consenserint, multi more pecudum trucidantur: nec insequentium ullum periculum est, quum victi (quibus defendi poterant) arma converterint in fugam: hoc genere quanto major fuerit exercitus, tanto facilius multitudo prosternitur. *Ibidem.*

12. Neque enim ibi requirendus est numerus, ubi animus semel territus, non tam tela hostium cupit declinare, quam vultum: cæterum clausi licet exiguo numero, et infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares; quia desperantes sciunt aliud sibi licere non posse. Nam una salus victis nullam sperare salutem. *Ibidem.*

13. Nulla consilia meliora sunt, quam illa, quæ ignoravit adversarius, antequam facias. Quum igitur consilium tuum cognoveris adversariis proditum, dispositionem mutare te convenit: quid fieri debeat, tractato cum multis. Quid vero facturus sis, cum paucissimis, ac fidelissimis, vel potius ipse tecum. *Ibidem.*

14. Nihil damnabilius est in milite, quam otium, per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires faliscunt, obrepit inertia, et ad immunditiæ actus animus occupatur. *Pet. Bles. ep. 94.*

15. Vegetii Renati testimonio inutilis est omnino militiæ, nutritus tenerè, et delitiis assuetus: eum autem censet aptiorem, qui sub dio et ad arma nutritur in labore, solis patiens, umbræ negligens, balneorum nescius, æque ferens, frigoris injurias et caloris, rudis in causis, simplex in actibus, cibo moderatiore contentus, qui non erubescat fossam ducere, reparare aggeres, ferre lapides et cæmentum, lignorumque materiam comportare. *Ibidem.*

16. Clypeos deferunt deauratos, prædam potius hostium cupientes, quam certamen ab hostibus: bella tamen et conflictus equestres depingi faciunt in sellis et clypeis, ut se quadam imaginaria visione delectent in pugnis, quas actualiter ingredi, aut videre non audent. *Ibidem.*

17. In his Frontinus refert, cum scutum cujusdam vidisset auro et gemmis multipliciter adornatum, dixit se non mirari, si tanta clypeum diligentia ornasset, in quo plus præsidii, quam in ense haberet. *Ibidem.*

18. Refert Pericles: non picturam, non aurum et lapides, sed scutum divulsum: fractam galeam, hebetem gladium, faciem vulneratam cedere militibus ad ornatum. *Ibidem.*

19. Ili sunt, quorum testimonio laudari audis, in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cum sint in prætoriis leones, in præliis lepores. *Ibidem.*

20. Porro ordo militum nunc est, ordinem non tenere: nam cujus os majore verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, ministros Dei vilificat: qui ecclesiam non veretur: iste hodie in cœtu militum fortior et nominatior reputatur. *Idem epist. 19.*

21. Hodie militaris disciplina, quam Vegetius Renatus et plerique alii docuerunt, prorsus evanuit, et se in quandam delinquendi libertatem, et scurrilitatis speciem deformavit. Olim enim se juramenti vinculo milites obligabant, quod starent pro reipublicæ statu, quod in acie non fugerent, et quod vitæ propriæ utilitatem publicam præhaberent: sed et hodie tyrones enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios ecclesiæ: atque honorem sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, et patriæ liberationem se gladium accepisse: porro in contrarium versa est: nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, et desæviunt in patrimonium crucifixi: spoliant et prædantur subjectos Christi pauperes, et miserabiliter atque immiserabiliter affligunt miseros: ut in doloribus alienis illicitos appetitus, et extraordinarias impleant voluntates. *Ibidem.*

22. Qui contra inimicos crucis vires suas exercere debuerant, in potibus et ebrietatibus pugnant. Vacant otio, marcent crapula, vitamque degenerem in im-

munditiis transigentes, nomen et officium militiæ dehonestant. *Ibidem.*

23. Nullum laborem recusant manus, quæ ab aratro ad arma transferuntur: quamlibet enim viam patiuntur jumenta, quorum durata in aspero ungula est: in molli et palustri pascuo saginata cito subleruntur: fortior autem miles ex confragoso venit, sed ille unctus et nitidus in primo pulvere deficit. *Senec. in quadam epist.*

24. Aspero et abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant, quæ ubi á recto itinere discíverunt, oppressura sunt, nisi opprimantur. *Val. Max. lib. 2.*

25. Ducis in consilio, posita est virtus militum. *Val. lib. 4.*

26. Non fuit romanis rubor, eburneo scipione deposito, agreslem aratri stivam repetere: sed Attilii manus rustico opere attritæ, salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessundederunt: et quæ prius arantium boum juga rexerant: postea triumphalis currus habenas retinuerunt: potest pauperes consolari Attilius, sed multo magis docere locupletes, quod non est necessaria magnæ laudis cupido, aut anxia opum comparatio. Virtus enim nudo homine contenta est. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Christianus núm. 6. in tit. Resurrectio, núm. 24.

MIRABILE SIVE MIRACULUM.

1. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profesto minus est, quam totus hic mundus: id est, cœlum, et terra, et omnia quæ in eis sunt, quæ certè Deus fecit: nam et omni miraculo, quod fit per hominem, majus miraculum est homo. Quamvis igitur miracula visibilium naturarum videndi assiduitate vilescunt, tamen ea, quum sapienter intuemur, inusitatissimis rarisque majora sunt. *August. lib. 10. de civ. Dei.*

2. Miracula leguntur in populis, ut credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur. Hæc autem ubicumque fiunt, vix á tota civitate ipsa sciuntur, vel á quocumque commanentium in loco. Nam plerumque fiunt ignorantibus cæteris, maxime, si magna sit civitas: et quando alibi, aliisque narrantur: tanta ea commendat auctoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis christianis fidelibus indicerentur. *Aug. lib. 22. de civ. Dei.*

3. Aliter magi faciunt miracula, aliter boni christiani, aliter mali. Magi per privatos contractus cum dæmonibus: boni christiani per publicam justitiam: mali christiani per signa publicæ justitiæ. *August. lib. 83. quæst.*

4. Ideo non omnibus sanctis ista miracula attribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, æstimantes in talibus factis esse majora bona, quam in operibus justitiæ, quibus vita æterna comparatur. *Ibidem.*

5. Dicamus aliquid Deum posse, quod nos fateamur investigare non posse. In rebus enim mirabilibus tota ratio faciendi, est potentia facientis. *August.*

6. Nihil mirabilius in rebus humanis, quam diligere inimicos. *Aug. lib. de confess.*

7. Eant omnes admirari alta montium, et ingentes fluctus maris, et latissimos lapsus fluminum, et Oceani ambitum, et gyros syderum, et relinquunt seipsos, et non mirantur. Nam et omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est homo. *Ibidem.*

8. Sicut non fuit Deo impossibile, quas voluit naturas instituere: sic ei non est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit naturas, mutare. *August. lib. 21. de civ. Dei.*

9. Operum Dei causa si lateat hominem, non se obliviscatur esse hominem, ne propteres Deo det insipientiam, quia non bene capit ejus sapientiam. *Aug. de spirit. et lit.*

10. Prophetizare, et virtutes facere, et dæmonia ejicere, interdum non est meriti, qui operator: sed

vel invocatio Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, vel utilitatem eorum, qui vident, et audiunt. *Hier. super ill. Matth. 7. Nonne in nomin.*

11. Charitatis et pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto et occultiora, et de quibus apud Deum eo major fit retributio, quo apud homines minor est gloria. *Greg. in ho.*

12. Divina mirabilia semper debent considerari per studium, et nunquam discuti per intellectum. *Ibidem.*

13. Rationem de occulto Dei consilio quærere, nihil aliud est, quam contra ejus consilium superbire. *Ibid.*

14. Quatuor mirabiles imitatores fecit Deus: de piscatore primum Ecclesiæ pastorem: de persecutore magistrum gentium et doctorem: de publicano primum Evangelistam: de latrone primum cœlicolam. *Chrys. super pr. Matth.*

15. Tria totus mundus mirabatur, Christum post mortem resurrexisse, cum carne in cœlum ascendisse, et per duodecim Apostolos piscatores totum mundum convertisse: hujus autem quadruplex fuit causa, scilicet pecuniæ contemptus, gloriæ despectus, secularium occupationum segregatio, et terribilium perpessio. *Ibidem.*

16. Mirabilius est videre hominem convitia passum, et non motum, quam hominem vulneratum, et percussum non cadentem. *Chrys. super Matth.*

17 Miracula in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: quia signum fidelibus non est necessarium, qui jam crediderunt, sed infidelibus, ut convertantur. Nam Paulus, pro non credentium infidelitate, patrem Publii de infirmitate febrium, virtutibus curat: infirmantem vero Timotheum fidelem, non oratione, sed medicinaliter temperare, ut noveris miracula pro incredulis, non pro fidelibus fieri. *Isid. lib 1. de sum.bon.*

18. Res multis modis apparent mirabiles: aliquando ex magnitudine, aliquando ex parvitate: aliquando quia raræ, aliquando quia pulchræ: secundum magnitudinem attenditur, quando res quælibet sui generis modum in quantitate excedit: sic miramur gigantem inter homines, cetum inter pisces, gryphonem inter volucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter serpentes. Secundum parvitatem considerantur quando res quælibet cæteris sui generis quantitate æquari non potest, ut linea et vermes, et cynifes, et alia similia, quæ inter cætera quidem animalia vivunt, sed cæteris omnibus corporis exiguitate dispares sunt. Vide ergo quid magis mireris, dentes apri vel lineæ, alas gryphi vel cynifis, caput equi vel locustæ, crura elephantis vel culicis, leonem vel pulicem, tigridem vel testudinem? Ibi miraris magnitudinem, hic miraris parvitatem: illis dedit oculos quos vix comprehendere potest oculus, et in exiguis corporibus, sic omnifaria adjumenta naturæ suæ congrua plenissime distribuit, ut nihil videas deesse in minimis eorum omnium, quæ natura formavit in magnis. *Hugo de operat. trium dier.*

19. Miramur, quare etiam crocodilus manducans, inferiorem molam non movet, et quomodo Salamandra in igne illæsa permanet: quis dedit Ericio spinas, et docuit eum, ut se pomis turbine discussis involvat, quibus onustus incedens stridet quasi plaustrum? et formica hyemis superventuræ præscia, granis horrea sua replet: aranea quoque de visceribus suis laqueos nectit, ut prædam capiat. Isti sunt testes sapientiæ Dei. *Ibidem.*

20. Est adhuc aliud verum et evidens divinæ sapientiæ argumentum, quod omne genus, simile sibi procreat, et una species propagata, primæ originis formam non immutat: non ovis vitulum, non vaca agnum, non cerva leporem, non leo vulpem, sed in sibi simile propaginem suam extendit. Aliud genus est fagus, aliud quercus, et aliud unumquodque suam speciem habet, et unumquodque sui generis servat similitudinem. Vide folium quomodo intrinsecus productis costulis huc et illuc intexitur, mirare unum, mirare illud: omne quod est unius generis, unius invenies similitudinis: tot costulas in uno, quot costulas in alio: talem formam in uno, qualem in alio, omnis enim natura quasi cujusdam intrinsecus dictantis præceptum accepit: nusquam terminos suos excedere præsumit. *Ibidem.*

21. Qui rei cujuslibet investigare probabilem rationem satagit, is rerum miracula ubique tollit funditus et evertit. *Plutarch. Problem.*

22. In facie vultuque nostro nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere, quod ars nulla in paucis numero præstet affectando. *Plin. lib. 10. hist. Na.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 37. in tit. Antichristus, núm. 14, 16. in tit. Castitas, núm. 22, 23. in tit. Confessio, núm. 15. in tit. Consideratio, núm. 2. in tit. Eucharistia, núm. 8, 9. in tit. Incarnatio, núm. 6, 12. in tit. Resurrectio, núm. 16. et in tit. Sortilegium per totum.

MISERIA.

1. Miseria, est copia tribulationis: et inopia consolationis, quando multifarie quis patitur, et á nemine relevatur. *August. de diffin.*

2. Qui nequiter vult vivere, nonne tanto miserior esse convincitur, quanto facilius mala ejus voluntas impletur? *Aug. lib. de virgin.*

3. Quid miserius misero non miserante seipsum, et flente Didonis mortem, quæ flebat amando Æneam, non flente ante mortem suam, quæ flebat non amando te? *Aug. lib. 1. confess.*

4. Magna hominis miseria, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, proculdubio sine illo non est: et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, neque diligit, cum illo non est. *Aug. de Trinit.*

5. Considera quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod et beati et miseri volunt: nam si hoc bene consideraverit, videbis in tantum esse te miserum, in quantum non appropinquas ei, quod summum est. *Aug. de lib. arbitr.*

6. Apud christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est. *Hier. in ep.*

7. Peccantes quosque tunc consideremus amplius

miseros, quando eos conspicimus in culpa sua, sine flagello derelictos. *Greg. super Ezech.*

8. Ille bene novit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit de spe interna semper gaudere. *Ibidem.*

9. Generalis est humano generi miseria triplex, si diligenter advertimus: nam et faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur, si tentamus facere bonum, deficimus, si conamur resistere malo, dejicimur et superamur. *Bern. serm. 8.*

10. Sicut pura veritas, non nisi puro corde videtur: sic miseria fratris, non nisi misero corde servatur. *Bern. de 12. grad. hu.*

11. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore*, etc. In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur, ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo lacerantes, mirum, quod ipsi non laceramur: primam vocem ploratus edimus, merito quidem, utpote vallem plorationis ingressi, ut nobis illud sancti Iob ex omni parte possit aptari. Multis repletur miseriis? multis et multiplicibus inquam miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis dum dormit, miseriis dum vigilat, miseriis quocumque se vertit. *Bern. in serm.*

12. Consideranti tibi quid sis: occurret tibi homo nudus, et pauper, et miser, et miserabilis, homo dolens, quod homo sit: erubescens, quod nudus sit: plorans, quod natus sit: murmurans, quod sit homo natus ad laborem, non ad amorem: homo natus de muliere, et hoc cum reatu brevi vivens tempore, ideo cum metu repletur multis miseriis, et propterea cum fletu vere multis, quia corporis et animæ simul. *Ibid.*

13. Quare de vulva egressus sum ut viderem laborem et dolorem: consumerentur in confusione dies mei? Si talia locutus est de se, ille quem DEUS sanctificavit in utero: qualia loquar de me, quem mater mea genuit in peccato? Heu me dixerim: mater, quid me genuisti filium amaritudinis et doloris? quare non

in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? cui exeptus genibus, lactatus uberibus, natus in combustionem et in cibum ignis? utinam interfectus fuissem in utero, ut fuisset meum sepulchrum, et vulva ejus conceptus æternus: *fuissem enim, quasi non essem de utero translatus ad tumulum. Innoc. de vil. cond. hum.*

14. Quis ergo det oculis meis fontem lachrymarum, ut fleam miserabilem humanæ conditionis ingressum, culpabilem humanæ conversationis progressum: damnabilem humanæ dissolutionis egressum. Consideraverim igitur cum lachrymis de quo factus est homo quid faciat homo, quid facturus sit homo. Sane formatus est homo de terra, conceptus in culpa, natus ad pœnam, agit prava, quæ non licent, turpia, quæ non decent: vana, quæ non expediunt. *Ibidem.*

15. Formatus est homo de pulvere, de luto, de cinere: quodque vilius est, de spurcissimo spermate, conceptus in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ, quodque deterius est, in labe peccati natus ad laborem, timorem, dolorem: quodque miserius est, ad mortem. Agit prava, quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum. Agit turpia, quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscientiam. Agit vana, quibus negligit seria, negligit utilia, negligit necessaria. Fit cibus ignis, qui semper ardet et urit inextinguibilis esca vermis, qui semper rodit et comedit immortalis: massa putredinis, quæ semper fœtet, et sordet horribilis. *Ibidem.*

16. Sapiens miser, plus miser est, quam rusticus miser: scit enim exagerare causas dolendi, quas rusticus miser ignorat. *Sup. prin. Boet. de consol.*

17. Miserum te reputo, quia nunquam fuisti miser, transivisti vitam, et non invenisti adversarium: nimis miser fuisti: miseros reputo, quia nimia felicitate torpescunt. *Senec. in quad. epist.*

18 Calamitosus est animus futuri anxius, et ante miseriam miser, qui solicitus est, ut ea, quibus delectatur ad extremum usque permaneat: nullo enim tempore conquiescet, et expectatione futuri, præsentia, quibus frui poterat, amittet. *Ibidem.*

19. Miserior es, quum in omnem fraudem oculis raperis, quam si omnino oculos non habueris. *Senec. derem. fort.*

Vide etiam in tit. Compassio, núm. 1, 6. in tit. Homo, núm. 8, 13, 19, 20, 21. in tit. Honor, núm. 1. in tit. Timor, núm. 28. in tit. Voluntas, núm. 1.

MISERICORDIA.

1. Misericordia, est animi condolentis affectus cum additamento beneficii, ut compatiamur proximo, et largiamur de proprio. *Aug. de offic.*

2. Nihil ad misericordiam sic inclinat atque proprii periculi cogitatio. *Aug. ad Galat.*

3. Non est quo fugias á Deo irato, nisi ad Deum placatum. *Aug. super psalm. 74.*

4. Beati illi, qui subveniunt miseris: quoniam eis rependitur, ut per misericordem Dominum de miseria liberentur: nam idipsum videtur justum, ut qui á potentiore adjuvari vult, adjuvet inferiorem, in quo est ipse potentior. *Aug. de serm. Domin.*

5. Melius est, ut nullus sit miser, quam ut tu facias misericordiam. Qui enim ut faciat misericordiam, optat esse miseros, crudelem habet misericordiam: quomodo si medicus, ut exerceat artem suam, optat esse multos ægrotos, crudelis est medicina. *August. super psalm.*

6. Misericordia, est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua utique si possemus, subvenire compellimur. *Aug. 9. de civ. Dei.*

7. Longe melius et humanius et piorum sensibus accomodatius, in Cæsaris laude locutus est Cicero, ubi ait: nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. *Aug. ibid.*

8. Multo misericordius operatur quis circa animas infirmorum, qui bonæ famæ servorum Dei consulit: quam erga corporum ægrotantium, qui panem esurientibus tribuit. *Aug. de opere monacho.*

9. Nec omisso judicio, sis etiam pauperi in mala causa misericors, cui si parcis, cultello percutis cor, et tanto nequiorem reddis, quanto justum sibi favere videt. *Aug lib. 1. apolog.*

10. Plurimum interest, quo animo quisque parcat: sicut enim aliquando est misericordia puniens, ita et crudelitas parcens. *Aug. ep. 64.*

11. Omnis summa disciplinæ christianæ in misericordia et pietate est, quam aliquis sequens si lubricum carnis patitur, sine dubio vapulabit. *Ambros. ad Tim. 4. Pietas ad.*

12. Misericordia largior, ubi fides promptior. Nihil tam commendat christianum, quam miseratio charitatis. *Ambros. de officiis.*

13. Vasa sacrorum vendere opus est, ut quis fide syncera et perspicaci prudentia misericordiæ munus impleat: sane si aliquis in sua declinat emolumenta, crimen est: si vero pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. *Ibidem.*

14. Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri. *Hier. in epist. ad Nepot.*

15. Natura hominum prona est ad clementiam, et in alieno peccato sui quisque miseretur. *Hier. in ep.*

16. Misericordia, affectio est, quæ nec voluntate coercetur, nec rationi subjicitur: sed ipsas pias mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu: ita etiam, ut si peccatum esset misereri, et si multum vellem, non possem non misereri. Est timor plus humilis fructuosus, qui cuilibet quantumlibet peccatori facile misericordiam promeretur: talis timor generat, nutrit et servat humilitatem, mansuetudinem, patientiam et longanimitatem. *Ibidem.*

17. Misericordia á misero corde vocata est, eo quod unusquisque intuetur quempiam miserum, et ei compatiens de dolore animus tangitur: ipse cor miserum facit, ut eum á miseria liberet, cui intendit. *Greg. in mor.*

18. Respicere inopem, exaudire peccantem, ligare

stipitem, præbere defensionem, atque pro ejusdem defensione pauperis adversantis cujuslibet inimicitias timere, magna mentis latitudo est. *Greg. in hom. 5.*

19. Sunt quidam misericordes de iis, quæ ad ipsos non pertinent: qui scandalizantur, quod non datur omnibus abundanter: sic tamen, ut ipsi ne in modico quidem graventur: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam: si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent eis, qui contra eos fortasse peccare videntur: darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, ut eorum mentes ad pœnitentiam revocarent. Denique his omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent et orationem, alioquin misericordia illorum nulla est, et misericordiam consequentur nullam. *Bern ser. 4.*

20. Septem in me video misericordias Domini, quas et vosipsi facile inveneritis in vobis: prima est quod á multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit. Prima quidem non inter omnes, quas mihi impedit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, quod sicut in multa cecidi sic et in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas conservasset? Fateor et fatebor, nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Secunda miseratio, quæ non poterit explicari sermone, quam benigna, quam libera, quam gratuita: ego peccabam, et tu dissimulabas: non continebam á sceleribus, et tu abstinebas á verberibus: prolongabam ego multo tempore iniquitatem, et tu Domine pietatem tuam. Tertia, quod visitavit cor meum, et invitavit, ut amara fierent, quæ male dulcia prius erant. Quarta, quod pœnitentem misericorditer suscepisti, ut in eorum numero invenirer, de quibus Psal. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, etc.* Quinta, per quam mihi continendi deinceps, et emendatius vivendi præstitisti virtutem, ne recidivum paterer, et esset novissimus error pejor priore. Post quam in his quinque miserationibus á malo liberaveris, in duabus aliis, bona largiris: hæ

duæ sunt, gratia promovendi, qua videlicet munus bonæ conversationis indulges: et spes obtinendi, qua donas homini indigno, et peccatori de tua tolies experta bonitate usque ad cœlestia speranda præsumere. *Bern. in serm. 88.*

21. Magnæ misericordiæ sunt quatuor filiæ, scilicet amissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, et sanitas affectionis. *Bern. in serm.*

22. Peccata aliqua minima sunt, alia magna, alia mediocria: et propterea triplici egent misericordia, parva, mediocri et magna. *Bern. de prin. me.*

23. A novissimis incepit, quia qui ante Christum fuerunt, quasi ex operibus justificati fuerunt: gentes autem ex misericordia, unde misericordia incipit á novissimis, justitia á maximis. *Chrys. super Matth. 20.*

24. Deus tristatur non de sua injuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus audiens criminosas personas, lege quidem compellente ipse mortis sententiam dictat adversus eas: tamen misericordia instigante lachrymas fundit super ipsas, et vult eas adjuvare, et non potest, contradicente sibi justitia: quoniam misericordia tunc est vere misericordia, si sic facta sit, ut justitia per eam non contemnatur. Si autem contempta justitia, misericordia observetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. Justitia enim sine misericordia non est justitia, set crudelitas, sicut et misericordia sine justitia, non est misericordia, sed fatuitas. *Chrys. super Matth.*

25. Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum: hæc est, quæ justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat. *Ibidem.*

26. Habens intellectum, curet omnino, ne taceat: habens rerum affluentiam, vigilet, ne á misericordiæ largitate torpescat: habens artem qua regitur, magnoperé studeat, ut usum et utilitatem cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si non quotidie quum valet, apud divitem pro pauperibus intercedat. *Rav. super Matth. 25.*

27. Qui esurientem pane verbi reficit, et sitientem

potu sapientiæ refrigerat, qui errantem in domum patris revocat, qui innocentem protegit, qui infirmum fide asumit et confirmat qui tribulatione oppresso subvenit, compatiendo vel consolando, veram dilectionem adimplet. *Rav. Ibidem.*

28. Misericordia consistit in eleemosynis largiendis, in malis tolerandis, in convitiis remittendis, et imperitis corrigendis. *Ibidem.*

29. Misericordia virtus tanta est, ut sine illa, cæteræ et si sint, prodesse non possunt: Quamvis enim aliquis fidelis sit, et castus, et sobrius, et aliis majoribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. *Leo papa in ser. de apparit.*

30. In illo magno summoque judicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum et pro summa omnium commisorum, et per unun malum illi in ignem miluntur æternum, et per unum bonum isti introducuntur in regnum. *Ibidem.*

31. Benigni quippe principis est, ad clementiæ commodum transilire terminos æquitatum, quando sola est misericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant. *Cass. in epi.*

32. Egentibus justum est, non divitibus subveniri: fundit potius qui mittit in plenum: nam illud potius reconditur, quod vasis vacuis congregatur. *Ibidem.*

33. Si nullum penitus indigere contingeret, locum proinde largitas non haberet. Data est provinciis in regis nostri laude penuria: steriles facti sunt agri, ut ubertas Domini possit agnosci: minus esset acceptissimum donum nisi præcessisset incommodum. *Ibidem.*

34. Misericordia subsequitur ad custodiam, sed præcedit ad gratiam conferendam: nam si solum sequeretur, nemo donatum perciperet: si tantum præcederet, nullus poterit collata servare. Graviores enim sunt insidiæ, quas á tergo diabolus parat: et nisi misericordia subsequatur, facillime fragilitas humana decipitur: tunc enim quando se quis vitium transisse credit, inevitata magis ignoratione decipitur. *Cass. super. Psalm.*

35. Misericors est quum credat, quia nulli, beneficiis provocatur, ut præstet: miserator est, quum res cadentes sua pietate constituit. *Cass. super ill. Psalm. Miserator etc.*

36. Differunt misericordia et miseratio, sicut fons et rivulus: misericordia enim quasi fons est affectu: miseratio quasi rivulus effectu. *Hugo.*

37. In regno cœli coram omnibus Angelis in conventu resurgentium, quod Abel passus sit, quod mundum conservavit Noe, quod Abraham fidem servavit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem Jesu primus ascendit, Deus tacet et clamat solum, quod pauper comedit dicens, esurivi, qui enim misericors est, misericordia dignus est. *Petr. Rav. in quodam serm. Esponem illud. Matth. Esurivi etc.*

38. *Ite, proferte stolam primam.* Non dixit unde venis? ubi fuisti? ubi sunt, quæ tulisti? quare tantam gloriam in tantam turpitudinem commutasti? sed *proferte stolam primam, et induite illum.* Videtis, quia delicta non videt vis amoris: tardam misericordiam pater nescit, delicta qui discutit, prodit. *Pet. Rav.*

39. Præcedentis misericordiæ beneficium perdidit, qui putat esurienti semel sufficere: quod donavit: ille autem ad Deum integros misericordiæ fructus præmittit, á quo pauper nunquam tristis abscedit. *Valerius in quodam sermone.*

40. Misericordia est vicina miseria: habet enim aliquit traitque ex ea: imbecilles oculos esse scias, qui ad aliam lippitudinem et ipsi suffunduntur. *Sen. lib. de clemen.*

41. Frustra rogatur, qui misereri non potest gravis tamen pœna est, quem post facti pœnitet. Mali causa est, qui requirit misericordiam. *Senec. in Prov.*

42. Petant etiam innocentes misericordiæ auxilium. *Quint. lib.* II.

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 5, 24. in tit. Apostoli, núm. 20. in tit. Avaritia, núm. 13. in tit. Bellum, núm. 23. in tit. Charitas, núm. 14. in tit. Christianus, núm. 1. in tit. Compassio et Conversio, núm. 5. in tit. Correctio, núm. 13. in tit. Eleemosyna, núm. 15. in tit. Humilitas, núm. 20. in tit. Jejunium, núm. 19, 37. in tit. Paupertas, núm. 16, in tit. Venia, n. 2, 18.

MODESTIA.

1. In omnibus moribus nostris nihil fiat, quod cujusque offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem. *August. in regula.*

2. Sermones proferamus libra justitiæ examinatos, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus: in temperantia cordis habeat animi munditiam, justitia misericordiam, prudentia pacem, fortitudo mansuetudinem. *Ambr. de offic. lib.* 3.

3. Est in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia: habitus enim mentis, in corporis statu cognoscitur: hinc homo cordis nostri absconditur, aut levior, aut jactantior, aut torpidior, aut congruior, constantior, et purior, et maturior æstimatur. Itaque vox, quidam est animi corporis motus. *Ambr. de offic. lib. 1.*

4. Est gressus probabilis in quo sit species auctoritatis gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen ut studium desit atque affectio: sed motus sit tibi purus ac simplex. *Ibidem.*

5. Sicut molliculum et infractum aut vocis sonum aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem, neque rusticum imitemur: effigies enim forma disciplinæ, forma honestatis est. *Ambr. ibi.*

6. Hoc est pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui et personæ reddere: hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. *Ibidem.*

7. Motum natura informet, si quid sane in natura vitii est, industria emendet. *Ibidem.*

8. In te consistito, non infra dejici, non supra attolli, non evadere in longius, non extendi in latius. Tene medium, si non vis perdere modum, locus medius tutus est: medium, sedes modi, et modus virtus. *Bern. l. 3. de consid.*

9. Melior est gradus lentior per iter rectum, quam velocitas festina per devium. *Leo papa in ser. de Pentec.*

10. Risus, est vox confusa lætitiæ, insultationem immoderata hilaritate denuntians. *Cass. super Psal.*

11. Lascivia est indecens motus dissoluti animi, et corporis ex intemperantia carnali prodiens. *Ibidem.*

12. Novum est sub amore principis custodire modestiam, quæ tam clara, quam rara est: quia gaudia semper animos inquietant, modus enim raro lætis rebus intervenit. *Cass. 4. lib. epist.*

13. Modestia est, cultum et motum et omnem nostram occupationem ultra defectum, et citra excessum sistere, de qua Horatius: Est modus in rebus, sunt certi denique fines. Quos ultra citraque nequit consistere rectum. *Hugo.*

14. Modestia, est pudici et honesti habitus cum laudabili profectu verecundia. *Tull. 2. Rhet.*

15. Modestia est servata propria virtute omnibus juste pieque moribus convenientium se contemperare. *Ibidem.*

16. Si disputarem nec manum jactarem, nec vocem attollerem, sed ista Oratoribus reliquissem, contentus sensus meos ad te pertulisse, quos nec exornassem, nec abjecissem: non delectent verba nostra, sed prosint. Sit talis sermo, ut res potius quam se ostendat. *Sen. 66 ep.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 6. in tit. Conversatio, núm. 9, 20, 21, 22, 28, 29, 36. in tit. Discretio, núm. 6, 7, 9. in tit. Gloria vana, núm. 7. in tit. Humilitas, núm. 10. in tit. Infirmitas, núm. 2. in tit. Lascivia, n.° 6, 8. in tit. Magnanimitas, núm. 6. in tit. Præsumptio, núm. 16. in tit. Prosperitas, núm. 19. in tit. Tristitia, núm. 7. in tit. Verecundia, núm. 1.

MONACHUS.

1. Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos subrigimus, et tam gravi contumelia clericos dignos putamus: ut scilicet dicatur, quod malus monachus bonus clericus est, cum aliquando

bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat. *August. ad Aurelianum.*

2. O monache qui stas corpore, stat anima tua, et non psallis Deo! *maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Si psalterium es, si cithara es, quare surdus es, et non glorificas Deum? *Hier. super Psalm.*

3. Sicut martyres laudant Deum pure in regione vivorum, ita et monachi, qui die ac nocte psallunt Deo, debent eandem puritatem habere martyrum, siquidem ipsi martyres sunt. Quod enim faciunt angeli in cœlis, hoc monachi faciunt in terris. *Ibidem.*

4. Si cupis esse quod diceris, monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum. *Hier. in epist.*

5. Summæ stultitiæ est, renuntiare sœculo, dimittere patriam, urbes deserere, et monachum profiteri, et inter majores populos vivere peregre, quam erat victurus in patria. *Ibidem.*

6. Quid tibi ea videre necesse est, quorum contemptu monachus esse cœpisti? quem senseris tibi, aut semper aut crebro de minimis loquentem, excepta eleemosyna, quæ differenter omnibus patet: institutorem potius habeto, quam monachum. Prima virtus monachi est, contemnere hominum judicia, et semper Apostoli recordari dicentis. *Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Hier. in epistol. ad Pammach.*

7. Tu si monachus esse vis, non videri habeto curam, non rei familiaris, cui renuntiando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ. Monachum non loquendo et discurrendo, sed tacendo et sedendo quisque noverit: monachus non doctoris, sed plangentis habet officium: qui vel se vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum. Flos quidem et pretiosus lapis inter ecclesiastica ornamenta, monachorum et virginum chorus est. *Hieron. ad Rustic.*

8. Constat monachum in sua patria perfectum esse non posse. *Hieron. ad Heliod.*

9. Quid facit monachus in cellis feminarum quid tibi volunt privata et sola colloquia et arbitros fugien-

tes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. *Ibid.*

10. Quanti monachi, dum patri matrique miserentur, suas animas perdiderunt? *Hieron. in epist.*

11. Laudatur jure monachus, qui venerationi habet sacerdotes, et non detrahit gradui, per quem factus est Christianus. *Hieron. ad Paulin.*

12. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere laborem suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagetur permiliosis cogitationibus. *Hieron. in epist. ad rust. mo.*

13. Magna abusio et maxima cura est, ut corpus regulariter induatur: et contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur, cum tanto studio tunica et cuculla corpori procurentur quatenus cui deerunt, monachus non putetur: cur similiter pietas et humilitas spiritui, quæ profecto spiritualia indumenta sunt, non providentur? *Bern. in apolog.*

14. Habitus noster, quod et dolens dico, qui humilitatis solet esse insigne, á monachis nostri temporis gestatur superbe. Vix jam in nostris provinciis invenimus, quo vestiri dignemur. Miles et monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam et chlamydem. *Ibidem.*

15. Labor et latebræ et voluntaria paupertas hæc sunt monachorum insignia: hæc vitam solent nobilitare monasticam: nostri autem oculi omne sublime vident, nostri pedes omnem forum circumeunt, nostræ linguæ in omnibus audiuntur consiliis, nostræ manus omne diripiunt patrimonium. *Bernard. in quad. epist.*

16. Certus sum ego monachus et monachorum qualiscumque abbas, si mei quandoque pontificis á propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod Satanæ mox tirannidi me subjicio. *Bern. in epist.*

17. Super fratrum transgressiones, non super patrum traditiones constituitur, qui abbas eligitur, mandatorum cultor, et vitiorum ultor. *Bern. de preceptis et dispensati.*

18. Monachus singularis est, qui ad bona propria

est strenuus, ad bona communia piget: in lecto vigilat, et choro dormit. *Bern. in epistol.*

19. Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum gravat: lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus: caules nutriunt melancholiam: choleram porri accendunt: pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt: quale est hoc, ut in omnibus fluviis, agris, hortis, cellariis reperiri vix possit quod comedas? Puta te quæso monachum esse, non medicum: nec de complexione judicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quieti tuæ: parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domus, parce conscientiæ, conscientiæ non dico tuæ, sed alterius scilicet qui prope te sedens et edens de tua singularitate murmurat, et de tua superstitione scandalizatur. *Bern. super Cant. serm. 50.*

20. Qui monachum profiteris, qui crucifixus es, qui debes lugere, rides. Dic mihi ubi Christus hoc fecit? audisti hoc alicubi? nunquam: sed contristatum sæpius legisti. *Chrys. super epistol. ad Hebr.*

21. Summa monachi virtus, humilitas, summum vitium ejus, superbia est. *Isidor. de sum. bon. lib. 1.*

22. Tunc autem se monachum quisque judicet, quando se minimum, æstimaverit, etiam cum majora virtutum opera gesserit. *Ibidem.*

23. Multi monachorum amore parentum non solum terrenis curis, sed etiam forensibus jurgiis involuti sunt, et pro suorum temporali salute, suas animas perdiderunt. *Ibidem.*

24. Monachum cupientem ad scripturarum notitiam pertingere, nequaquam debet labores suos erga commentariorum libros impendere, sed omnem industriam mentis et intentionem cordis erga emendationem vitiorum carnalium delinere, quibus expulsis, cordis oculo, sublato velamine passionum, scripturarum sacramenta contemplemur. *Joan. Cass. in col. pa.*

25. Ita, inquit Macharius, debere monachum jejuniis operam dare, ut centum annis in corpore commoraturum: ita motus animi refrenare, et injuriarum obli-

visci, justitiasque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum. *Joan. Cass. lib. 5.*

26. Hæc apud Ægyptum est ab antiquis patribus sancita sententia: operantem monachum dæmone uno pulsari: otiosum vero innumeris spiritibus devastari. *Ib.*

27. Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit, sed utinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate teneretur. *Hugo de claust. anim. lib. 1.*

28. In choro sum corpore, et aliquo negotio mente, nunc intus maneo, nunc foris exeo: aliud canto, et aliud cogito: psalmodiæ verba profero, et psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc et illuc prospiciens, quæcumque ibi geruntur, perlustro et perspicio: habitum monachi, non conversationem habens, in magna corona et ampla cuculla salva mihi omnia existimo. *Hugo lib. 1 de anim.*

29. Ordo claustri et ordo curiæ divisus est. Ibi sedes *in insidiis, cum divitibus in occultis, ut interficias innocentem*: hic audis: *non sedi cum consilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.* Ibi insidiaris, ut rapias pauperem: *rapere pauperem, dum attrahis eum*: hic dicis: *Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.* Ibi dextera tua *repleta est muneribus*: hic *lavas inter innocentes manus tuas.* Ibi *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur*: hic benedicitur Deus. Si vis esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet. *Hugo de 12 abutionib.*

30. Si monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur declamantibus assidue interesse delectaris? Tu semper jejuniis et fletibus insistere debes, et tu philosophari quæris? Simplicitas monachi philosophia ejus est. Sed docere, inquis, alios volo: non est tuum docere, sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facies: vilitas habitus, tui et simplicitas vultus, innocentia vitæ, et sanctitas conversationis tuæ docere habent homines. *Hugo de clau. anim. lib. 2.*

31. Solitaria sane vita, cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina. *Pet. Rav.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 2. in tit. Honor, n.° 4. in tit. Ornatus, núm. 16. in tit. Religio, et Sacerdos, n.° 1. 5.

MORS.

1. Omnis gloria Dei et omnis salus hominum, in Christi morte constituta sunt. *Joan. Chry. et Aug.*

2. Mortis diem omnes affuturum sciunt: eum tamen omnes, aut pene omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros: tantam habet vim carnis et animæ dulce consortium. *Aug. de grat. novi test.*

3. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit: neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. *Aug. st. de civ. Dei. lib. 1.*

4. Prima mors animam pellit volentem á corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. *Ibidem.*

5. Ita divili fuit cura pro vivis, quamvis quid agerent, omnino nesciret, quemadmodum nobis cura est pro mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. *August. de cura pro mort.*

6. Faleudum est nescire mortuos quid hic agitur, scilicet dum hic agitur: possunt vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur judicare, quæ sinuntur etiam ista meminisse quæ illos quibus ista indicant, oportet audire. Possunt et ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui: quod unumquodque illorum audire debemus, indicat, cui cuncta subjecta sunt. *Ibidem.*

7. Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur á noxiis: mali vero et impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur. *Aug. li. de vita Christian.*

8. Nescis qua hora veniat; semper vigila, ut quod

visci, justitiasque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum. *Joan. Cass. lib. 5.*

26. Hæc apud Ægyptum est ab antiquis patribus sancita sententia: operantem monachum dæmone uno pulsari: otiosum vero innumeris spiritibus devastari. *Ib.*

27. Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit, sed utinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate teneretur. *Hugo de claust. anim. lib. 1.*

28. In choro sum corpore, et aliquo negotio mente, nunc intus maneo, nunc foris exeo: aliud canto, et aliud cogito: psalmodiæ verba profero, et psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc et illuc prospiciens, quæcumque ibi geruntur, perlustro et perspicio: habitum monachi, non conversationem habens, in magna corona et ampla cuculla salva mihi omnia existimo. *Hugo lib. 1 de anim.*

29. Ordo claustri et ordo curiæ divisus est. Ibi sedes *in insidiis, cum divitibus in occultis, ut interficias innocentem*: hic audis: *non sedi cum consilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.* Ibi insidiaris, ut rapias pauperem: *rapere pauperem, dum attrahis eum*: hic dicis: *Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.* Ibi dextera tua *repleta est muneribus*: hic *lavas inter innocentes manus tuas.* Ibi *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur*: hic benedicitur Deus. Si vis esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet. *Hugo de 12 abutionib.*

30. Si monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur declamantibus assidue interesse delectaris? Tu semper jejuniis et fletibus insistere debes, et tu philosophari quæris? Simplicitas monachi philosophia ejus est. Sed docere, inquis, alios volo: non est tuum docere, sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facies: vilitas habitus, tui et simplicitas vultus, innocentia vitæ, et sanctitas conversationis tuæ docere habent homines. *Hugo de clau. anim. lib. 2.*

31. Solitaria sane vita, cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina. *Pet. Rav.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 2. in tit. Honor, n.° 4. in tit. Ornatus, núm. 16. in tit. Religio, et Sacerdos, n.° 1. 5.

MORS.

1. Omnis gloria Dei et omnis salus hominum, in Christi morte constituta sunt. *Joan. Chry. et Aug.*

2. Mortis diem omnes affuturum sciunt: eum tamen omnes, aut pene omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros: tantam habet vim carnis et animæ dulce consortium. *Aug. de grat. novi test.*

3. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit: neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. *Aug. st. de civ. Dei. lib. 1.*

4. Prima mors animam pellit volentem á corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. *Ibidem.*

5. Ita divili fuit cura pro vivis, quamvis quid agerent, omnino nesciret, quemadmodum nobis cura est pro mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. *August. de cura pro mort.*

6. Faleudum est nescire mortuos quid hic agitur, scilicet dum hic agitur: possunt vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur judicare, quæ sinuntur etiam ista meminisse quæ illos quibus ista indicant, oportet audire. Possunt et ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui: quod unumquodque illorum audire debemus, indicat, cui cuncta subjecta sunt. *Ibidem.*

7. Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur á noxiis: mali vero et impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur. *Aug. li. de vita Christian.*

8. Nescis qua hora veniat; semper vigila, ut quod

nescis, quando veniat, paratum te inveniat, quum venerit: et ad hoc forte nescis quando veniat, ut semper paratus sis. *August.*

9. In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc cum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto moritur, talis in die illo judicabitur. *August. ad Dioscor.*

10. Vigilare debet omnis Christianus, ne eum imparatum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum inveniet suæ vitæ ultimus dies. *Ibidem.*

11. Nunquam si longe est dies judicii, longe est dies tuus: unde scis, quando est? Nonne multi sani dormierunt, et obdormierunt? Nonne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? Nonne fragiliores sumus, quam si vitrei essemus? vitrum enim etsi fragile est, tamen servatum diu durat. *August. in serm.*

12. Timor de futura morte mentem necessario concutit, et quasi clavus carnis omnes motus superbiæ ligno crucis affigit. *Aug. li. 2. de doctrin. Christian.*

13. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies, sero parantur remedia, quum mortis imminent pericula. *Aug. in quadam epist.*

14. Quid est mors? relictio corporis, depositio sarcinæ gravis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehennam. *Aug. super Joannem.*

15. Nihil sic revocat á peccato, quam frequens mortis meditatio. *Aug. lib. exhort.*

16. Bene unusquisque de die novissimo formidare debet: quia unumquemque in quo invenerit suus novissimus dies, quum de hoc sæculo egreditur, talis in die novissimo judicatur. *August. in epist.*

17. Qui desiderat dissolvi, et esse cum Christo, non patienter moritur: sed patienter vivit et delectabiliter moritur. *Aug. super epist. Joan.*

18. Non potest male mori, qui bene vixerit: et vix bene moritur qui male vixit. *August. de doctrin. Christian.*

19. Nihil interest utrum abjures depositum, an

doleas restitutum: in utroque fidei ambiguum vitæ periculum est. Quid tam secundum naturam, quam referre gratiam auctori? Non amitti, sed præmitti videntur, quos non absumptura mors, sed æternitas recepturæ est. *Ambr. lib. de exces. frat.*

20. Nudi omnes nascimur, nudi morimur: nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi forte quia gravius fœtent divitum corpora, distenta luxuria. *Ambr. in hexam.*

21. Platonis sententia est, omnem sapientum vitam meditationem esse mortis: debemus et nos igitur præmeditari, quod aliquando futuri sumus: et quod, velimus, nolimus, abesse longius non potest. *Hier. in epist. ad Heliod.*

22. Memento mortis tuæ, et non peccabis. Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, et ad futura festinat. *Hier. Cyp.*

23. Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere. Unde et in persecutionibus non licet propria manu perire. *Hier. super Jonam.*

24. Inter eum, qui decem vixit annis et illum qui mille postquam idem finis vitæ advenerit, et irrecusabilis mortis necessitas: transactum omne tantundem est, nisi quod magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur. *Hieron. ad Heliod.*

25. Ad hoc autem conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque nostræ mortis esse incognitum, ut dum semper ignoratur, semper maximus esse credatur: et tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto et incertus est de vocatione: ut dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. *Greg. lib. 12. moral.*

26. Interdum contingit justis, ut in morte sua sanctorum præcedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suæ sententiam pœnalem pertimescant: sed dum eorum menti civium æternorum societas ostenditur, á carnis suæ copula sine doloris et formidinis fatigatione solvantur: aliquando in consolatione egredientis animæ, ipse apparere solet author et retributor vitæ. *Greg. lib. 4. dialog.*

27. Quum venerit, et pulsaverit: quia de sua spe et operatione securus est, confestim pulsanti aperit: quia lætus judicem sustinet, et quum tempus propinquæ mortis agnoverit, de gloria retributionis hilarescit. *Gregor. in hom.*

28. Antiquus hostis ad rapiendas peccatorum animas tempore mortis, crudelitatis effrenatur violentia, et quos viventes blanditiis deceperit, morientes severius rapit. *Greg. lib. 6. moral.*

29. Sic mors ipsa quum venerit, vincitur: si priùs quàm veniat semper timeatur. *Greg. in ho. Sint lumbi vestri.*

30. Quasi sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur. *Gregor. in moral.*

31. Quid est vita mortalis, nisi via? et qualis sit fratres mei perpendite. In labore viæ latescere, et tamen eandem viam nolle finire. *Greg. in ho.*

32. Qui considerat qualis erit in morte, semper pavidus erit in operatione, atque inde in oculis sui Conditoris vivit. Nihil quod transeat, apetit: cunctis vitæ præsentis desideriis contradicit, et pene mortuum se considerat: quia moriturum se minimè ignorat. Perfecta enim vita, est mortis meditatio, quam dum justi solicite peragunt, culparum laqueos evadunt. *Greg. lib. 12. moral.*

33. Justorum animæ levibus quibusque contagiis ipso sæpè mortis pavore purgantur, et æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero contemplationis internæ etiam prius quam carne spolientur, hilarescunt: et dum vetustatis debitum solvunt, novi jam muneris lætitia perfruuntur. *Greg. lib. 24.*

34. Mors justorum, bonis est in adjutorium, malis in testimonium: ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiant, ut vivant. *Greg. super Matth. 10. In test. illis. etc.*

35. Horam ultimam idcirco Dominus noster nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta: ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus. *Greg. in ho.*

36. Sicut hi, qui adhuc viventes, animæ mortuorum quo loco habeantur, ignorant: ita mortui, vitam in carne viventium, post eos qualiter disponantur, nesciunt. *Greg. in moral.*

37. Lachrymarum causas quidem tripudiantes peragunt, et mortis suæ negotium ridentes exequuntur. *Ibidem.*

38. In omnibus operibus tuis memorare tuæ mortis horrorem, judicii tremendi valde discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis tui cordis elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam: recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, et cogita vitæ humanæ pericula. Cogita fragilitatem propriam, et in hujusmodi cogitatione si perseveraveris, dico tibi, parum senties quidquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuperis. *Bern. in quodam serm.*

39. Novissima sunt quatuor: mors, judicium, gehenna, gloria. Quid horribilius morte? quid terribilius judicio? quid intolerabilius gehenna? et quid jucundius gloria? *Bern. in ser.*

40. Miser homo, quare omni hora te non disponis? Cogita te jam mortuum, quem scis necessitate moriturum: distingue qualiter oculi vertentur in capite: venæ rumpentur in corpore, et cor scindetur dolore. *Ibidem.*

41. Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis invenitur? Non miseretur inopiæ, non reveretur divitias, non sapientiæ, non moribus, non ætati denique parcit: nisi quod senibus mors est in januis, juvenibus vero in insidiis. *Bernard.*

42. Quam mitius me privares, ó austera mors, vitæ usu, quam fructu. Nam vita sine fructu, gravior est, quam mors. *Bern. super Cant.*

43. Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima: mala siquidem in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. *Bern. in quadam epist.*

44. Pretiosa mors sanctorum, pretiosa plane tan-

quam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, et perfectæ securitatis ingressus. *Ibidem.*

45. Nihil congruentius esse potest, quam ut mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam. *Bernar. ad milites templi.*

46. Mors, munus necessarium est naturæ jam corruptæ, quæ non est fugienda, sed potius amplectenda: et iterum, fiat voluntarium, quod futurum est necessarium: offeramus Deo pro munere, quod pro debito tenemur reddere. *Chry. super Matth. 10. cap.*

47. Illi deplorandi sunt in morte, quos miseros infernus ex hac vita recipit, non quos cœlestis aula lætificandos includit. *Isid. li. 3. de sum. bono.*

48. Et si pietas pro defunctis fidelibus flere jubeat: fides tamen pro eis lugere vetat. Multi enim vitam odio habent, et mori timent, et vivendi habent tædium, et moriendi metum. *Ibidem.*

49. O durus et durior casus? heu quid perdidit homo, et quid invenit? Perdidit beatitudinem, ad quam factus est, et invenit mortem ad quam factus non est. Hodie venimus á patria in exilium, á visione in cæcitatem, á jucunditate immortalitatis ad curruptionem mortis: misera conditio, gravis dolor, grave damnum, grave tormentum. *Ansel. in suis meditat.*

50. Perculitur hac animadversione peccator, ut moriendo obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei. *Cæsarius in admont. 6. et August.*

51. Quis mortem temporalem metuat, cui æterna vita promittitur? Quis labores carnis timeat, quum se in perpetua requie noverit collocandum? *Cass. super Beati inmaculat.*

52. * Mortem omnibus horis impendentem timent, quis tranquilo animo potest consistere? *Cicero.*

53. * Qui mortem non timet, magnum is sibi præsidium ad beatam vitam comparavit. *Cicero. 2. Tusca.*

54. * Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguntur, non quorum laus emori non potest. *Cicer. in Par.*

55. Natura nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius: tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocata morte, ut nullum frequentius sit votum. *Seneca.*

56. Nemo scit nostrum, quam prope versetur Deus. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit. Venientem nemo hilaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu composuerit. *Sen. in extrema parte epistolarum epi. 12.*

57. Alia genera mortis spei mixta sunt, desinit morbus, incendium extinguitur, ruina quæ aliquem videbatur oppressura evadit quis, deposuit mare quos hauserat, eadem in qua sorbebat hora, projecit incolumes, gladium miles ab ipsa peritura cervice revocavit: nihil autem habet, quod speret, quem senectus ducit ad mortem. *Sen. epist. 20.*

58. Hic plus edit, ille minus: quid refert? uterque jam satur est: hic plus bibit, ille minus, quid refert? uterque non sitit. Hic pluribus annis vixit, hic paucioribus, nihil interest, si tam illum multi anni beatum fecerunt, quam hunc panci. *Sen. epi. 88.*

59. Quum nullum ambulaveris, et diu redeundum est. Stultum est timere, quod non possis vitare: mortem non effugit, qui etiam distulit. Moriar nec primus, nec ultimus: omnes me antecesserunt, omnes sequentur: hac conditione intravi, ut exirem. *Ibidem.*

60. Nihil æque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis ævi et hujus incerti. Quidquid facies respice ad mortem. *Sen. 25. epist.*

61. Non refert quot annos habeam, sed quot acceperim. Si plus vivere non possum, hæc est mea senectus. Quicumque ad extremum sui fati venerit, hic moritur senex. *Senec. in epist.*

62. Omnis dies velut ultimus ordinandus est. De felicitate hominis ultimus dies judicat. *Ibidem.*

63. Quorumdam vitam mors in medio flore præcidit: aliorum interrumpit ipsa principia: alius, inter cœnam dissolutus est: alterius continuata mors somno

est, aliquem concubitus extinxit. *Senec. 67. epist.*

64. Certum est vitam mortemque per vices ire, et compossita dissolvi, et dissoluta componi. Omne humanum genus quodcumque est, quodcumque erit, morte damnatum est. Omnes, quæ usquequaque ponuntur urbes, ubi fuerunt, aliquando quærelur, et vano excidii genere tollentur: alias destruent bella, alias desidia, paxque ad inertiam versa consumit, et magnis opibus exitiosa res luxus. *Senec. 72. epistola.*

65. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque quum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usque ad hesternum: quidquid transit temporis, perit, hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. *Senec. 42. epist.*

66. Si fines bonorum ac malorum cognoverimus, ita demum nec vita tædio erit, nec mors timori. Si mors accedit et vocat, licet immatura sit, licet mediam præcidat ætatem, recipit nihilominus vitæ longissimæ fructum, cognita est illi ex magna parte natura, scit tempore honesta non crescere. *Senec. 79. epist.*

67. Unus dies hominis eruditi plus valet, quam imperiti longissima ætas. *Ibidem.*

68. Non affligitur sapiens liberorum amissione non amicorum: eodem enim animo fert illorum mortem, quo suam expectat. *Senec. 75. epist.*

69. Non me vixisse pœnitet, quoniam non ita vixi, ut non frustra me natum existimem: et ex vita ita discedo, tanquam ex hospicio, non tanquam domo: commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. *Sen. lib. de senect.*

70. Illi mors gravis incumbit, qui notus nimis, omnibus ignotus moritur. *Ibidem.*

71. Nullum majus solatium est mortis, quam ipsa mortalitas: nullum autem omnium istorum, quæ extrinsecus nos terrent, quam quod innumerabilia in ipso sinu pericula sunt. *Ibidem.*

72. Si volumus esse felices, si nec Deorum, nec hominum, nec rerum timore vexari, si despicere fortunam supervacua promittentem et levia minantem: si volumus tranquille degere et ipsis diis felicitate controversiam agere: anima in expedito est habenda. *Sen. de natural. quæst.*

73. Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut si ita sors tulerit, possis illi obviam exire. *Ibidem.*

74. O te dementem, et oblitum fragilitatis tuæ, si tunc times mortem, quum tonat! *Ibidem.*

75. Optimum est antequam optes, mori. Incertum est, quo loco mors te expectet: tu illam in omni loco expecta. Egregia res est mortem morte condiscere: quid ad illum carcer et custodia, et claustra? liberum habet ostium. *Sen. in epist.*

76. Satis multum temporis sparcimus, incipiamus vasa in senectute colligere: in freto viximus, moriamur in portu. *Ibidem.*

77. Ante senectutem curavi, ut bene viverem, in senectute, ut bene moriar: bene autem mori est, libenter mori. *Ibidem.*

78. Nullum magnum, quod extremum est. Mors ad te venit, timenda erat, si tecum esse posset, necesse est, aut non perveniat, aut transeat. *Idem de conceptu mortis.*

79. Recognosce exemplum eorum, qui domesticis insidiis perierunt, aut aperta vi, aut dolo. Intelliges non pauciores servorum ira cecidisse, quam regum. *Ibidem.*

80. Dolor levis est, si ferre possum: est brevis, si ferre non possum. Desinam ægrotare posse desinam alligari posse, desinam mori posse: non repente in mortem incidimus: minutatim procedimus, quotidie morimur, etc. *Ibidem.*

81. Ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat, tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. *Ibidem.*

82. Numerare eos noli, qui tibi metum faciunt. Nonne videtur stultus, si quis multitudinem eo loco timeat, per quem transitus est singulis? Æque ad tuam mortem mullis aditus non est, licet illam multi mi-

nentur. Spiritus unus tibi eripiet, quem unus dedit. *Sen. 29. epist.*

83. Inquietam nobis vitam facimus metu mortis, et tanta est hominum dementia, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem. Firmandi sumus, ne nimis amemus vitam, et ne nimis oderimus mortem: et quum ratio suadet finire, sed non timere. Vir fortis et strenuus non fugere debet de vita, sed exire. *Sen. 24. ep.*

84. Bassus senex, si quid incommodi, aut metus in morte est, morientis vitium esse dicebat, non mortis: tam stultum esse qui mortem timeat, quam qui senectutem. Nam quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors senectutem. Si timenda mors est, semper timenda est: quod enim tempus morti exemptum est? tu tamen mortem, ut nunquam timeas, semper cogita. *Sen. 30. epist.*

85. Illum lauda et imitare, quem non piget mori, cum juvet vivere: quæ enim est virtus, cum ejiciaris, exire. *Sen. 35. epist.*

86. Vix Lucili quantum satis erat mortem plenus vel lætus expecto. Numquam me caro ista compellit ad metum, numquam ob honorem hujus corpusculi mentiar. Fortes simus adversus fortuita, non contremiscamus injurias, non vulnera, non vincula, non egestatem: mors quidem est, aut finis, aut transitus, nec desinere timeo, nec transire, quia nusquam tam anguste ero. *Sen. 66. epist.*

87. Mors enim par est: per quæ venit, diversa sunt: in quod desinit, unum est. Mors nulla major, aut minor est. Habet enim eumdem in omnibus modum: finisse vitam. *Sen. 67. epist.*

88. Optabilem rem existima bonam mortem: optimum est, memorabilem mori aliquo opere virtutis. Quum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur. *Sen. 68. epist.*

89. Si quis in mortem ante primos annos delatus est, non magis conqueri debet, quam qui cito navigavit. *Sen. 71. epist.*

90. Nihil melius æterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, multos exitus. *Ibidem.*

91. Nemo nostrum cogitat, quod quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum sit. Veteres inquilinos indulgentia loci et consuetudo etiam inter injurias detinet. Vis adversus hoc corpus liber esse? tanquam migraturus habita: Propone tibi quandoque hoc contubernio carendum. Felicior eris ad necessitatem exeundi. *Ibidem.*

92. Nemo tam imperitus est, ut neciat sibi quandoque moriendum: tamen quum prope accesserit, tergiversatur, tremit et plorat. Quid fles miser? quid trepidas? omnes hac necessitate ducuntur: eo ibis quo omnia eunt. Ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturorum sequetur, quantus concomitabitur? fortior ut opinor, esses si multi tibi commorerentur: multa milia hominum hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt: an non putabis te ad id aliquando perventurum, ad quod semper ibas? nullum sine exitu iter est. *Senec. 78. epist.*

93. Mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est. Nemo mortem suam laudat, sed eum cujus mors abstulit animum. Interest utrum malitia illi, an virtus manum admoverit. Mors enim, quæ in Catone gloriosa est, in Bruto turpis et erubescenda. Cato illa honestissime usus est, turpissime Brutus. *Ib.*

94. Massa per se nec calida, nec frigida, in fornacem conjecta concalnit, in aquam remissa, refrixit: mors honesta est, per id, quod honestum est, et animus extrema contemnes. *Ibidem.*

95. Quæ latebra est, in quam non intret metus mortis? quæ tam emunita, et in altum subducta vitæ quies, quam dolor non territet? *Sen. 57. epist.*

96. Nemo nostrum aliter, quam quomodo natus est, exit á vita: falsum est: pejores morimur, quam nascimur: nostrum istud, non naturæ vitium est: quid enim turpius, quam in ipso limine securitatis esse solicitum? *Sen. 17 epist.*

97. Quotidie enim propius ab ultimo stamus, et illo, unde nobis cadendum est, hora nos omnis impellit. *Senec. in quadam epist.*

98. Stultum est somno delectari, mortem horrere, cum somnus asiduus sit mortis imitatio. *Sen. in lib. de moribus.*

99. Bis enim mori est, alterius arbitrio mori, cujus mortem amici expectant, vitam cives oderunt. Crimen relinquit vitæ, qui mortem appetit: dum est vita grata, mortis conditio est optima. *Senec. in Prov.*

100. Heu, quam timidus est, qui se moriturum putat! honesta turpitudo est mori pro bona causa: lex universa, quæ jubet nasci et mori: mori felicitatis est, antequam mortem invoces. Tolerabilior est, qui mori vult, quam qui male vivere. *Senec. in. Prov.*

101. Non nocet bonis, si occidantur, vel subita morte rapiantur: non enim subito moriuntur qui semper se cogitaverunt morituros. Sive ergo ferro immolentur, sive à bestiis lacerentur, aut flammis vel undis immergantur: aut suspendantur, vel crura frangantur, vel quolibet alio infortunio moriantur, semper est preliosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, ut dicitur: Quacumque hora justus moriatur, justitia ejus non auferetur ab eo, et ita mors non obest, imo multum prodest eis: quia si quid peccati contraxerunt per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbitatem. *Anselm.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 14 in tit. Charitas, núm. 18. in tit. Concupiscentia, núm 5. in tit. Curiositàs, núm. 36. in tit. Desperatio, núm. 3, 11. in tit. Divitiæ, núm. 26. in tit. Gloria vana, núm. 21, 25. in tit. Homo, núm. 4. in tit. Liberalitas num. 4. in tit. Miseria, núm. 3. in tit. Negligentia, núm. 7. in tit. Pœnitentia, núm. 13. in tit. Resurrectio, num. 2, 3, 25. in tit. Securitas, núm. 10, 13. in tit. Suffragium, núm. 6. in tit. Timor, núm. 8, 25. in tit. Vita, núm. 2, 8, 9, 12, 17, 19, 20, 21.

MULIER.

1. De carnibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur: morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam: in risum aliquando dissolvitur: nunc blanditias exhibet, et quod est venenosius, super cuncta, psallere delectatur, aut cantare: cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. *August. in lib. de sin. cler.*

2. Memento Thamar, quæ ab Amon fratre suo corrupta fuit. Ubi unius est tabernaculi conversatio, carnis non facile tollitur delectatio. *Ibidem.*

3. Nihil esse sentio, quod magis ex arte dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminæ, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. *Aug. l. 8. Soliloq.*

4. Gravem inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso fræno longius fugiendum: nec eo minus illæ fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur, quando quanto religiosiores, tanto citius alliciunt, et sub prætextu pietatis latet viscus libidinis: experto crede: expertus loquor, coram Deo non mentior, cedros libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii, vel Hieronymi impudica turpitudine. *Aug. de cohabitatione clericorum et mulierum.*

5. Mulier nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dicere, nec judicare, quanto magis non potest imperare? *Aug. in quæst. ex vet. Testam.*

6. Quanti et quales clerici simul et laici post confessionum, victoriarumque calcata certamina, post magnalia ac mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, quum volunt in navi fragili navigasse? Quantos leones domuit una infirmitas delicata? quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam, quod Salomon ait: Pretium meretricis vix est unius panis: Mulier autem preliosas animas rapit. *Aug. ibi.*

7. Samson validus et fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas sed unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit. *Amb. lib. 1. de David.*

8. Viduarum ac virginum domus, nisi visitandi gratia, juniores adire non opus est, et hoc cum senioribus: hoc est, cum episcopo, vel si gravior causa est, cum presbytero. Quid necesse, ut demus secularibus obtrectandi locum? Quod si aliqua illarum forte labitur, cur alieni lapsus subeas invidiam? quanti non dederunt errori locum, et dederunt suspicioni? prima tentamenta clericorum, sunt fœminarum frequentes accessus: iste sexus reprehensibiles reddit clericos. *Ambr. lib. 1. de Offic.*

9. Fœminarum cum clericis nullo pacto conjuncta permittitur conversatio. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est fœmina: quum proximat, stimulat, ignem accendit, flammigero igne percutit conscientiam pariter habitantis, et exurit fundamenta montium. Si cum viris fœminæ habtent, viscarium non deerit diaboli. *Ibidem.*

10. Si pudicam quæris fœminam, quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali accessu frequentes. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. Fœminæ cum viris habitantes germinant spinas, et arcana mentium acuto mucrone perculiunt. *Ibidem.*

11. Illud adverte, quod extra paradisum vir factus est, mulier intra paradisum, ut advertas, quod non loci, non generis nobilitas, sed virtute unusquisque sibi comparat gratiam: Denique extra paradisum, hoc est in inferiori loco, vir factus melior invenitur, et illa, quæ in meliori loco, hoc est, in paradiso facta, deterior invenitur. *Ibidem.*

12. Hospitiolum tuum, aut raro, aut numquam mulierum pedes terant: omnes puellas aut virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide ne sub eodem tecto manseris, nec in præterita

castitate confidas, nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecit. Unde ait quidam, Adam, Samsonem, Petrum, David, Salomonem decepit mulier, quis modo tutus erit? *Hier. in epist. ad Nepot.*

13. De industria dissuta fit tunica, ut aliquid intus appareat: operitur, quod fœdum est, et aperitur, quod formosum est: crispanti cingulo angustum pectus arctatur: capilli in frontem vel in aures defluunt: palliolum interdum cadit ut candidos nudet humeros, et quasi videri noluerit, celat festina, quod detexerat volens. Aliud pollicetur, aliud ostendit: lingua personat castitatem, et totum corpus profert impudicitiam. Vix est ita turpis, aut senio confecta, quæ non gaudeat, et libenter audiat, si dicatur esse pulchra. Delectant castas etiam præconia formæ. *Hier. in epist. ad matrem et filiam.*

14. Novi ego quasdam jam maturioris ætatis et plerasque generis libertini adolescentibus delectari, et filios quærere spirituales, paulatim pudore superato, per ficta matrum nomina erumpere in licentiam maritalem. *Hier. ad Rust. mon.*

15. Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, et tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillulas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis: et quanto vilior est earum conditio, tanto facilior est ruina. *Ib.*

16. Joannes Baptista matrem sanctam habuit, Pontificis filius fuit, nec tamen patris opibus nec matris affectibus in domo parentum cum periculo castitatis manere voluit. *Ibidem.*

17. Nunquam de mulierum formis disputes, nec quid in cujusquam domo agatur, alia domus parte noveris: fœminæ nomen tuum noverint, vultum tuum nesciant. *Ibidem.*

18. Illa sit pulchra, illa sit amabilis, illa habenda inter socias, quæ nescit se pulchram esse, quæ negligit formæ bonum, et procedens ad publicum, non

pectus et colla denudat, nec pallio denudato cervices aperit, sed quæ celat faciem, et vix uno oculo, qui viæ nuntius est, patente ingreditur. *Hieron. in epist.*

19. Uxorem pauperem alere difficile est: divitem ferre tormentum est. Quid prodest diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos castitatis necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, sed noluit. *Hier. cont. Jovinian.*

20. Pulchra cito adamatur, fœda facile concupiscit: difficile custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur: minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. *Ibidem.*

21. Nihil tutum est, in quo totius populi vota suspirant, alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate solicitat: aliquo modo expugnatur, quod undique incessitur. *Ib. et ponit. Theoph. in l. de nupt.*

22. Quid aliud est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem vere tormentum est. Necesse est autem, ut aut dimittentes adulterium faciamus, aut tenentes quotidianas pugnas habeamus. *Chrys. super Matth. 19. Non expedit nub.*

23. Quid enim quis dicat, aut quomodo quis enarret mulierem illam crudelem malitiosam? Ego quidem existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone sævius? sed nihil hac ferocius: quid in serpentibus dracone aerius? nec hic quidem cum muliere mala conferri potest. Nam leo et draco in malo inferiores sunt, Danielem leones in lacu veriti sunt: justum vero illum Naboth Jezabel interfecit, cetus Jonam in ventre custodit: Dalida Samsonem circumventum illecebris raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Joannem Baptistam in deserto viventem dracones et aspides cornutæ subdita feritate tremuerunt: Herodias vero eidem caput abscidit, et tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. O malum summum et acutissimum diaboli telum mulier? Per mulierem Adam ab initio in paradiso cecidit, mulier ipsum exterminavit. Per mulierem mitissimus illo David sui militis innocentis Uriæ epistolæ dolo occidendum hostibus præsentavit. Mulier sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit: mulier fortissimum Samsonem rasit, rasumque excæcavit: mulier castissimum Joseph vinculis alligatum in carcerem trusit: mulier Joannem totius mundi caput capite truncavit. Quid dicam de hominibus? cum mulier angelos de cœlo deposuerit, mulier malitia omnes postravit, omnes jugulat, omnes interficit, omnes elidit: mulier impudens, nemini parcit, non levitam honorat, non sacerdotem reveretur, non prophetæ defert. O malum omni malo pejus, mulier mala! Sive illa pauper sit, sive dives, si facultates habet, cooperatrices sunt malitiæ suæ. O malum intolerabile, vipera irremediabilis, venenum insanabile, mulier mala! Si injuriam patitur, insanit: si honorem accipiat, extollitur: si potentis uxor sit, non cessat nocte ac die callidis stimulare sermonibus: blanditur nequiter: et quod vult importuna, rapit violenter. Si pauperem habeat virum, ipsum ad iracundias et rixas incitare non desinit: si vidua sit omnes passim despicit, et ad omnem audaciam superbiæ inflatur. Timor Dei non refrenat linguam suam, nec irata futurum judicium prospicit, nec ad Deum attendit. *Chry. in ser. decoll. Joan. Bap.*

24. Sicut per fœminam hostis antiquus primos parentes seduxit: ita per mulierem ad magistrum negandum, quem filium Dei confessus fuerat, principem ecclesiæ compulit. *Rav. super ill. Matth. 26. Acces. ad.*

25. Quia enim in paradiso mulier propinavit viro mortem, á sepulchro mulier viris adnuntiat vitam: ut sicut occasione sexus muliebris fuit introductio mortis, ita hic ex pietate sexus muliebris nuntiatio

vitæ: ut quæ viro transfuderat culpam, transfunderet et gratiam. *Rav. super ill. Matth. 28. Nuntiavit discipulis suis.*

26. Scribit Herodotus: quod quum mulier eum veste deponit verecundiam, et quod sine veste gerit, quasi non fecerit, obliviscitur. Si quis autem testis adfuerit, ipsa tamen artificio linguæ cogit eum fateri non vidisse quod viderat: et quod verbis excusare non valet, hoc lachrymis excusat, blanditur oculis, seducit osculis, instat amplexibus. *Hugo in lib. ad socium volentem nubere.*

27. *Favus distillans labia meretricis, et nitidus oleo guttur ejus*, etc. In favo enim duo sunt, mel et cera: et in facie meretricis similiter duo, scilicet decor et gratia: hoc est, pulchritudo oris, et dulcedo sermonis: cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem: sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento vero lenocinantis sermonis subvertit mentem. Stillat mel et cera, dum meretrix verba sua mollit, et facit dulcia. Hanc dulcedinem æternæ mortis amaritudo comitatur: unde sequitur ibi: *novissima illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps.* Diligit mulier, ut capiat: decipit, ut rapiat: amat quod habes, non quod es. *Ibidem.*

28. Ait Cato Uticensis, si absque fœmina esset mundus, conversatio nostra non esset absque diis. Amice: Cato non nisi sensa et cognita loquebatur, nec quisquam fœminarum execratur ludibria, nisi lusus: nec pene conscius his fidem habere debet, nisi expertus: is noverat quod flos Veneris, rosa, et quod sub ejus purpura multi latent aculei. *Va. in epi. ad Rus.*

29. Amice, ne longo dispendio te suspendam, lege Aureolum Theophrasti, et Medæam Jasonis, et vix pauca invenies impossibilia mulieri. Amice, det tibi Deus omnipotens fœminæ fallacia non falli. *Ibidem.*

30. Quis muliebri garrulitati aliquid committit, quæ illud solum potest tacere, quod nescit? *Ibidem.*

31. * Audax est ad omnia quæcumque amat vel odit fœmina: et artificiosa est nocere quum vult. *Ibidem.*

32. Viros ad unumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit. Muliebrium enim vitiorum omnium fundamentum est avaritia. *Tullius 2. rhet.*

33. * Mulieres facilius incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonum expertes ea tenent semper, quæ prima dejicerunt. *Tull. 3. de Orat.*

34. * Mulier quæ vini usum immoderate appetit, et virtutibus omnibus januam claudit, et vitiis aperit. *Max. lib. 7.*

35. Aut amat, aut odit mulier: nihil tertium: dediscere flere fœminam, mendacium est. Duo genera lachrimarum habentur in oculis fœminarum: veri doloris unum, insidiarum aliud: mulier quum sola cogitat, mala cogitat. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Concupiscentia, núm. 1, 4. in tit. Conjugium, 26. in tit. Ebrietas, núm. 23. in tit. Ornatus et Resurrectio, núm. 23. in tit. Sacerdos, núm. 5. in tit. Societas, núm. 11.

MUNDUS.

1. Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus: et magis cavendus, quum se illicit diligi, quam quum admonet, cogitque contemni. *August. ad Dioscor.*

2. In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, impossibile est, sed plurimum interest, qua causa, qua expectatione, quo termino quisque paliatur. *Ibidem.*

3. O amatores mundi, cujus rei gratia militatis? major non esse poterit spes vestra in mundo, quam ut amici mundi sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis, et per quot pericula pervenitur ad majus periculum? pereant hæc omnia, et dimittamus hæc vana, et inania: conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent: vita hæc misera est: mors incerta subito obrepit, et post hæc negligentiæ pœna suplicio luenda est. *Aug. lib. confess.*

4. Mundus transit, et concupiscentia ejus. Quid vis, utrum amare temporalia, et transire cum tempore, an Christum amare, et in æternum vivere? *Aug. super Ep. Joan.*

5. Ecce turbat mundus, et amatur: quid si tranquillus esset? formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores ejus quomodo colligeres, qui á spinis non revocas manum? *Aug. super Psal.*

6. Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. *August.*

7. Ecce ruinosus mundus est, et sic amatur, quid si dulcis esset? ò munde immunde, tenebris periens, quid faceres si maneres? quid faceres dulcis, si amarus alimenta metiris. *August. in quodam serm.*

8. Quam rarus in terris, qui possit dicere: portio mea, et quam alienus a vitiis, et quam segregatus à labe peccati, qui nihil habeat commune cum seculo, nihil sibi mundi hujus vendicet, non sit corporalium possessio cupiditatum: quem non inflammet libido, non stimulet avaritia, non lascivia effœminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret invidia, non aliqua negotiorum secularium cura solicitet? *Ambr. super Psal.*

9. Discite in hoc mundo, supra mundum esse, et si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. *Ambr. lib. de virgin.*

10. Sancti viri, quia nihil hujus mundi appetunt, proculdubio nullis tumultibus in corde premuntur. *Greg. in moral.*

11. Absit, ut fidelis quisque qui Deum videre desiderat, de mundi percussionibus lugeat, quem finiri ejusdem suis percussionibus non ignorat. *Ibidem.*

12. *Mihi mundus crucifixus est*: quia nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria ipse quærebatur, et se mundo et sibi mundum crucifixum esse gloriabatur. *Greg. lib. 5. moral.*

13. Ille hujus mundi veraciter mala sentit, qui

ejus bona inhiat, non appetit. *Greg. lib. 6. moral.*

14. Ecce mundus, qui diligitur, fugit. Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt: erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, et tamen cum in se ipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam inse ipso mundus aruit: et adhuc in nostris cordibus floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudine replemur: et tamen cæca mente carnal s concupiscentiæ, ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus, et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. *Gregor. in. hom.*

15. Non tenet mundum in amore, nec rursus in amore mundi tenetur, sed vicissim sibi utrique extincti sunt: quia dum alter alterum non appetit, quasi mortuus non attendit. *Greg. 4. Mor.*

16. Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. *Bern. in serm.*

17. Plenus est mundus spinis, quæ in terra sunt, in tua carne sunt: versari in his, et minime lædi, divinæ potentiæ est, et non virtutis nostræ. *Ber. super cantic.*

18. Mundus est, ubi malitiæ plurimum, ubi sapientiæ modicum, ubi omnia sunt viscosa, omnia lubrica, omnia operta tenebris et obsessa laqueis, ubi periclitantur animæ, affliguntur corpora, ubi omnia vanitas, et afflictio spiritus: et in Joele dicitur, *Confusum est gaudium à filiis hominum. Bern. in serm.*

19. Mundus clamat, ego deficiam, caro clamat, ego inficiam: diabolus clamat, ego decipiam, Christus vero dicit, Ego reficiam. *Bernar.*

20. Periculum probat transeuntium raritas, pereuntium multitudo. In mari Massiliæ de quatuor navibus non perit una: in mari hujus mundi de quatuor animabus, vix evadit una. *Ibidem.*

21. Habemus pro mari mundum, pro navi ecclesiam, pro velo pœnitentiam, pro gubernaculo crucem,

pro nauta Christum, pro vento spiritum sanctum. *Chrys. super Matth.*

22. In expletione Romani regni neccesse est seculum consummari. *Effrem. lib. 1.*

23. Fallax enim est hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, judex terribilis, pœna infinibilis. *Pet. Bles. Batonien. archidia.*

24. Amor mundi nos in fortunæ potestatem adducit: hic amissis liberis mœstus, hic solicitus ægris, hic turpibus, et aliquam passis infamiam tristis: hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, et in hunc mortalium cætum, honores, divitias, gratias excutere: quorum alia inter diripientium manus scissa sunt, alia infida societate divisa, alia magno detrimento eorum, in quos devenerant, deprehensa. *Senec. in quad. epist.*

Vide etiam in tit. Abusio, núm. 7. in tit. Apostoli, núm. 23. in tit. Avaritia, núm 48. in tit. Gloria vana, núm. 23. in tit. Gloria æterna, núm. 15. in tit. Homo, núm. 18. in tit. Justitia, núm. 22. in tit. Passio, núm. 9. in tit. Prælatio, núm. 64. in tit. Sapientia, núm. 11. in tit. Secularis, núm. 2. in tit. Simplicitas, núm. 3. in tit. Solicitudo, núm. 4. in tit. Stultitia, núm. 3. in tit. Tentatio, núm 5. in tit. Tribulatio, núm. 21, 24. in tit. Vita, núm. 9, 11, 12.

MUNUS.

1. Libertatem arguendi amittit et peccat, qui ab eo accipit, qui ideo dat, ne corrigatur. *Ambr. in epi. ad. Cor. 1.*

2. Munera excæcant oculos judicum, et vim auctoritatis inclinant. *Ibidem.*

3. Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatur ad prandium, et non recusat. Numquam petentes, raro accipiamus rogati. Nescio quomodo etiam ipse, qui deprecatur, ut tribuat, quum acceperis, viliorem te judicat: et mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te post veneratur. *Hier. ad Marcell.*

4. Ante Dei oculos numquam est vacua manus á munere, si arca cordis plena sit bona voluntate. *Gregor. in hom.*

5. Non ex Abel muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. *Gregor. lib. 12. Moral.*

6. Quis non erubescat dicere, quid mihi dabis ut tibi justitiam faciam? nonne simile est, ac si dicatur: quid mihi vultis dare, ut me ipsum abnegem, officium perdam, et Deum vendam? *Chry. ibid.*

7. Quò beatus Eugenius munera cautius abigebat, ad eum undique multiplicius confluebant: hoc quoque fere ubique accidit, ut fugiant, dum quæruntur: dum fugantur, accelerant. Cum idem prior quidam modicæ facultatis, cujus causam nondum audierat, marcam auri devotione multa instanter offerret, nondum, inquit, ingressus es domum, et jam vis corrumpere dominum: corruptionem namque vir sanctus credidit, quidquid offerebatur lite pendente. *Ibidem.*

8. Tres sunt munerum acceptiones, quibus contra justitiam humana vanitas militat, est favor amicitiarum, adulatio laudis, et corporalis acceptio muneris. Facilius autem pervertitur animus rei corporeæ munere, quam gratiæ laudisque favore. *Isid. de sum. bon. lib. 1.*

9. Oblatio enim muneris, tinea est regiminis. *Cass. in epistol.*

10. Peremptorium enim est in principe, vel auram adorare munerum, vel favorem quærere personarum, teste siquidem propheta, *in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Transibunt iniquitates in pœnam et munera in dolorem, quia testimonio Job: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Pet. Bles.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 28. in tit. Amor, núm. 22. in tit. Eleemosyna, núm. 25. in tit. Liberalitas, núm. 17, 19, 22, 26. in tit. Proditio, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm. 2, 7.

MURMUR.

1. De nulla re magis Deum offendisse ille populus judaicus dicitur, quam contra Deum murmurando. *Aug. super Joan.*

2. Qui contra suprapositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eamdem homini potestatem dedit. *Gregor. in Moral.*

3. Quisquis pro peccato percutitur, nisi murmurando renitatur, eo ipso jam justus esse inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. *Ibidem.*

4. Si is, qui murmurat, secundum animam mortuus est, qui insligat, quomodo vivit? *Bernar. de consider.*

5. Animæ quæ sanæ sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt: quoscumque igitur de tuis inveneris tristes, pusillanimes, murmurosos, ipsorum te patrem, ipsorum te noveris esse abbatem: consolando, exhortando, increpando agis opus tuum, et portas onus tuum, et portando sanas, quos sanando portas. *Ibidem.*

6. Discat non murmurare qui mala patitur: etiam si ignoret, cur mala patitur. Per hoc quisque se juste pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cujus numquam injusta judicia sunt. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

7. Susurratio est, per quam odiosæ adulationis, vel derogationis sibilo quodam, alter in alterius odium excitatur. Susurrari est, inter amicos discordiam seminare. *Hugo.*

8. Qui contentiosus et murmurans extiterit, juxta arbitrium prioris tamdiu pœniteat, quamdiu culpæ qualitas extat. *Cypr. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Diabolus, 5.

NATIVITAS.

1. Aurum solvitur quasi regi magno, thus immolatur ut Deo, myrrha præbetur tanquam pro salute omnium morituro: habet enim prædicatores angelos, narrantes cœlos, adoratores Magos. *Aug. in serm. de Epiphan.*

2. Nobilitas fuit Christi nascentis in virginitate parientis, nobilitas parientis in divinitate nascentis. *Aug. super Joan.*

3. Mihi enim impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet: non mea tantum, sed et angelorum: supra potestates, supra Cherubim, et supra Seraphim, et supra omnem sensum est: quia scriptum est: *Pax Christi supra omnem sensum est.* Quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio? Tu ergo ori manum pone: scrutari non licet superna mysteria. Licet scire, quod natus sit, non licet discutere, quomodo natus sit. Hoc enim quærere metus est. Ineffabilis enim est illa generatio: unde Isaias ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* hæc humanum sensum et intelligentiam mundi excedit: hoc non capit humanæ intelligentiæ ratio, sed prudentiæ fidelis professio est. *Ambros. cont. hær.*

4. Nato regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendimus, ut suavi odore per cœleste desiderium redolere valeamus. Myrrham offerimus, si carnis desideria per abstinentiam mortificamus. *Gregor. ho. 10. Cum natus esset Jesus in Bet.*

5. Cœli rege nato, rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur, quum celsitudo cœlestis aperitur. *Greg. in ho.*

6. Cœli rege nato, angelorum chori in ejus annuntiatione prodeunt: hymnum dicunt, et devicta pravæ vitæ discordia, nos, quos dudum despexerant, cives agnoscunt, consono ore predicantes: *Gloria in excelsis Deo*, etc, ac si dicant: quos á vobis malitia disjunxerat jam nunc in terra bonitas nata conjungat. *Gregor. 27. Moral.*

7. Fratres, generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat, subvenit spiritus, virgo credit, virgo parturit, virgo permanet. Quis non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

miretur? Nascitur verbum infans, et agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. *Bern. super Cant.*

8. O nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam angelis sacri profunditate mysterii, et in his omnibus admirabilis singulari excellentia novitatis: utpote, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem. O partus sine dolore, solus nesciens pudoris, corruptionis ignarus, non referans, sed consecrans virginalis uteri templum. *Bern. in ser.*

9. Jesus Christus filius Dei nascitur in Bethleem Judæ, Jesus Salvator. Quid tam necessarium perditis? quid tam optabile miseris? quid tam utile desperatis? *Ibidem.*

10. Numquid plus potuit Adam in malo, quam Christus in bono? Si ex Deo nati, in Christo electi sumus: quænam justitia est ut plus noceat humana atque terrena, quam valeat divina cœlestisque generatio? *Ber. de nova milit.*

11. Ubi aula regia? ubi thronus? ubi curiæ regalis frequentia? Numquid aula est stabulum? thronus præsepium? et totius curiæ frequentia Joseph et Maria. *Bern. in serm. de epipha.*

12. Numquid invenerunt palatium marmoribus splendidum? numquid aulam regiam diversis populis personantem? numquid hastatas sive clypeatas militum catervas? numquid equos regalibus phaleris insignes? numquid currus auro ostroque fulgentes? numquid matrem ejus diademate coronatam, aut in lecto eburneo recumbentem? numquid puerum bisso et purpura involutum? Utique non, sed potius angustum et humile tugurium, vile squalidumque præsepium, et magis animalibus quam hominibus aptum: puerum vilibus pannis involutum matrem vix tunicam habentem unam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis. *Chrys. sup. Matth. 2. Intrantes domum inve. puerum.*

13. Non illius est filius fabri, quem putatis, sed

fabricatoris omnium, qui fabricatus est auroram et solem. Nonne dicendum filius fuit agricolæ, et tamen radix fuit stirpis regiæ? Cur ergo Christum propter parentum ignobilitatem contemnunt? *Chrys. super ill. Matth. 14. Nonne hic est faber fil.*

14. Adorant Magi in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, et in hominis veritate dominum majestatis: ut sacramenta fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur: thus pontifici, mirrham homini aurum offerunt Deo. *Leo papa in serm. apparit.*

15. Hæc stella numquam ante apparuit, quia numquam eam puer iste creavit, et Magis ad se venientibus præviam deputavit. *Fulgentius ad Prob.*

16. Generationem ejus quis enarrabit? Fratres, generatio Christi si enarrari non potest, si lingua deficit, fides proficit. Magnus enim profectus est fidei, quum tantum de Deo suo potest concipere, tantum sermo non potest parturire. *Maxim. in serm. de natali.*

17. Non mediocre tibi fidei hoc videatur exemplum: non vilis persona pastorum: certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non sapientes, sed simplices, qui fucare audita nescirent, Dominus sui præcones elegit, non rhetores, sed piscatores ad evangelizandum destinavit. *Bed. super Luc. lib. 1.*

18. Cœternitatem suæ majestatis ostendit. Hodie enim apud Deum nullo initio incepit, nullo fine concluditur: non enim ibi fuit vel erit: sed semper manet, semper est: et quidquid dixeris illi, hodie est. *Cass. super ill. psalm. Ego hodie genui te.*

19. Licet Deus cunctos dies creaverit, singulariter tamen hunc diem fecisse dicitur qui Christi Domini nativitate sacratus est: in quo merito exultari convenit et lætari, quoniam in eo et diabolus jus perdidit, et salutem mundus accepit. *Cass. super. ill. Psalm. Hæc est dies. etc.*

Vide etiam in tit. Christum, núm. 10, 27. in tit. Gaudium, núm. 19. in tit. Malitia, núm. 11, 12.

NATURA.

1. Nullum quippe vitium ita contra naturam, ut naturæ deleat extrema vestigia. *August. in quod. epist.*

2. Vince naturam diligentia, exclude corporis somnum. Naturam nobis formare non possumus, possumus diligentiam. *Amb. in lib. de Joseph.*

3. * Naturæ industria numquam in nobis dormiret: grande profecto in nobis donum naturæ, ipsa est. *Bernad. Cant. serm. 55.*

4. Natura crealrix, est quædam vis et potentia divinitus rebus insita, alia ex aliis in suo genere producens. *Hugo.*

5. * Mullis signis natura declarat quid velit, ac quærat, ac desideret: obsurdescimus tamen nos eo modo, nec quæ ab ea monentur audimus. *Tullius.*

6. * Naturæ non attinet repugnare, nec quidquam sequi quod assequi non queas, quod nihil decet, invita (quod ajunt) Minerva, id est, repugnante et adversante natura. *Idem in offic.*

7. Natura an fuerit novercа homini projecto corpore fragili, anxio ad molestias, molli ad labores, prono ad libidines. *Tull. in lib. de natura deor.*

8. Nulla naturalia corporis aut animi vitia ponuntur. Quidquid infixum et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. *Senec. 20. epist.*

9. Tenenda est via, quam natura præscripsit, nec ab illa declinandum: illam sequentibus omnia facilia et expedita sunt: contra illam viventibus, non alia vita est, quam contra aquam navigantibus. *Se. in epi.*

Vide etiam in tit. Ascensio, núm. 19. in tit. Consuetudo, núm. 24. in tit. Divitiæ, núm. 56. in tit. Homo, 3, 14, 20. in tit. Lascivia, núm. 1. in tit. Otiositas, núm. 12. in tit. Paupertas, núm. 28. in tit. Senectus, núm. 6.

NEGLIGENTIA.

1. Si curare parva negligimus insensibiliter seducti, audacter etiam majora perpetramus. *Gregor. in moral.*

2. * Vitanda est negligentia, nam in graviore periculo est desperationis judicium. *Bern. in Psalm. 14. serm. 11.*

3. * Omnes sumus in minimis cauti, in maximis negligentes, hoc ita fit, quia ubi vera vita sit, ignoramus. *Hier.*

4. Sicut in uno quoque mater est diligentia, ita universæ doctrinæ, et disciplinæ noverca est negligentia. *Boët. de discip. sch.*

5. Quodammodo custodiri negligentius solet, quidquid facile creditur posse reparari. *Joan. Cass.*

6. Turpissima est jactura, quæ per negligentiam fit. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æstimet, qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem non prospicimus. Magna pars jam ejus præteriit: quidquid ætatis retro est, mors tenet, tu vero omnes horas complectere: sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum injeceris. *Sen. in epist.*

7. Negligentia est animi torpor, quo quis minus diligens est in exequendo quod exequi debet. *Hugo.*

Vide etiam in tit. Consilium, núm. 18, 29, 30. in tit. Correctio, núm. 36, 75, 77. in tit. Exercitatio, núm. 9, 10. in tit. Exemplum, núm. 12. in tit. Loquacitas, núm. 7. in tit. Natura, núm. 2.

NOBILITAS.

1. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. *Hier. in epist. ad Celant.*

2. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas: nec obscuriores quaslibet, et humili loco natas, te inferiores putes; nescit religio nostra personas, nec condiciones hominum, sed animas inspicit. *Ibidem.*

3. Ille apud Deum præest potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas sæculi, sed quem devotio fidei et sancta vita commendat. *Hier. in quadam epist.*

4. Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi

quod nobiles quadam necessitate constringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Non enim datur nobili patri palma, sed cursui et plerumque nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis. *Ibidem.*

5. Nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc modo dispiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt. *Greg. in dialog.*

6. Genus clarum, corpus aptum, forma evidens, ingenium velox, eruditionis utilitas, et morum honestas gloriosa quidem sunt: si tibi usurpas, est qui quæral, et judicet. *Bern. in epist. ad magistrum Gualterium de Calvo monte.*

7. Nescio cum quo pacto virtus ignobili placet, an forte plus claret siquidem ignobilis quum caret gloria, non facile liquet, utrum quia noluit, aut quia non possit habere: laudo factam de necessitate virtutem: sed plus illam, quam elegit libertas, non induxit necessitas. *Bern. in quadam epist.*

8. Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur servire vitiis, et ab eis non superari. *Chrys. super Matth.*

9. Quid enim prodest ei quem sordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse enim se vacuum ab omnibus bonis ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham quod fuerit Noë filius? nonne separatus de medio filiorum, qui secundum carnem frater fuerat natus, secundum animam factus est servus? Nec familia ejus sancta potuit defendere impios mores. *Chrys. in ill. Matth. 4. Patrem habemus Abraham.*

10. Quid Timotheo nocuisse creditur, quod fuit ex patre gentili: aut quid nocuit Abrahæ quod patrem habuit Tharam luteorum deorum cultorem? nonne separatus à genere suo, positus est in caput fidelium: ut jam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? nec potuerunt ejus gloriam sordidare paterni errores. *Ibidem.*

11. Stagnum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum servatur, stagnum autem foras expellitur. Melius est, de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis ejus, non est ejus solius, sed communis videtur: qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis ejus solius est, qui vero de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis solius ejus non est, sed etiam generis. Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo est ejus solius, ideo melius est ut in te glorientur parentes, quam tu in parentibus glorieris. *Ibidem.*

12. * Omnino iniquum est nobiliora ingenia studiis dehonestari minoribus: et eos, quos graviora expectant officia, voluptatis ac vanitatis occupationibus agitari. *Chrysost. de Curia. nug.*

13. Nobilitas à me procedens, est mihi cordi plus, quam quæ ex patrum procedit nobilitate: quia in quo desinit cujusque nobilitas, tunc avorum nobilitate congrue indiget. *Cass. in quadam epist.*

14. Sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat: ita præclara de patribus egregia dicta confirmat, juxta illud: *Præconia veterum præsens docuit vena virtutum.* Laudabilis enim vena suam servat originem, et fideliter posteris tradit, quæ in se gloriosæ transmissione promeruit. *Cass. lib. 3. epist.*

15. Similitudinem suorum felix vena custodit, quando pudet delinquere, qui similia nequit in suo genere reperire. Hinc est, quod melius agnoscitur elegisse nobilem, quam fecisse felicem: quia iste commonitus, per veterum se facta custodit: ille autem exemplum non habet nisi quod fecerit. *Ibidem.*

16. Nam si inveterate, et per genus ductæ divitiæ nobilem faciunt, multo magis præstantior est nobilitas, cujus origo thesauris prudentiæ locuples invenitur. *Ibid.*

17. * De nobilitate parum laudis prædicare possum, bonus enim vir mihi nobilis videtur, qui vero non justus est, licet à patre meliore, quam Jupiter sit,

genus ducat, ignobilis mihi videtur. *Demost. 1. Olynt.*

18. Omnes boni semper nobilitati favemus, et quia reipublicæ utile est, nobiles esse homines dignos majoribus suis, et quia valere debet apud nos senex clarorum hominum de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum. *Cicer. pro Sestio.*

19. Si possent homines facere sibi sortem nascendi, nemo esset humilis, nemo egenus, unusquisque felicem domum invaderet: sed quamdiu non sumus, natura nos regit, et in quamcumque vult casam nos mittit. Quemcumque volueris revolvere nobilem, ad humilitatem pervenies. Quid recenseam singulos, cum hanc urbem tibi possem ostendere? Nudi stetere colles, inter quos tamen effossa mœnia. Nihil est humili casa nobilius. *Sen. de sentent. orato.*

20. Eis, qui non nati sunt nobiles, sed facti nihil crudelius, juxta illud: Asperius nihil est humili cum surgit in altum. *Ibidem.*

21. Habet hoc optimum generosus animus, quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida. Felix, qui ad meliora imperium animi dedit: ponet se extra conditionem fortunæ, prospera tentabit, adversa comminuet, et aliis admiranda despiciet. *Sen. 37. epist.*

22. Nobilitas animi, generositas est sensus: nobilitas hominis est generosus animus. *Ibidem.*

23. Ingenuitas non recipit contumeliam. *Senec. lib. de moribus.*

Vide etiam in tit. Nativitas, núm. 13.

NOCUMENTUM.

1. Facinus est, quod agit indomita cupiditas, ut noceat alteri. *Aug. sup. Joannem.*

2. Nec aliquid nocet fidelibus negata eorum corporibus sepultura, nec si exhibeatur aliquid infidelibus prodest. *August. de cura pro mortuis agenda.*

3. Quantum ad peccati rationem pertinet, nocuit, qui nocere disposuit. *Hier. in epi.*

4. Aliud quoque est nocere, quod semper potes, aliud prodesse cum possis, aliud non facere, aliud non operari bonum. Illud tibi rursus occurrit non sufficere Christianum, si unam partem justitiæ impleat, quum utraque præcipitur. *Hieron. ad Celant.*

5. Sed utinam soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, et nihil nocerent homines pernitiosis exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis vel detractionis, atque aliis mille modis. *Bern. in ser.*

6. Et si omnes, qui mare et terram habitant, conveniant ad lædendum nocere nequaquam poterunt ei, qui à semetipso non læditur. *Chry. de reparat. lapsi.*

7. Raro læditur homo ab extraneis, si sui eum non lædant: magis enim insidiis nostrorum, quam aliorum periclitamur. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

8. Ridiculum est aliquem odio nocentis, ignocentiam suam perdere: insidiosissime nocet, cui gratiæ aguntur pro injuria. *Sen. in epist.*

Vide etiam in tit. Crudelitas, núm. 3. in tit. Diabolus, núm. 2. in tit. Homo, 21. in tit. Inimicitia, núm. 16.

OBEDIENTIA.

1. Quid iniquius quam velle sibi obtemperari á minoribus, et nolle obtemperare majoribus? *August. de opere monacho.*

2. Non potuit Deus perfectius demonstrare, quantum sit bonum obedientiæ, nisi quum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi obedientia invenit pœnam. *Aug. super Psalm.*

3. Obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est: non timore pœnæ, sed amore justitiæ. *Gregor. 12. moral.*

4. Obedientia sola virtus est, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasque custodit. *Melior est obedientia quam victimæ*: obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam

vero voluntas propria maclatur. *Gregor. lib. 35. mor. tractans illud. 1. Reg. Melior est obedien.*

5. Nec studium bonæ actionis, nec ostium sanctæ contemplationis, nec lachrymæ pœnitentis extra Bethaniam esse potuerunt. *Bern. de nova. milit.*

6. Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur: nec contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, et ad omne quod injungitur, spontaneo vigore liberalis, alacrisque animi motum non considerans in infinitam libertatem extenditur. *Bern. de præcep. et dispensa.*

7. Melius est obedire Deo, quam hominibus, et ipsis melius magistris, quam discipulis: porro in magistris melius nostris, quam extraneis, quibus autem melius constat obedire, ipsis proculdubio non obedire, est detestabilius. *Ibidem.*

8. Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, et se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. *Bernard.*

9. Non attendit verus obediens, quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. *Ibid.*

10. In ipsa obedientiæ via tibi fortasse aliqua dura et aspera occurrere possunt, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minus tamen suavia videntur: hoc si molestè cæperis sustinere, si dijudicare prælatum, si murmurare in corde, etiam si exterius impleas quod jubetur, non est virtus patientiæ, sed velamen malitiæ. *Bern. in ser. 22.*

11. Quisquis apertè vel occultè satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater injungat, ipse se seducit, et sibi quasi de obedientia blanditur: neque ipse in ea re prælato, sed magis ei prælatus obedit. *Bernard.*

12. Non est dubium, quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibet ante mandatum, quam qui obedire satagit post mandatum. *Bern. in ser.*

13. In obediendi ratione hæc generalis regula teneatur, ut in difficilioribus quidem agendis obeditio

gratior, quam prævaricatio gravior judicetur, et in facilioribus minusque onerosis contemptus damnabilior, quam actus laudabilior, æstimetur. *Bernard. de præcepto et dispensatione.*

14. Solum censuerim fregisse votum, violasse propositum, prævaricasse pactum, qui et præceptum contempserit et remedium: nam illum sane dico securum, qui etiam si interdum obedire prælerierit, consilium non respuit pœnitentiæ. *Ibidem.*

15. Si jubente seniore ut sileam, verbum mihi forte per oblivionem elabitur, reum me confiteor obedientiæ, sed venialiter. Si ex contemptu sciens et deliberans, sponte in verba prorupero, et rupero silentii legem, prævaricatorem me constituo, et criminaliter: et si impœnitens persevero usque ad mortem, peccavi damnabiliter. *Ibidem.*

16. Optimum in moribus dixerim, qui in nullo prorsus resistat prioribus, aut invideat paribus, aut subjectis in superbia præsit: prælatis obediens, sociis congruens, subditis utiliter condescendens, Deo devotus, magistris subditus, senioribus obediens, minoribus obtemperans, angelis placens: verbo utilis, corde humilis, omnibus mansuetus. *Bern. super Cant.*

17. Multi denique sub præceptore quieti vivunt, quos si jugo absolvas, videas non posse quiescere, nec se ullo modo, æqualibus servare innoxios, simpliciter ac sine querela inter fratres conversari, super fratres non solum inutiliter, sed etiam insipienter et nequiter, minime quidem egentes magistro, nec tamen idonei magisterio. *Ibidem.*

18. Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam quum eum neglectis consiliis seniorum, suo judicio persuaserit, diffinitionique confidere. *Joan. Cass. in coll. Abbatis Moysi.*

19. Unum atque idem inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otii desiderium senioris prælerire mandatum: tamque dispendiosum est pro somno, quam pro vigilantia monasterii

statuta convellere. Tantum denique est abbatis transire præceptum, ut legas, quantum si contemnas, ut dormias *In collat. Dani. Abbatis.*

20. Inobedientiæ morbus, ex superbiæ tumore procedit, sicut sanies ex ulcere: sic ex superbia contemptus manat: hoc autem tribus modis mederi solet, videlicet emplastro, unguento, et ferro: id est, exemplo boni operis, verbo exhortationis, et disciplina correctionis. Quum enim ulcus non emittit per confessionem saniem, vel ex commotione non promittit emendationem, restat ut ferri recipiat incisionem, id est, correctionem disciplinæ. *Hug. de 12. abusio.*

21. Imponitur nomen obedientiæ præcepto, loco et facto, ut designet quid præcipitur, monstret quod agitur, nominet locum in quo quis moratur. Prima facilis, secunda gravis, tertia ad utramque se habet. Leve est enim præcipere, sed grave est adimplere, locus vero aliquando placet, aliquando displicet, placet quibusdam, non quia abundet fratribus, sed quia piscibus, placet quia abundat famulis et fabulis: placet, quia solus cuncta possidet: et sic fit, ut vocetur obedientia, cum non sit: hanc obedientiam multi desiderant, ut extra obedientiam esse non queant. *Ibidem.*

22. Inobedientia est ex duritia mentis obstinatæ, cui debeas, imperanti nolle obtemperare. *Tullius.*

23. * Corrumpitur atque dissolvitur imperantis officium si quis ad id quod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non considerato respondet. *Gell. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Conjugium, núm. 30. in tit. Cupiditas, núm. 12. in tit. Mandatum, núm. 13. in tit. Voluntas, núm. 21, 31.

OBSTINATIO.

1. Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, et inde funes mihi fecerat: ex perversa enim voluntate facta est consuetudo: et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi quibusdam annulis sibimet annexis, tenebat me stricte dura servitus. *Aug. 8 confess.*

2. Tres sunt species obstinatorum. Prima eorum, qui ex correctione non proficiunt. Secunda eorum, qui ex commonitione deteriores fiunt. Tertia eorum, qui emendationem promittunt, sed non faciunt. Ex correctione Manasses factus est melior, Nabal ex commonitione deterior, Pharao ex afflictione durior. *Hug. de 12. abusio.*

3. * Hominibus nimia pertinacia, atque arrogantia accidere solet, uti eo recurrant, et id cupidissime appetant, quod paulo ante contempserant. *Cass. lib. 1. de bell. Civ.*

4. Pertinacia est, ex irrationabili et inflexibili mentis obstinatione melioribus nolle cedere. *Tullius.*

5. Tunc est consummata infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent, et desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores fiunt. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Charitas, núm. 24. in tit. Consuetudo, núm. 10, 11, 25, 28, 29. in tit. Cor, núm. 5. in tit. Desperatio, per totum.

OTIOSITAS.

1. Nullus fructus otii, imo magis dispendium, otiosus Esau amisit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere, quam quærere. *Aug. in epist. ad Ver.*

2. Nihil in sancto proposito otio deterius est, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam peracta consumit sanctæ vitæ ratio, processu gaudet, et crescit cessatione: torpescit, et deficit, quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, et vivendi hoc iter non de transacto, sed de reliquo meliendum. *Hieron. ad Demetr.*

3. Otium parit fastidium, exercitium famem: fames autem miro modo dulcia reddit, quæ fastidium facit insipida. *Hier. in epistol.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4. Otiosum verbum est, quod sine utilitate loquentis et audientis dicitur: qualis qui de rebus frivolis loquitur, et fabulas antiquas narrat: cæterum qui scurrilia replicat, et cachinnis ora dissolvit, et aliquid turpitudinis profert, hic non otiosis verbis, sed criminosis tenebitur reus. *Hier. super Matth. lib. 1.*

5. Sed aliquid operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum: non enim facile capitur à diabolo, qui bono vacat exercitio. *Hieron. in serm.*

6. Omne verbum otiosum, quod loculi fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii: otiosum quippe verbum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut justæ necessitatis caret. *Gregor. in hom. 6.*

7. Numquam Dei amor est otiosus, operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est. *Ibidem.*

8. Ab otiosis ad noxia verba, à levioribus ad graviora venimus. *Gregor. in pastor.*

9. Otiositas mater est nugarum, et noverca omnium virtutum. Ipsa enim est, quæ virum fortem fortissime præcipitat in reatum, facit ei suffocare virtutem: superbiam et viam construere ad gehennam. *Bern. in serm.*

10. Si recte sapiens hortatur sapientiam scribi in otio, cavendum et in otio otium: fugienda proinde est otiositas mater nugarum, noverca virtutum. Inter seculares nugæ, nugæ sunt: in ore sacerdotis, blasphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ, referendæ tamen numquam. *Bern. de consider. lib. 2.*

11. Sapientiam scribe in tempore otii, ergo sapientiæ otia negotia sunt, et quo otiosior sapientia, eo exercitatior in suo genere. *Bern. super cant.*

12. Subito procedenti de umbra ad solem, de otio ad laborem, grave cernitur omne, quod incipit, sed quum ab his dissuescere, et ad illa se paulisper assuescere cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod impossibile ante putavit. *Bernard.*

13. Si propterea otiosum est verbum, quod nullam rationabilem causam habeat, quam rationem de hoc

reddere poterimus, quod est præter rationem? *Bern. in serm.*

14. Qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vivit. *Prosp. de vit. contemp.*

15. Non dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio et desidia, torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur. *Leo papa in serm.*

16. Mens otiosa nihil aliud cogitare novit, quam de escis, aut quam de ventre. *Joan. Cass. lib. 10. de spiritu acediæ.*

17. Natura quidem humana sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia fatuatur. *Cass. in epi.*

18. Otium, quod industriæ et studio maxime contrarium videtur, præcipue subnecti debet: non quo evanescit virtus, sed quo recreatur. *Valerius.*

19. Solitudo est, quæ virum fortem fortissime præcipitat in reatum. Ea enim mediante honestas impudicitiæ arma sua reddit: degenerat sanctioris vitæ propositum, et odoriferæ opinionis gloria damnabiliter evanescit. *Pet. Bles.*

20. Ingenium hominis ceu cariem et senium in otio contrahit propter obscuritatem, et muta quies vitaque sedentaria in otio semota non corporibus modo, verum etiam animis marcorem conciliat. *Plutarch.*

21. Otium sine literis mors est, et vivi hominis sepultura, omnia nobis mala solitudo persuadet: circumspice singulos, nemo est, qui non sanctius sit cum quolibet esse, quan secum. *Seneca.*

22. Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studiis vendico: non vaco somno, sed succumbo et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere delineo. *Sen. 8. epist.*

23. Demetrius vitam otiosam, et sine ullis fortunæ occursionibus, mare mortuum reputat: in otio inconcusso jacere non est tranquillitas, malitia est. Malo, ut me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat. *Sen. 68. epist.*

24. Gloriari otio, iners ambitio est: vitam in odium otium adducere solet: et sunt quorum corpus innoxium

est, et in mille facinorum furias mens otiosa discurrit. *Sen. 19. epist.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 6, 15. in tit. Homo, núm. 34. in tit. Militia, núm. 14. in tit. Solicitudo, núm. 5.

ODIUM.

1. Tria sunt genera hominum, quæ odit Deus: remanentem, retro redeuntem, oberrantem. Excitandi sunt remanentes, retro redeuntes revocandi, errantes in viam reducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via, qui forte á meliori proposito declinat, ad illud, quod deterius reliqueral, reversus est retro: qui fidem deseril, á via erravit. *August. de nov. cant.*

2. Hoc est perfecto odio odisse, ut vitia, non homines oderis, nec vitia propter homines diligas. *Aug. super ill. Psalm. Perfecto odio oderant illos.*

3. Festuca in oculo, ira est: trabs in oculo, odium est. *Aug. super Matth.*

4. Multum aliud est, quando quisque irascens in aliquo verbo modum excedit, quod postea deleat pœnitendo. Aliud est servare insidias inclusas in corde, multum postremo inter hæc verba scripturæ, *turbatus est præ ira oculus meus.* De illo autem aliquid dictum est: *qui odit fratrem suum, homicida est*, multum interest inter turbatum oculum, et extinctum: festuca turbat, trabs extinguit. *Ibid.*

5. Odium, est vetus ira ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseverans. *August. de diffinit.*

6. In comparatione odii, ira festuca est, sed festucam si nutrias, trabs erit: si evellas et projicias nihil erit. *August. in serm.*

7. Nemo potest perfecte diligere quo vocamur, nisi oderit unde revocamur. *August. de vera. rel.*

8. Propemodum naturale est, ut nurus socrum et socrus oderit nurum. *Hier. super Michæam.*

9. Qui occidit, et qui odit fratrem suum, et qui ei detrahit, pari pœna digni esse monstrantur. *Hier. in epistol.*

10. Tunc bene animam nostram odimus, quum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, quum ejus appetitum frangimus, quum ejus voluptatibus reluctamur. *Greg. in moral.*

11. Vitam animæ quælibet culpa polluit, servatus vero dolor contra proximum occidit: menti namque, ut gladius figitur, et mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. *Greg. 10. Moral.*

12. Qui ergo motum nocendi habet in animo, debet judicare se reum. Si autem prodeat in contumeliam adversus fratrem, eget reconciliatione. Si autem non judicat se reum, nec fratri vult reconciliari, ex contemptu perseverans in odio, reus erit gehennæ. *Greg. super Matth. 5. in hom.*

13. Sicut rex in imagine sua honoratur, sic Deus in homine diligitur et oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat, nec potest Deum amare, qui hominem odit. *Chrys. super Matth. 22.*

14. Nemo potest aliquid oblivisci, quod diligit, aut retinere, quod odit. *Ibidem.*

15. Hac est pugna periculosa et hæc gloriosa victoria, qui poterit odisse quod amat et amare, quod odit. *Chrys. in ho.*

16. Bonos quis nisi stultissimus oderit? malos vero odisse, ratione caret. *Boet. de consol. lib. 1.*

17. Perfectum odium est, homines diligere et eorum vitia semper horrere, nam in illa parte, qua creatura Dei sunt, amandos esse non dubium est: in illa iniquitate horremdi sunt, in qua se polluerunt. Tales placere non possunt, nisi eis, qui factis similibus replicantur. *Cass. super ill. Psal. Perfecto odio oderam illos.*

18. Simul ista mundi rector Deus posuit, odium atque regnum: odia qui nimium timet, regnare nescit. *Seneca.*

19. Pejora sunt tecta odia, quam aperta, et agnosci amat, qui odium ostendit. *Senec. in Prov.*

20. Propterea te loquax inimicus minus quam taciturnus offendit. *Ibidem.*

21. Quamvis agas, ut ne quis merito tuo oderit: erunt tamen semper, qui te odient. *Senec. in prov.*

22. Semper odiorum honestus occassus, et dum simulares nihil aliud habent, quam nocendi cupiditatem, speciosa in melius mutatio est. *Quint. Dec. 9.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 9. in tit. Correctio, núm. 74. in tit. Diabolus, núm. 3. in tit. Homicidium, núm. 4. in tit. Ira, núm. 1, 3, 5, 7. in tit. Labor, núm. 14. in tit. Loquacitas, núm. 12. in tit. Regimen, núm. 35.

OPUS.

1. Sic doce me, ut agam, non ut tantummodo sciam, quid agere debeam. Sicut enim dictum est de Domino, quod non noverat peccatum: et intelligitur non feceral, sic et justitiam ille vere dicendus est nosse, qui facit. *Aug. super Psal.*

2. Bonus opus fiat non timore, sed amore: non formidine pœnæ, sed dilectione justitiæ: ipsa enim vera et summa libertas est. *Ibidem.*

3. Bonum et rectum est omne, quod agimus, si nec memoriam decipiat oblivio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem: ab his tribus est omne, quod agimus. *Aug. super Joan.*

4. Unusquisque pro operibus suis mercedem accipiet: nec possunt in die judicii aliorum virtutes aliorum vitia sublevare. *Hieronym.*

5. Quum desideria bona concipimus, semen in terram mittimus, quum vero opera recta incipimus, herba sumus: quum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus: quum in ejusdem boni operis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. *Gregor. in hom.*

6. Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Non sibi aliquid credat, quidquid sibi animus, sine testatione operis respondet: de dilectione conditoris, mens lingua et vita requiritur. Numquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est. *Ibidem.*

7. In opere perfectus non est, cui adhuc linguæ pravitas contradicit, nec in sermone laudabilis, qui hoc quod loquitur, opere non ostendit. *Gregor. in moral.*

8. Ad vosipsos retrorsum recurrite: si Deum vere amatis, exquirite, nec tamen sibi credat, quidquid animus sine operis attestatione responderit, veniet profecto dies ille, in quo pastor pastorum adpareat, et uniuscujusque facta in publicum deducat. *Greg. in hom.*

9. Non solum illa nostra sunt, quæ ipsi gerimus, sed etiam illa, de quibus in aliorum actione gaudemus. *Leo in ser.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 35. in tit. Doctrina, núm. 25. in tit. Exemplum, núm. 4, 25. in tit. Fama, núm. 4. in tit. Humilitas, núm. 21. in tit. Intentio, núm. 2. in tit. Labor, núm, 14. in tit. Laus, num. 20, 29. in tit. Otiositas, núm. 5. in tit. Oratio, núm. 29. in tit. Salus, núm. 4. in tit. Sapientia, núm. 17. in tit. Scriptura, núm. 18.

ORATIO.

1. Multi languescunt in orando, et in novitate conversionis suæ ferventer orant: postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi sint: vigilat hostis, dormis tu? *August super Psalm. 65.*

2. Oratio tua, locutio est ad Deum: quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris. *Aug. sup. Psal. 85.*

3. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur: tales orationes raræ sunt multis, crebre paucis, utrum nec cuiquam nescio. *Aug. supra Psal. 118.*

4. Oratio si pura est, si casta fuerit, cælos penetrans, vacua non redibit. *August. in quodam ser.*

5. Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas brevissimas, tamen et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio. *August. ad Probam.*

6. Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utilius, magis novit medicus, quam ægrotus. *Aug. in lib. senten. Prosper.*

7. Oratio paucis verbis res multiplices comprehendit: ut sic cito simplicitas fidei, sufficientia suæ saluti addisceret, et prudentia ingeniosorum: profunditate mysteriorum stupesceret. *Aug. in gl. Matth. 6.*

8. Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem est flagellum. *August. in serm.*

9. Plus placet Deo latratus canum mugitus boum, grunnitus porcorum, quam cantus clericorum luxuriantium. *August.*

10. Oratio est animæ sanctæ præsidium, angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, et pœnitentia religionis, laus tota, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta. *Ibidem.*

11. Multum precari est Deum quem peccamus diuturna et pia cordis excitatione pulsare, nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu, quam affatu. *August. ad Dioscor.*

12. Hæ sunt duæ alæ orationis, quibus volatur ad Deum: si illud, quod communicatur, ignoscit delinquenti, et donat egenti. *August. in serm. de quod.*

13. Quum oras, clamas non voce, sed mente. Nam et tacentes exaudit Deus, nec quæritur locus, quantum sensus. Hieremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: Tres pueri in fornace tripudiant: Iob mudus in sterquilinio triumphat: paradisum de cruce latro invenit, non est locus, ubi non sit Deus. *August. in serm.*

14. De quotidianis brevibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. *August. in enchyr.*

15. Oratio Deum ungit, sed lachryma compungit, hæc lenit, illa cogit. *Aug. in serm.*

16. Ne deficias in oratione. Deus quod concessurus est, et si differt, non aufert: non levitate utitur, qui promisit, non facile de sententia movetur, quod promisit, est fixum: fallere non potest, habet unde faciat. *Aug. super Psal. 65.*

17. Orationis paræ magna est virtus, et velut fidelis nuntius, mandatum peragit, et penetrat, quo caro non pervenit. *Ibidem.*

18. Oratio, refectio est jejuniorum: duritiam cordis emollit: austeritatem temperat: jejunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic et jejunium sine refectione orationis non potest animam perfecte nutrire. *August. in quodam serm.*

19. Sit oratio pura, simplex, dilucida atque manifesta, plena gravitatis et ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia. *Ambr. de Offic.*

20. Ubi est oratio, adest verbum, fugatur cupiditas, libido discedit. *Ambr. de viduis.*

21. Si pro te rogas tantum, pro te solus rogabis: si autem pro omnibus rogas, omnes pro te rogabunt. *Ambr. in hexam.*

22. Vide quam brevis est oratio, et omnium plena virtutum, primus sermo quantæ est gratiæ! O homo faciem tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, et subito accepisti gratiam Christi: omnia peccata dimissa sunt: ex malo servo factus es bonus filius: ideo præsume non de operatione tua, sed de gratia Dei. Gratia enim salvati estis, ut dicit Apostolus. Non enim hæc arrogantia est, sed fides: prædicare, quod acceperis, non est superbia, sed devotio: ergo attolle oculos ad patrem, qui per lavacrum te genuit: ad patrem, qui per filium te redemit, et dic: Pater noster: bona præsumptio, sed moderata: patrem dicis, quasi filius, sed noli specialiter tibi aliquid vendicare, solius Christi est pater specialis, nobis omnibus in communi est pater: quia illum solum genuit, qui nos creavit. *Ambr. sup. ill. Matth. 6. Pater noster.*

23. Multi minimi, dum congregantur unanimes, sunt magni: et multorum preces impossibile est contemni. *Ambr. lib de pœnit.*

24. Despiciuntur orationes leves diffidentes, inuli-

les: seculi curis anxiæ plenæ, et rerum corporalium implicite, bonorum operum fructibus infœcundæ. *Amb. sup. Psal.*

25. Egredientes de hospitio armet oratio: regredientibus de platea occurrat ante sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam animam pascat. *Hier. in epist.*

26. Jejunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis. *Hier. super Marcum.*

27. Quoties pro centum animabus psallimus, vel missa canitur, tantum prodest cuilibet, quantum si pro qualibet caneretur. *Hier. in epist.*

28. Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, et magis provocet ad rogandum, et quasi in igne excoctum justiorem et puriorem faciat. *Hier. super Habac.*

29. Lectionem frequenter interrumpat oratio, et animam jugiter adhærentem Deo, grata vicissitudo sanctæ operationis accendat. *Hieron. ad Demetr.*

30. Error fuit, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. *Hier. cont. Vigilant.*

31. Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi prius ex charitate suffragatur, et pro semetipso tanto citius exaudiri meretur, quanto magis devote pro aliis intercedit. *Gregor. in moral.*

32. Tunc cor fiduciam in oratione accipit quum sibi vitæ pravitas nulla contradicit. *Ibidem.*

33. Omnipotens Deus sæpe ejus precem in perturbatione deserit, qui præcepta illius in tranquilitate contemnit. *Ibidem.*

34. Dignum profecto est, ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus jussionibus non vult esse subjectus. *Ibidem.*

35. Talis requirendus est ad orandum, qui sit idoneus ad placendum: quia quum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. *Greg. in past.*

36. Ille Deo veram orationem exhibet, qui semetipsum cognoscit, quia pulvis sit: humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit, esse de misericordia Conditoris agnoscit. *Gregor. in moral.*

37. Virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Veraciter orare est, amoris in compunctione gemitus, et non composita verba resonare. *Ibidem.*

38. Quanto graviori tumultu carnalium rerum premimur, tanto orationi insistere ardentius debemus. *Greg. in ho.*

39. Ecce stat, qui ante transibat: quia dum adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur, Jesum aliqualenus transeuntem sentimus. Quum vero orationi vehementer insistimus, stat Jesus, ut lumen restituat: quia Deus in corde figitur, et lux amissa reparatur. *Greg. in ho. sup. evang.*

40. Illam orationem Deus non exaudit, cui homo, quando psallit, non attendit. *Gregor. in quad. hom.*

41. Conditoris auribus illa maxime oratio commendatur, qua pro inimicis quoque intercedere nitimur. *Gregor. in moral.*

42. Quando fidelis et humilis, et fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit: unde certum est, quod vacua redire non possit. *Bernard.*

43. Nemo nostrum parvipendat orationem suam: dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro: ipse scribit eam in libro suo, et unum ex duobus indubitanter sperare possumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod novit utilius. *Ibidem.*

44. Pro se orare necessitas cogit: pro aliis autem charitas fraternitatis hortatur: dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. *Chry. super Matth.*

45. Non voce clamosa pulsandus est Deus, sed conscientia recta placandus, quia non est vocis, sed cordis auditor. Orans nihil novum faciat, quod aspiciant homines, nec voce clamet, nec manus expandat, nec

oculos tollat, ut notabilis fiat. *Chry. super Matth.* 6.

46. Dicendo, Pater noster, et veniam peccatorum et penarum interitum, et justificationem, et sanctificationem, et liberationem, et filiorum adoptionem, et hæreditatem Dei, et fraternitatem cum unigenito copulatam, et sancti Spiritus dona largissima, uno sermone significavit. *Ibidem.*

47. Nihil potentius homine orante. Qui erat cum jejunio duplices alas habet: nam neque oberrat, neque torquet. *Chrys. super Matth.* 18.

48. Colonus Dei, consilium Diaboli non quærit: colonus autem diaboli et si auxilium Dei quærit, non invenit. Unde fur orat, ut prosperetur, et fornicator sibi crucis signum facit, ut non comprehendatur, et tanto citius capitur quia nescit justus Deus patrocinium criminibus dare. *Chrys. super Matth.* 22.

49. Consuetudo erat, ei sine eis orare, in quo docemur tempore orationis quærere secretum, et fugere tumultum. *Chrys. super Matth.* 26.

50. Petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur. *Chrysost.*

51. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere: nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur: omnis profectus ex lectione et meditatione procedit. *Isidor. de sum. bon. lib.* 3. *c.* 8.

52. Hoc est remedium ejus, qui vitiorum tentamentis æstuat, ut quoties quolibet vitio tangitur, toties orationem subdat: quia frequens oratio impugnationem vitiorum extinguit. *Ibidem.*

53. Quid prodest strepitus labiorum, ubi cor est mutum? Sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum, sic oratio sine devotione est quasi mugitus boum. *Ibidem.*

54. Oratio cordis est, non labiorum: neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. Melius est cum silentio orare corde, sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis. *Ibidem.*

55. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare

quisque valeat postulata, hoc est: si aut quisque adhuc mala commilit: aut si delinquenti sibi debita non dimittit. *Ibidem. c.* 7.

56. Sæpe multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem. *Ibidem.*

57. Orationibus mundamur, lectionibus instruimur: utrumque bonum est, si liceat: si non licet utrumque, melius est orare, quam legere. *Ibid. c.* 8

58. Multum juvat orationis puritatem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis: si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus, et linguam: quæcumque enim sæpius agere, loqui vel audire solemus, eadem necesse est sæpius ad animum, quasi solitam propriamque recurrant ad sedem: et sicut volutabra sues palustria, columbæ lympida solent frequentare fluenta: ita cogitationes puram mentem immundæ perturbant, castam spiritualem sanctificant. *Beda de Tempt. Sal.*

59. Psalmus dæmones fugat, angelos ad adjutorium salutis invitat, scutum est in nocturnis terroribus, diurnorum requies laborum, tutela pueris, juvenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor, deserta habitari facit urbes, sobrietatem docet, incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum. *Bas. in hexam. lib.* 9.

60. Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur? si certus sit adsistere ante oculos Domini? *Ibidem.*

61. Si quis intendat ita animam suam in singula verba psalmorum, sicut gustus intentius est ad discretionem saporis ciborum, iste est qui complet, quod dicitur: *Psallite sapienter. Ibidem.*

62. *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum, etc.* Hujus versiculi oratio in adversis ut eruamur, in prosperis ut servemur, ne extollamur, incessabili jugitate fundenda est: hujus igitur versiculi meditatio in tuo pectore indirupta volvatur: hunc in opere quolibet sive ministerio, sive in itinere cons-

titutus decantare non desinas: hunc, et dormiens et reficiens, et in ultimis naturæ necessitatibus meditare. *Joan. Cass. in collat. 10. Isai. c. 10.*

63. Socrates nihil ultra á diis immortalibus petendum arbitrabatur, quam ut bona tribuerent: quia hi demum scirent quid unicuique esset utile. *Val. Max.*

64. Non dicimus, pater meus: sed noster: nec da mihi, se da nobis: quia christianitatis magister noluit privatim precem fieri: ut scilicet quis pro se tantum precetur: unum enim orare pro omnibus voluit, quando in uno omnes ipse portavit. *Cyp. de or. Dom.*

65. Ipsius est oratio perfecta, cujus et causa clamat, et lingua, et actus, et sermo, et vita, et cogitatio. *Cass. super Psalm. 16. Exaudi.*

66. Non solum cantantes, sed etiam intelligentes psallere debemus: nemo enim sapienter quidquam facit, quod non intelligit. *Cass. super Psallite.*

67. Pulchre diffinitum est psalmos esse vasa veritatis, quasi spiritualia dolia, vinum Domini incorrupto sapore servantia. *Cass. super Psalm. Confi. tibi in.*

68. Magna voce ille clamat ad Dominum, qui quamvis lingua taceat, bonis tamen operibus perseveranter clamat. *Ibid. super psalm. Miser. mei.*

69. Oratio posita est, per quam ira Dei suspenditur, venia procuratur, pœna refugitur, et præmiorum largitas impetratur: cum Deo loquitur, cum judice fabulatur, præsentem sibi facit, quem videre non prævalet: ad penetralia judicis precator admittitur, et nullus inde respuitur, nisi qui in ea tepidus invenitur. *Cass. super Psalm. 101.*

70. Ipsa est suavissima virtus harmoniæ, quando vox cognoscitur operibus consonare: nam si hæ duæ res discrepabili varietate dissentiant, nequaquam possunt psalmodiæ temperatam efficere cantilenam: nec ad aures Domini venit, quod se mutua contrarietate confundit. *Ibidem.*

71. In psalmis vincitur mundus: plorando superatur diabolus: et cui nullæ cohortes ad pugnandum sufficiunt, oratione unius pauperis inclinatur. *Ibidem.*

72. Virtutem sanctæ orationis intende: quia tanto se credit celerius audiendam, quanto de imis penetralibus clamat ad Dominum. *Ibidem.*

73. Psalmodia est consolatio flentium, cura dolentium, sanitas ægrotorum, hæc animæ remedium, hæc miseriarum omnium cognoscitur esse suffragium. Nam qui tali munere privatur, ab omni beneficio consolationis excluditur. *Cassiod.*

74. Oratio serenat cor, abstrahit á terrenis, mundat á vitiis, sublevat ad cœlestia, reddit capacius et dignius ad accipienda bona spiritualia. *Ibidem.*

75. Oratio est piæ mentis et humilis ad Deum conversio, fide, spe et charitate subnixa. *Hugo.*

76. Tunc scito te omnibus cupiditatibus esse solutum, cum eo perveneris, ut Deum nihil roges, nisi quod rogare possis palam. *Sen. epist. 100.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 23. in tit. Angelus, núm. 23. in tit. Communitas, núm. 3. in tit. Contritio, núm. 10. in tit. Divitiæ, núm 7, 11. in tit. Eleemosyna, núm. 41, 42. in tit. Exemplum, núm. 19. in tit. Jejunium, núm. 25, 26. in tit. Labor, núm. 2. in tit. Lachrymæ, núm. 8, 9, 17. in tit. Martyrium, núm. 3. in tit. Petitio et Prædicatio, núm. 7. in tit. Remuneratio, núm. 1. in tit. Sanctitas, núm. 4. in tit. Satisfactio, núm. 2, 4. in tit. Servitium, núm. 6. in tit. Votum, núm. 8.

ORDO.

1. Maritum duarum post baptismum matronarum clericum non ordinandum: nec illum qui viduam, vel repudiatam, vel meretricem in matrimonio sumpsit, nec eum, qui semetipsum quolibet corporis sui membro, indignatione aliqua, vel justo, vel injusto timore superatus truncaverit: neque illum, qui usuras accepisse convincitur, aut in scena lusisse dignoscitur: neque illum, qui publica pœnitentia mortalia peccata defiet: neque eum, qui per ambitionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam offert: neque illum, qui

aliquando in furiam versus, insanivit, vel afflictione diaboli vexatus est, dicimus. *August. de diffin.*

2. Ne hi, qui ordinati sunt, pereant, provideri debet, quales ordinentur: ut aspiciatur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium lectionis, si eleemosynæ amorem habuerunt. *Greg. in re.*

3. Nullus debet ad altare accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. *Ibidem.*

4. Agnoscat unusquisque ordinem suum, et quid dignum sit eo ordine, quem suscipit, intelligat: et ita libret actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque et habitum moderetur, ut cum ordinis sui professione conveniat, ne audiat dici ad se á Deo. Quia propter vos blasphematur nomen meum inter gentes.

Vide etiam in tit. Acedia núm. 3. in tit. Sacerdotes, núm. 35. in tit. Simonia, núm. 3.

ORNATUS.

1. Nolo, ut de ornamentis auri vel vestis properam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eis, qui neque conjugati sunt, neque conjugari cupientes cogitare debent, quomodo placeant Deo. *August. ad Possid.*

2. Animadvertendum est non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luluosis esse posse jactantiam, et eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit. *August. in lib. de ser.*

3. Quanta amentia est, effigiem mutare naturæ picturam quærere: tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. *Ibidem.*

4. Neglecta mundities, et inculta vestis, cultus ipse sine cultu. *August. lib. 2. de doctrina Christian.*

5. Fucare figmentis, quo vel rubicundior appareat, adulterina fallacia est: qua non dubito ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari, sed secundum veniam, non secundum imperium execranda autem est superstitio ligaturarum quæ non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibentur. *August. ad Possid.*

6. Deles picturam Dei mulier si vultum tuum materiali candore oblinias, si exquisito rubore perfundas. *Ambr. in hexam.*

7. Collum catena constringit: pedes compedes includunt, nihil refert an corpus auro ligetur an ferro. Si cervix premitur, si gravatur incessus, nihil precium juvat: nisi quod vos mulieres estis miserabiliores, quam qui publico jure damnantur. Illi optant vivos ligari, mulier sic ornata, est domus omnium dæmonum infernalium. *Ambr. lib. 1. de virg.*

8. Neglecta decoris cura plus placet: et hoc ipsum, quod nos non ornamus, ornatus est. *Ibidem.*

9. Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expeditus, non pretiosis et albentibus adjutus vestimentis, sed communibus, ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori. *Ambr. de Offic. lib. 1.*

10. Vestes pullas æque devita ut candidas: ornatus et sordes pari modo fugienda sunt: quia alterum delitiis, alterum gloria redolet. *Hier. in epist. ad Nepot.*

11. Inter sericum et linteamina, quibus tibi videris fulgidus et formosus, intellige te nudum conscissum, sordidum, mendicantem. *Hier. in epist.*

12. Quid dicam de his, qui ambiunt ad sacerdotium, quibus cura est, ut vestes bene oleant, ut pes laxa pelle non sordeat: quibus ut crines calamistro rotentur: quibus ut digiti annullis radient, et si via humidior fiat, vix in eam pedes vestigia imprimant. *Hieron. ad Eustoch.*

13. Si vir vel mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen patietur æternum: quia venenum attulit, si fuisset qui biberet. *Hieronym.*

14. Sunt nonnulli, qui cultum subtilium preliosarumque vestium non putant esse peccatum: quod videlicet, si culpa non esset, nequaquam sermo Dei

tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. *Greg. in hom.*

15. Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur: quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. *Ibidem.*

16. Quid de habitu dicam? in quo jam non calor, sed color requiritur: magisque cultui vestium quam virtutum insistitur? pudet dicere: vincuntur in suo studio mulierculæ, quando á monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas. *Bern. super Missus.*

17. Vanum cor, vanitatis notitiam ingerit corpori. Exterior enim superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta, animi mollitiem indicant, non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. *Bernard. in apolog.*

18. Quid autem? ab arte calceorum et textorum multa abscindere oportet. Etenim ad luxuriam deduxerunt necessitatem ejus, corrumpentes artem malæ arti commiscentes. *Chrys. super Matth.*

19. Non virgines tantum aut viduas, sed et nuptas, puta, ut omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei et facturam ejus, et plasma adulterare nullo modo debeant, adhibito flavo colore vel nigro, pulvere vel rubore, aut quomodolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine, et subdit: manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt. *Cyp. in lib. de habitu virg.*

20. Serico et purpura indutæ, Christum syncere induere non possunt: auro et margaritis adornatæ et monilibus, ornamenta mentis et corporis perdiderunt. *Ibidem.*

21. Superbus autem ut magnificus videatur, satagit vestiri duplicibus, indui mollibus, pretiosis ornari: sed quid aliud est, ó homo, pretiosior ornatus, quam sepulcrum foris dealbatum, intus autem spurcitia? Hyacinthus, purpura, et crocus, et byssus in limo putrescunt: aurum et argentum, lapides et gemmæ

in luto sordescunt. Dignitas et potestas in pulvere, honor et gloria male sedent in cinere. *Inno. de cill. cond. hum.*

22. Artificialis species superducitur, et facies obducitur naturalis, tanquam hominis artificium artem superet Creatoris. *Ibidem.*

23. Absit ut adulterinus color comparabilis sit nativo. Quinimo quum facies adulterino colore fucatur, os abominabili fœtore corrumpitur. *Universas vanitas omnis homo vivens.* Isaias. Quid enim vanius quam crines pectere, planare cæsariem, tingere genas, ungere faciem, producere supercilia? quandoquidem vana sit gloria et vana pulchritudo, *omnis caro fœnum*, et omnis gloria ejus tanquam flos agri? *Ibidem.*

24. In culto observandum est, quod á forma removeatur omnis viro non dignus ornatus. *Tullius.*

25. Adhibenda est autem munditia non odiosa, neque exquisita nimis, tantumque fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. *Ibidem.*

26. Omnium istarum pulchritudinem contemnes, si expoliaberis. Equum empturus, solvi jubes stratum: detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant, ornamenta ipsa ementibus suspecta sunt sive crus, sive brachium aspiceres alligatum, nudari juberes, et ipsum corpus ostendi. Mulierem involutam æstimas, si vis illam æstimare, totamque scire qualis sit, fasciam solve: multum mali sub illa latet. *Sen. 81. epist.*

27. Adolescens si fœmineis ornamentis te ornaveris, injuriam facere cogitas. *Sen. lib. de moribus.*

Vide etiam in tit. Gloria vana, núm. 32. in tit. Homo, núm. 14, 19. in tit. Hypocrisis, núm. 2, 4. in tit. Religio, 31. in tit. Virginitas, núm. 3.

PARENTES.

1. Amandus est generator, sed præponendus, est Creator. *August. in quodam serm.*

2. Est approbanda liberalitas: ut proximos semi-

tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. *Greg. in hom.*

15. Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur: quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. *Ibidem.*

16. Quid de habitu dicam? in quo jam non calor, sed color requiritur: magisque cultui vestium quam virtutum insistitur? pudet dicere: vincuntur in suo studio mulierculæ, quando á monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas. *Bern. super Missus.*

17. Vanum cor, vanitatis notitiam ingerit corpori. Exterior enim superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta, animi mollitiem indicant, non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. *Bernard. in apolog.*

18. Quid autem? ab arte calceorum et textorum multa abscindere oportet. Etenim ad luxuriam deduxerunt necessitatem ejus, corrumpentes artem malæ arti commiscentes. *Chrys. super Matth.*

19. Non virgines tantum aut viduas, sed et nuptas, puta, ut omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei et facturam ejus, et plasma adulterare nullo modo debeant, adhibito flavo colore vel nigro, pulvere vel rubore, aut quomodolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine, et subdit: manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt. *Cyp. in lib. de habitu virg.*

20. Serico et purpura indutæ, Christum syncere induere non possunt: auro et margaritis adornatæ et monilibus, ornamenta mentis et corporis perdiderunt. *Ibidem.*

21. Superbus autem ut magnificus videatur, satagit vestiri duplicibus, indui mollibus, pretiosis ornari: sed quid aliud est, ó homo, pretiosior ornatus, quam sepulcrum foris dealbatum, intus autem spurcitia? Hyacinthus, purpura, et crocus, et byssus in limo putrescunt: aurum et argentum, lapides et gemmæ

in luto sordescunt. Dignitas et potestas in pulvere, honor et gloria male sedent in cinere. *Inno. de cill. cond. hum.*

22. Artificialis species superducitur, et facies obducitur naturalis, tanquam hominis artificium artem superet Creatoris. *Ibidem.*

23. Absit ut adulterinus color comparabilis sit nativo. Quinimo quum facies adulterino colore fucatur, os abominabili fœtore corrumpitur. *Universas vanitas omnis homo vivens.* Isaias. Quid enim vanius quam crines pectere, planare cæsariem, tingere genas, ungere faciem, producere supercilia? quandoquidem vana sit gloria et vana pulchritudo, *omnis caro fœnum*, et omnis gloria ejus tanquam flos agri? *Ibidem.*

24. In culto observandum est, quod á forma removeatur omnis viro non dignus ornatus. *Tullius.*

25. Adhibenda est autem munditia non odiosa, neque exquisita nimis, tantumque fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. *Ibidem.*

26. Omnium istarum pulchritudinem contemnes, si expoliaberis. Equum empturus, solvi jubes stratum: detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant, ornamenta ipsa ementibus suspecta sunt sive crus, sive brachium aspiceres alligatum, nudari juberes, et ipsum corpus ostendi. Mulierem involutam æstimas, si vis illam æstimare, totamque scire qualis sit, fasciam solve: multum mali sub illa latet. *Sen. 81. epist.*

27. Adolescens si fœmineis ornamentis te ornaveris, injuriam facere cogitas. *Sen. lib. de moribus.*

Vide etiam in tit. Gloria vana, núm. 32. in tit. Homo, núm. 14, 19. in tit. Hypocrisis, núm. 2, 4. in tit. Religio, 31. in tit. Virginitas, núm. 3.

PARENTES.

1. Amandus est generator, sed præponendus, est Creator. *August. in quodam serm.*

2. Est approbanda liberalitas: ut proximos semi-

nis tui non despicias, si egere cognoscas, non tamen, ut illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu potes conferre inopibus. *Ambr. de Offic.*

3. Non injuriose negligit matrem, nec mater negatur, quæ de cruce etiam agnoscitur. Religiosiores monstrantur copulæ mentium, quam corporum, et corporali necessitati præscriptorum cœlestium forma præfertur. *Ambr. super Luc.*

4. Primus gradus pietatis est iste, ut quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis: nec vultu lædenda est pietas parentum. *Ambr. sup. ill. Matth. 19. Honora.*

5. Meretur cæcitatis suæ subire supplicium, qui parentum vultus torvo visu despexerit, et elatis oculis læserit pietatem. *Hieron. tractans illud. Honora.*

6. Si te caro à patre separat, tamdiu noscas carnis copulam, quamdiu ille suum noverit creatorem. *Ibidem.*

7. Ob amorem Christi obmittenda est sepultura patris, post cujus amorem nullus relinquitur inhumatus. *Hier. super ill. Dimitte mortuos.*

8. Gladium tenet hostis, ut me perimat, et ego de matris lachrymis cogitabo. *Hier. in epist. ad Heliod.*

9. Si necessitas venerit, ut amor parentum sive filiorum amori Dei comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum servanda est. *Hier. super illud Matth. 10. qui amat patrem etc.*

10. Diligamus illos, qui nobis cognatione conjuncti sunt, et quos proximos novimus diligamus, et quos adversarios in via Dei compatimur, odiendo et fugiendo nesciamus. *Greg. in quadam ho. super Evang.*

11. *Filii, vinum non habent. Qui mihi et tibi est mulier?* Ut quid, fratres, sic respondit Christus? utique propter nos: ut conversos ad Deum jam non solicitet carnalium cura parentum: et necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentum:

at postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum solicitudine liberi sumus. *Bern. sup. cant. ser.* 21.

12. Non licet simpliciter odio habere parentes, sed si voluerint plus diligi, in hoc odio habeantur. *Chry. super illud Matth. 10.*

13. Dum Christus persuaderet populo, quod esset filius Dei, diabolus procuravit adventum matris, ut turbæ videntes parentes carnales, divinitatis ejus obscuraret naturam. *Chrys. super illud. Matth. 12. Ecce mater, etc.*

14. Docet nos Christus usque ad ultimam respirationem, parentum diligentiam habere: quia enim aliis mulieribus adstantibus nihil dixit: docet nos plus aliquid impendere parentibus. *Chry. super illud mulier ecce, etc.*

15. Quod enim est in herbis, aut in arboribus humor hoc est in hominibus amor. Sicut enim herbæ ex humore nascuntur et crescunt: sic homines per amorem incipiunt et augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam: de herba autem non revertitur ad radices, sed sursum transmittitur in semen: sic et amor de parentibus ascendit in filios, de filiis autem non revertitur ad parentes: ideo parentes quidem diligunt, sed non sic diliguntur à filiis, quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem: sic et homo non ad parentes, sed ad procreandos filios transmittit affectum. *Chry. super ill. Matth. 19. Relinquet homo, etc.*

16. Viscus amor possessionis, affectus cognationis, cupiditas honoris, voluptas carnis, quibus anima irretitur, ne pennis contemplationis per plateas Jerusalem currere possit. *Beda super illud Matth. 19. Ecce mater tua.*

17. Filios et parentes si adversi sunt, alienata debemus voluntate contemnere. Sæpe enim quos flamma non terruit, quos ferrum non subdidit, necessitudinum blandimenta flexerunt. *Cass. super illud psal. Iniquos odio etc.*

18. Quem alienum tibi fidum invenies, si tuis hostis

fueris? Qui fallere audebit parentes, qualis erit in cæteros? *Cass. in quad. epist.*

19. Avelle à sole solis radium, et non lucet: rivum á fonte, et arescit: ramum ab arbore, et exiccatur: membrum à corpore, et putrescit: separa filium á devotione paterna, et jam non est filius, sed frater et collega illorum de quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis. *Pet. Rav. in quodam serm.*

20. Justissime quadam pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda est. *Valer. lib. 1.*

21. Decius imperator cum Decium filium suum imperiali diademate proponeret insignir, renuit filius, dicens. Vereor ne si fiam imperator, dediscam esse filius. Malo non esse imperator, sed humilis filius, quam imperator et filius indevotus. Impereti pater meus: meum imperium sit, parêre humiliter imperanti. Nam parentum affectum exuit, qui mole superposita filium extinguit. Prius enim alendi et nutriendi sunt pueri, et quum præcesserint, quos præcedere debent, invite ascendant. *Val. Max. lib. 14.*

22. Surdum te parentibus tuis præsta: bono animo male precantur: et si vis esse felix, ora deos, ne quid tibi ex his, quæ optantur veniat. Non sunt bona, quæ in te congeri volunt. *Senec. 32. epist.*

23. Jam non admiror, si omnia nos á prima puerilia mala sequantur: inter execrationes parentum crevimus, exaudiunt dii quoque nostram pro nobis vocem gratuitam. *Senec. ibid.*

24. Contemptum tibi omnium opto, quorum tibi parentes copiam optaverunt. *Ibidem.*

25. Iratus filio ipse te coerce pater, filio modesto nunquam grave est, quod pater jubet impossibile. *Socrat. in proverbiis philosophorum.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 59. in tit. Conjugium, núm. 19. in tit. Correctio, núm. 24. in tit. Dilectio, núm. 7, 8. in tit. Gloria bona, núm. 8. in tit. Liberalitas, núm. 9. in tit. Monachus, núm. 10, 23. in tit. Relinquere, núm. 7, 11. in tit. Sapientia, núm. 20.

PATIENTIA.

1. Perfacile est vestem contemptam habere, inclinato capite incedere, velum super capillos dimittere: sed verum humilem patientia ostendit injuriæ. *Aug. in ep. ad Prov.*

2. Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, ut etiam ipsius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur. *Aug. in lib. de patient.*

3. Omnes iniquitates quæ fiunt in terra ad tempus: omnes felicitates hominum malorum omnes labores justorum, meditanti die ac nocte legem Dei, nulli sunt, et tolerat omnia. *Aug. super Psal. 93.*

4. Fili si ploras, pie plora: noli cum indignatione, noli cum typo superbiæ. Unde plangis? quod pateris, medicina est, non pœna, castigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate: noli attendere, quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento. *Aug. super Psal. 99.*

5. Illud est magnificum, si subjectus contumeliis judicium Dei laudes: si vexatus ægritudine, judicio Dei deputes: si te inopia premit, non revocet, quo minus laudes justitiam Dei. *Aug. super Beati immaculata.*

6. Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia ab omni plenitudine longe distat. Abel quippe renuit esse quem Cain malitia non exercet. Sicut in tritura paleæ grava premuntur: sic flores inter spinas prodeunt, et rosa quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit. *Gregor. in mor. super. ill. Frater. sui.*

7. Patientia vera ipsum amat, quem portat: nam tolerasse et odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. *Greg. super Ezech. ho. 7.*

8. Doctrina viri per patientiam noscitur. Tanto ergo quisque minus ostenditur doctus, quanto convinci-

tur minus patiens. Nec enim potest veraciter bona docendo impendere, si vivendo æquanimiter nesciat mala tolerare. *Greg. super ev. ho. 35.*

9. Si mens forti intentione in Deum dirigitur, quidquid in hac vita sibi amarum fit, dulce æstimat: omne, quod affligit, requiem putat. *Gregor. in mor.*

10. Donis suis Deus flagella permiscet, ut nobis omne, quod nos in seculo delectabat, amarescat, et illud incendium surgat in animo, quod nos semper ad cœleste desiderium inquietet et excitet, atque ut ita dicam, delectabiliter mordax, suaviter cruciet, hilariter contristet. *Greg. super Ezech.*

11. Postquam non abstulit, nisi quod dedit, sua recepit, non nostra abstulit. *Gregor. in moral.*

12. Beatus Job quot voces patientiæ in laudem Dei percussus reddidit, quasi tot in adversarii pectore jacula intorsit, et acriora multo, quam sustinuit, inflixit. *Ibidem.*

13. In hoc mens justa ab injusta discernitur, quod justa omnipotentis Dei laudem inter adversa confitetur, quod non cum rebus frangitur, quod non casu gloriæ exterioris, cadit. *Greg. super Ezech.*

14. Nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter proximorum mala toleramus. *Ibidem.*

15. Patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi. *Greg. in ho. super eva. Quum audie. pr.*

16. Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet. Alia namque sunt, quæ à Deo, alia quæ ab antiquo adversario: alia quæ à proximo sustinemus: à proximo namque persecutiones, damna, et contumelias sustinemus: ab antiquo adversario tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra tentamenta adversarii seducatur ad delectationem vel consensum delicti, ne contra flagella Opificis prorumpat ad excessum murmurationis. *Greg. super Ezech. homil. 7.*

17. Sæpe hostis callidus, quum imperatam mentem ad tolerantiam videt, quid ab ea maxime diligatur, exquirit: et ibi scandali laqueos inserit, ut quo magis res quæque diligitur, eo per eam facilius patientia turbetur. *Gregor. in moral.*

18. Numquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille vero patiens est, qui et adversis conteritur, et tamen à specie suæ rectitudinis non curvatur. *Ibidem.*

19. Qui à statu patientiæ ante linguarum vulnera corruit, ipse sibi testis est, quod contra manifestæ gladios persecutionis non persisteret. *Ibidem.*

20. Qui non tam, quæ ab altero tolerat, quam quæ ab ipso tolerantur, attendit: si tantum sua, quæ portantur considerat, ea quæ ab altero inferuntur, levius sustinet. *Gregor. in hom.*

21. Impatientes dum perturbationi suæ minimè obsistunt, etiam si quæ à se tranquilla mente fuerant bene gesta, confundunt, et improviso impulsu destruunt, quidquid forsitan diu labore provido construxerunt. *Ibidem.*

22. Ipsa, quæ mater est omnium custosque virtutum, per impatientiæ vitium virtus charitatis amittitur. *Ibidem.*

23. Plerumque ideo patientes videmur, quia retribuere mala non possumus: sed quia idcirco malum non retribuit quia nequaquam valet, proculdubio patiens non est: quia patientia non in ostensione inquiritur, sed in corde. *Greg. in ho. super Evangel. Quum audieritis.*

24. Non est perfecte bonus, nisi qui fuerit etiam cum malis bonus: bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusavit. *Ibidem.*

25. Non bona patientia est, cum possis esse liber, servum te permittere fieri: vera patientia est, pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat. *Bern. 2. de consid. ad. Eug.*

26. Paupertatem æquo animo ferre, virtus patientiæ est: sponte appetere, sapientiæ laus est. Sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis

desit, et sic diligunt paupertatem, ut nullam patiantur inopiam. Sunt et alii mites, sed quamdiu dicitur, vel agitur nisi pro eorum arbitrio: sed quam longe sunt à patientia, apparet, si levis oriatur occasio. *Bernar. in quodam serm.*

27. Primus gradus patientiæ est, non incipere injustitiam. Secundus, postquam incæptum est, æqualibus non vindicari. Tertius est, non facere vexanti ea, quæ passus est, sed quiescere. Quartus, tribuere seipsum in patiendo mala. Quintus est, amplius tribuere illi, velle, qui fecit. Sextus non odio habere, qui operatur hæc. Septimus, diligere. Octavus, bene facere. Nonus, Deum pro ipso deprecari. *Chry. super ill. Matth. 5. Audistis quia, etc.*

28. Nihil ita confusionem facit gerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, et neque in verbo, neque in opere reddere vindictam. *Chry. super Epistol. ad Hebr. serm. 30.*

29. O tu qui reus es, noli exilium tuum cum mœrore suscipere. Non enim mereberis misericordiam, si irasceris ad pœnam: quin potius intelliges te dignum eis, quæ pateris, et quum te humiliaveris atque dixeris, justum de te factum judicium, forsitan misericordiam consequeris ab eo, qui potest post damnationem ad pristinum te statum revocare. *Orig. super Ezech.*

30. Qui cum omni humilitate, sive digne sive indigne depositi sunt, Deo judicium derelinquunt, et patienter sustinent, quod de se judicatum est: isti et à Deo misericordiam consequentur, et frequenter etiam ab hominibus revocantur ad pristinum gradum, et ad gloriam, quam amiserant. *Ibidem.*

31. Magna virtus est, si non lædas, à quo læsus: magna est gloria, si cui nocere potuisti, parcas, nobile vindictæ genus est, ignoscere victo. *Hug. lib. 3. de anim.*

32. Impatientia est, impetuosum animi motum non refrænare. *Hug. in lib. de clau. anima.*

33. Patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria atque diuturna perpessio. *Cass. super Psalm.*

34. Patientia religiosi viri, est laborum ac dolorum omnium spe futurarum rerum, et amore Domini grata tolerantia. *Ibidem.*

35. Patientia est, quæ omnia vincit adversa non colluctando, sed sufferendo, non murmurando, sed gratias agendo: ipsa est, quæ fæcem totius voluptatis abstergit: ipsa est, quæ lympidas animas Deo reddit. *Ibidem.*

36. Nihil potest esse fortius, nihil egregius, quam audire noxia, et non respondere contraria. *Cass. super. Psalm. Ego autem tanquam.*

37. Ovis, quia non habet arma resultationis, raptoribus suis probatur esse lenibilis: non enim aut cornu valet, aut dente contendit, aut fuga præsumit, sed manibus latronis patienter acquiescit, dum nulla se reluctatione defendit, sic famuli Christi. *Cass. super Psal. Opp. hom.*

38. Voluntarie Deo sacrificant, qui inter angustias passionum jugiter gratias agunt. *Cass. super Psalm. Voluntarie, etc.*

39. Patientia est virtus contumeliarum, et omnis adversitatis impetus æquanimiter portans. *Tullius in Rhetor.*

40. Æqualiter se in adversis gerere, quid aliud est, quam sævientem fortunam in adjutorium sui pudore victam convertere? *Val. max. l. 3. de memo. dict.*

41. Tarentinos intuens villicum suum male meritum, sumpsissem, inquit, supplicium, nisi tibi iratus essem. Maluit impunitum relinquere, quam per iram amplius justo punire: nimis liberalis Tarentini Archytæ moderatio, quia alium, quem potius castigaret, inveneral, id est, seipsum. *Val. Ibid. lib. 4.*

42 Nihil impatientius imperitia, quæ rationes audire dedignatur. *Senec. in epist.*

43. Feras, non culpes, quod mutari non potest. *Senec. in Prov.*

44. Libenter feras, quod necesse est. *Senec. de mor.*

45. Xenophon maledicenti sibi cuidam, tu inquit, maledicere didicisti: ego conscientia teste didici maledicta contemnere. *In prov. Philos.*

46. Tacitus in senatu Lucio Metello maledicenti sibi, facile est, inquit, in me dicere: quia ego responsurus non sum: potentia ergo tua, non mea accusanda est patientia. *Ibidem.*

47. Diogenes cum illi dixisset quidam, vituperant te multi: Oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus feriri: esse meliorem indicat lingua, quem carpit. *Ibid.*

Vide etiam in tit. Consolatio, núm. 8, 9, 10. in tit. Convitium, núm. 9, 13, 14. in tit. Correctio, núm. 2, 15. in tit. Cupiditas, núm. 12. in tit. Detractio, núm. 35. in tit. Doctrina, núm. 14. in tit. Dolor, núm. 2, 10. in tit. Fortitudo, núm. 31, 32. in tit. Humilitas, núm. 10. in tit. Injuria, núm. 5, 6, 7, 8, 12. in tit. Ira, núm. 8, 11, 12, 28, 34, 39. in tit. Justitia, núm. 16. in tit. Magnanimitas, núm. 5, 17. in tit. Mansuetudo, núm. 8, 10, 16. in tit. Martyrium, núm. 4, 5, 7. in tit. Murmur, núm. 6. in tit. Passio, núm. 21. in tit. Reverentia, núm. 1. in tit. Societas, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm. 1, 2, 15, 23, 29. in tit. Virtus, núm. 1, 22. in tit. Vita, núm. 10, 11, 13. in tit. Voluntas, núm. 1, 8.

PASSIO.

1. Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis: caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate: hæc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. *August. in l. de virg.*

2. Multos filios Deus fecit, unicus filius Dei emit sibi fratres sanguine suo, probatus, reprobatus, redemit venditus, honoravit injuriatus, vivificavit occisus,

venditis rebus nostris nullum majus earum pretium accipimus, quam nosipsos: quia talibus implicati, nostri non eramus. *August. in serm.*

3. Fusus est sanguis medici, et factum est medicamentum phrenetici. *Aug. in l. cont. quinque hære.*

4. Filius Dei ad crucem ducitur: expalmatur, qui est vera palma victoriæ: spinis coronatur, qui peccatorum spinas venit confringere: ligatur, qui solvit compeditos: ligno suspenditur, qui erigit elisos: aceto potatur fons vitæ: disciplina cæditur, salus vulneratur: vita moritur. Occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuum à vita occideretur mors. *Aug. in li. de 8. virtu. charitatis.*

5. Nulla res officiorum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi quum cogitamus, quanta pro nobis pertulit Dominus. *August. de ver. Ap.*

6. Homo factus est hominis factor, ut sugeret ubera, regens sydera, ut esuriret panis, ut sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falsis testibus, veritas occultaretur, judex vivorum et mortuorum à judice mortali judicaretur, ab injustis justitia damnaretur, flagellis disciplina cæderetur, spinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum suspenderetur, virtus infirmaretur, salus vulneraretur, vita moreretur. *Aug. in serm. de Natal. Dom.*

7. Congruit nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi passionem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam faciamus. *August. in sermon. de quad.*

8. Quem vis contemnere, pretium ejus attende, et cum morte Christi totum mundum appende. *August. de verb. Domini.*

9. O munce immunde, venit, qui te redemit, et turbaris: et tunc vis eum perdere, quando ille te disposuit liberare? *Aug. 2. lib. de sum. bon.*

10. Fratres, ut à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur: quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentum:

sic qui intuentur fide Christi mortem, sanantur morsibus peccatorum. *August. super Joannem.*

11. Noli tantum amittere beneficium, ô homo, propterea Christus damnationi mortis se subdidit, ut te à jugo damnationis erueret: ille suscepit mortis servitutem, ut tibi tribueret vitæ æternæ libertatem. *Ambr. super Beati immacul.*

12. Stultum est cum gladiis quærere eum, qui ultro se offert: et in nocte per proditorem investigare quasi latentem, qui quotidie in templo docet: sed factum congruit tempori, et personis: quia cum essent tenebræ, in tenebroso tempore tenebrosum opus exercebant. *Ambr. super. ill. Matth. 26. cum gladiis et fustib.*

13. Author pietatis in cruce pendens testamentum condidit singulis pietatis opera distribuens, apostolis persecutionem. Judæis corpus, patri spiritum virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis pœnitentibus crucem. *Ambr. in quodam ser.*

14. O stulte et cæce grex sacerdotum, numquid impossibile erat ei de parvo stipite ligni descendere, qui descendit à cœlorum altitudine? Numquid tua vincula possent illum tenere, quem cœli non possunt capere? Non venit ut se liberaret, qui sub servitute non erat, sed ut nos de servitute redimeret. *Ambr. super ill. Matth. 27. Si rex Israël es, descende etc.*

15. Doles Domine non tua vulnera, sed mea, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem. *Ambr. super Lucam.*

16. Fraudulenta sacerdotum promissio, majus fecit: surgit de sepulcro, et non creditis, nec si de cruce descenderet, credieretis. *Hier. super ill. Matth. 27. Descendat de cruce et cred. etc.*

17. Omnis creatura compatitur Christo morienti, Sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur: solus miser homo non compatitur pro quo solo Christus patitur. *Hier. super Matth.*

18. Conspui voluit, ut nos lavaret: velari voluit,

ut velamen culpæ et ignorantiæ à cordibus nostris auferret: in capite percutit, ut caput nostrum, id est, Adam sanitati restitueret: colaphis cædi et verbis derrideri, ut nos ei labiis et manibus, id est, verbis et operibus applaudamus. *Hier. in quodam serm.*

19. Traditus est Jesus militibus verberandus, et illud sacratissimum corpus pectusque Dei capax flagella consumpserunt. *Hier. super Matth. in fine.*

20. Cum enim posset nobis etiam non moriendo succurrere, voluit tamen hominibus moriendo subvenire: quia nos videlicet minus amasset, nec vim suæ dilectionis nobis ostenderet, nisi hoc, quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. *Gregor. lib. mor.*

21. Nihil adeo grave, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur. *Greg. in quadam epist.*

22. Tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus indigna suscepit. *Ibidem.*

23. Caput angelicis tremebundum spiritibus densitate spinarum pungitur: facies pulchra præ filiis hominum sputis Judæorum deturpatur: oculi lucidiores sole caligantur in morte: aures, quæ audiunt angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus: os, quod docet angelos, felle et aceto potatur: pedes quorum scabellum adoratur, cruci clavo affiguntur: manus, quæ formaverunt cœlos, sunt in cruce extensæ et clavis affixæ: corpus verberatur: latus lancea perforatur: et quid plura? non remansit in eo nisi lingua ut pro peccatoribus oraret, et matrem discipulo commendaret. *Bernard. in quodam serm.*

24. Passio tua Domine Jesu ultimum est refugium, singulare remedium deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit: quum tamen defecerit virtus mea, non conturbabor, non diffido: scio, quid faciam, *calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Bern. super Cant.*

25. Quid tam efficax ad curandum conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam aciem mentis, quam

Christi vulnerum sedula meditatio? *Bern. super Cant. serm. 62.*

26. In passione Domini tria specialiter convenit intueri, opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur, patientia singularis humilitas admirabilis, sed charitas inæstimabilis. *Bern. in ser. feriæ quartæ dominicæ palmarum.*

27. *Pater ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt*: Christus flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus: omnium tamen dolorum immemor, ait: *Ignoce illis.* Hinc multæ miseriæ corporis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Bernard.*

28. Quàm dulciter Domine Jesu cum hominibus conversatus es! quàm abundanter multa et magna bona hominibus largitus es! quàm fortiter tam indigna, tam aspera et dura pro hominibus passus es! dura verba, duriora verbera, durissima supplicia. *Ibidem.*

29. O duri et indurati et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator: qui pro vilibus sarcinulis, tam pretiosas merces expendit. *Ibidem.*

30. O bone Jesu, quid tibi est? Meri nos debuimus, et tu solvis? nos peccavimus, et tu luis? opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo. *Bernar. in quodam serm.*

31. Nonne satis propter te vulneratus sum? numquid pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei. *Ibidem.*

32. Scio, quod merita mea mihi non sufficiunt, quod mihi deest, audacter usurpo ex viscenbus Christi, quæ misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ defluant. Patet enim arcanum cordis per foramina corporis: patent viscera misericorciæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. *Ibidem.*

33. Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter: dulciter nempe dixerim, quod carnem induit: sapienter, quod culpam vitavit: fortiter, quod mortem sustinuit: sed super omnia reddit te mihi amabilem bone Jesu calix, quem bibisti opus nostræ redemptionis, hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat: hoc inquam, nostram devotionem blandius allicit, justius exigit, arctius stringit, et vehementius afficit. *Bern.*

34. O homo, vide quæ pro te patior. Non est dolor sicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus afficior: vide clavos, quibus confodior: cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, quum te tam ingratum experior. *Bernar. in persona Domini in quodam serm.*

35. Vere deserta erat Judæa, vacua justitia, plena peccatis, quam Deus plantaverat, omnes prophetæ coluerant. Illa autem nullum fructum produxit, nisi spinas acerrimas, quibus Dominum suum coronavit. *Chry. super Matth. c. 3.*

36. Quæ nobis erit contumelia, postquam Christus hæc passus est? neque enim una particula, sed totum corpus injurias patiebatur: caput per coronam: manus per arundinem: os per acetum: facies inspuebatur: genæ velabantur, et tandem totum corpus in cruce extenditur et perforatur. *Chry. super Matth. c. 27.*

37. Si passio redemptoris ad memoriam reducitur, nihil tam durum est quod non æquo animo toleretur. Parva enim toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cœlum. Ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam crucemque sustinuit, et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo dejicimur? *Isidor. de sum. bon.*

38. Magna misericordia, ut Dominus mundi acciperet formam servi, panis esuriret, fons sitiret, lux obscuraretur, virtus infirmaretur, vita moreretur, redemptor venceretur, ut homo venditus redimeretur. *Cass. super Psalm. 11 Magna miseric. Domini.*

39. Ubi princeps tanta afflictione plangebat: quis illo flente non fleret? quis illo dolente non gemeret, quando pro geminato diademate, rex cinerem gestabat in capite, canus pulvere, non ætate. *Cass. super Psal. 50.*

40. Christus in die crucifixionis suæ sic obumbratus, atque defensus est, ut nec animus ejus confusionem aliquam pateretur, nec caro ipsius corruptionis injuriam sustineret. Bene diffinita est passio Domini, dies belli, scilicet, quando diabolo victo infernorum claustra dirupta sunt, captivi liberati sunt. *Cass. super ill. Psal. Obumbrasti caput meum in die bel.*

41. Effusio pro injustis, sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. *Leo papa in ser. 7 men.*

42. Quid fecisti dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti ô amantissime juvenis, ut tam viliter, tractareris? Quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio damnationis? Ego sum tui causa doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ passionis livor, tui cruciatus labor, tuæ viæ meritum, tuæ vindictæ flagitium. *Anselm.*

Vide etiam in tit. Ascensio, núm. 10, 11. in tit. Christus, núm. 1, 2, 8. in tit. Crux, núm. 2. in tit. Humilitas, núm. 3. in tit. Incarnatio, núm. 9, 10. in tit. Proditio, núm 1, 2. in tit. Resurrectio, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm. 1, 19.

PATRIA.

1. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam. Si dulcis est patria, amara est peregrinatio: tota die tribulatio, quando in patria non est delectatio. *Aug. super illud Psal. In die tribulation. clam. etc.*

2. Odit valde patriam, qui sibi bene putat quum peregrinatur. *August. super Psal. 93.*

3. Non solum Dominus et caput prophetarum, qui

á Moyse propheta nominatur, sed Elias et cæteri prophetæ minus in patria, quam in cæteris civitatibus sunt honorati: quia propemodum naturale est, cives civibus invidere, non enim considerant præsentia viri opera, non virtutem, sed fragilis recordantur infantiæ quasi non et ipsi per eosdem ætatis gradus ad maturam ætatem pervenerint. *Beda super illud Luc. 4. Nemo propheta in patria sua.*

4. Nimis dulcis est recordatio patriæ, quæ in hostili terra probatur existere: nam quanto hæc amara sentitur, tanto fit illa suavior, de loco enim peregrinationis, proprii domicilii crescit affectus. *Cass. super ill. Psalm. super flumina Babil.*

5. Ut ait Ovidius:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos.
Ducit et immemores non sinit esse sui.

Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia et transitoria primum commutare, ut postmodum possit derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est: fortis autem jam, cui omne solum patria est: perfectus vero, cui mundus exilium est. *Hugo de S. Viet. in didasc. l. 3. c. 2.*

6. Nonne exulavit Brutus? nonne exulavit Æneas? in eorum tamen exilio non degeneravit Trojana nobilitas. *Pet. Rav.*

7. * Quoniam sunt omnia commoda á patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est. *Cicer. 1. de Orator.*

8. * Si contentio quædam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii principes sunt patria et parentes, quorum beneficiis obligati sumus. *Idem. 2. Offic.*

9. Æquæ virtutis est, et bona patriæ auxisse, et ejus mala in se transferre voluisse. *Val. Max. l. 1.*

10. Patria enim carere, non est malum, quia forti viro omnis locus patria est. Socrates enim non stulte exilii libertatem, domesticæ servituti anteposuit. *A. Gellius lib. 1. c. 15.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

11. Patriam meam transire non possum, omnium una est: extra hanc nemo projici potest. Non patria mihi interdicitur, sed locus. In quamcumque terram venio, in meam venio: nulla exilium est, sed altera patria est. Patria est ubicumque bene est. Illud autem, per quod bene est in homine, non in loco est. Si enim sapiens est, peregrinatur: si stultus exulat. *Senec. de remed. fort.*

12. Nemo patriam diligit, quia magna, sed quia sua. Ulysses ad sua laxa Ithace properat, quemadmodum Agamemnon ad Micænarum nobiles muros. *Seneca.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 59. in tit. Honor, núm. 4, 19.

PAUPERTAS.

1. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potes diutius invenire. Visus nobis est, quod locuples sit, cœlum enim quibus thesauris conferri possit, quod paupertati videmus indultum? ut ad regnum cœlorum veniret, dives possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptu perveniat. *August. de ver. apo. serm.* 28.

2. Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius pro intentione sequendi Dominum in simul donare, et absolutum solicitudine egere cum Christo. *August. de eccl. do.*

3. Omnis philosophiæ magistra nobis est inopia, non ita laudamus Joseph, quum frumentum distribuebat: sicut cum carcerem habitabat. *Aug. super psalm.* 76.

4. Hi sunt pauperes spiritu, qui quando faciunt aliquod bonum, Deum laudant: quando aliquid mali, se accusant. *Aug. de ver. dom.*

5. Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum: via cœli est pauper, per quam venitur ad patrem incipe erogare, si non vis errare. *Ibidem.*

6. Pauper Dei est in animo, non in sacculo. *Aug. super Psalm.* 31.

7. Nihil gravius, quam ut fratres nostros pauperiores superbo oculo despiciamus: conformes nobis intolerabili repellamus fastidio, nostra indignos gratia judicantes, quia sunt inopes, cum paupertas facilius Deo, quam thesaurus acceptior. *Ambr. super Psal. Increpasti. supesb.*

8. Ob hoc maxime amanda est paupertas, quia á quo amaris, ostendit, quippe non habet, adulationem comitem sibi parcentem, fortunam hominis et non personam amantem. *Hieron. in quadam epist.*

9. Difficilius arrogantia, quam auro et gemmis caremus. His enim abjectis interdum gloriosius tumemus, et venerabilem paupertatem populari aure offerimus. Plus enim est animum deposuisse, quam cultum. *Hier. epist. 120.*

10. Non absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere laudabile est: Modica esca in humo ponitur, ut matronarum in eo sæculi protrahantur: sic bestiæ, sic aves, sic capiuntur et pisces. *Hier. in epist. ad Nepot.*

11. Natus in paupere domo et in tugurio rusticano, qui vix milio et pane cibario rugientem satiare ventrem poteram: nunc similam et mella fastidio. *Ibid.*

12. Paupertas, inopia mentis est, non in quantitate possessionis: nam cui cum paupertate bene convenit, dives est. *Gregor. super Ezec. hom.* 6.

13. Quum quosdam pauperes aliqua reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, quia fortasse quos superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis curat. *Greg. in ho. Homo quidam erat dives.*

14. Offerenda est eis consolatio, quos caminus paupertatis excoquit: atque illis inferendus est timor, quos consolatio gloriæ temporalis extollit. *Gregor. in pastoral.*

15. Paupertas est manuductrix quædam in via quæ ducit ad cœlum, unctio athletica, exercitatio quædam

magna et admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, et cum alacritate suscipit. *Chrys. serm. 18. super. epi. ad Hebr.*

16. Semper dives est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum domino omnia possidere. Operantibus ergo, quæ bona sunt, non omnino metuendum, ne eis desit facultas operandi: cum et in duobus minutis evangelicæ illius viduæ sit laudata devotio, et pro calice aquæ frigidæ præmium habeat gratuita largitio. Ex affectibus enim piorum, benignitatis mensura taxatur: et numquam eum miserandi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit. *Leo papa serm. 4. de 40.*

17. Paupertatis tres sunt species. Sunt enim quidam qui rebus temporalibus egent, sed inviti: et hæc vocari egestas solet, egent enim rebus, et egent bona voluntate, qua ditius nihil esse potest. Sunt alii qui rebus abundant, sunt tamen pauperes spiritu: et hæc est aurea paupertas: quia licet affluant divitiæ: corda tamen nolunt apponere. Tertia est mediocritas, quam philosophi vocant frugalitatem, quæ est voluntaria. *Hugo. de clau. animæ. lib. 1. cap. 9.*

18. Sunt enim quidam, qui de seculo veniunt ad religionem, quorum paupertas beato Augustino restante, talis erat, quod quando foris erant, necessaria invenire non poterant, quorum cellario non hæreditas, non patrimonium, sed manuum labor annonam præbebat: et si manus cessaret, panis deficeret: et in ecclesia honorari volunt, qui in sua domo non nisi contemptibiles esse poterant. *Ibidem.*

19. Pauperes Dei sunt, qui mundana superbia derelicta, humilitati se per omnia tradiderunt. Nam et si pauper superbiat, non est Dei pauper: et si locuples humilitatem diligat, non est seculi dives. Voluntates enim talium sunt inspiciendæ, non nomina. *Cass. super Psalm. 71.*

20. Videamus quam sit gloriosa ista paupertas, quam felix probetur inopia, quæ dominum et tacita

laudat, et de patientiæ suæ virtute concelebrat: mutus est, si psallat superbus: pauper et inops laudat Deum, etiam quum videtur habere silentium. *Cass. super Psalm. Laudabunt Dominum.*

21. Pauperes Christi sunt, qui non solum pro suis malis, verum etiam pro totius calamitatibus mundi intercedere comprobantur: egent in hoc seculo, sed sunt locupletes Deo? vitiis vacui, sed virtutibus pleni: despecti hominibus, sed acceptabiles Deo. *Cass. super Psal. 101.*

22. O miserabilis conditio mendicantis! et si petit, pudore confunditur: et si non petit, egestate consumitur, sed ut mendicet, necessitate compellitur. Deus causatur iniquus, quod non recte dividit: proximus criminatur malignus, quod non plene subvenial, indignatur, murmurat, imprecatur. Unde Salomon: Melius est mori, quam indigere, etiam proximo suo odiosus erit: Fratres hominis pauperis oderunt eum insuper, et amici recesserunt ab eo. *Inn. de vilitate condit. humana.*

23. Omnes qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare divitias. *Cicer. ad Hieron.*

24. Non sibi felix pauper erit, nisi felices cecidisse viderit. Honesta res, est læta paupertas: illa vero non est paupertas, si læta est: cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. *Sen. 10. epist.*

25. Non jucunda res est aqua et polenta, aut frustrum hordeacei panis, sed summa voluptas est ex his capere voluptatem, et ad id se deduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. *Sen. 2. epist.*

26. Parvo fames constat, magno fastidium: paupertas contenta est, desideriis instantibus satisfacere. *Sen. 17. epist.*

27. Ob hoc unum amanda est paupertas, quod á quibus ameris ostendit. *Sen. 20. epist.*

28. Panem et aquam natura desiderat: nemo ad hæc pauper est: intra quæ quisquis desiderium suum clausit, cum ipso Jove de felicitate contendit. *Sen. 25. epist.*

29. Nec paupertas tibi immunda sit, nec parsimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida: et si res tibi exiguæ sint, non sint tamen angustæ: nec tua deffleas, nec aliena mireris. *Senec. de quator virt.*

30. Ne imparatos fortuna nos deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si experti fuerimus, quam non sit grave, pauperes esse. Ad paupertatem sua sponte descendere, præoccupare est tela fortunæ. *Sen. 19. epist.*

31. Quod divitiis non potes scire, paupertate scies: illa veros, certosque retinebit amicos: discedit quis: non te, sed tua sequebatur. O quando ille dies veniet, quo nemo in honorem tuum mentiatur! *Sen. 261.*

32. Redige te ad parva, ex quibus cadere non possis: inest paupertati, sine qua nihil est jucundum securitas. *Ibidem.*

33. Quis est pauper? qui sibi videtur pauper. Qui paupertatem timet, timendus est. Scire uti paupertate, maxima felicitas est. *Sen. de mo.*

34. Mullis ad philosophandum obstitere divitiæ. Paupertas autem expedita secura est. Aut ergo pauper sis, aut pauperi similis, si animo vacare vis. *Sen. epist. 17.*

35. Nudum latro dimisit: etiam in obsessa via pauperi pax est. *Senec. in Prov.*

36. Paupertas mihi gravis est: imo tu paupertati: non est in paupertate vitium, sed in paupere. Pauper es quia pauper tibi videris. Nihil deest avibus, pecora in diem vivunt: feris in alimentis solitudo sufficit. Accepit ille grandem pecuniam, ergo et superbiam. *Sen. de remed. fort.*

37. Solum hoc incommodum paupertas patitur, quod non possit egentibus subvenire. *Philosoph.*

Vide etiam in tit. Christus, núm. 13. in tit. Consolatio, núm. 4. in tit. Contemptus, núm. 12, 13. in tit. Cupiditas, núm, 12. in tit. Divitiæ et Eleemosyna, núm. 15, 16, 17, 19, 34. in tit. Hypocrisis, núm. 2, 3. in tit. Liberalitas, núm. 16. in tit. Martyrium, núm. 10, 11. in tit. Patientia, núm. 27. in tit. Perfectio, núm. 15, 16. in tit. Philosophia, núm. 22. in tit. Prædicatio, núm. 23. in tit. Religio, núm. 10, 11. in tit. Relinquere, núm. 8, 15, 16, 18, 24. in tit. Salus, núm. 3. in tit. Superbia, núm. 8, 35. in tit. Superfluitas, núm. 1. in tit. Tribulatio, núm. 29. in tit. Virtus, núm. 1, 6, 7, 30.

PAX.

1. Pax, est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida: nescit extolli, nescit inflari: hanc qui acceperit teneat: qui perdiderit repetat: qui amiserit exquirat: quoniam qui in eadem non erit inventus, á patre abdicatur, á filio exheredatur, nihilominus á Spiritu sancto alienus efficitur: nec ad hæreditatem Domini poterit venire, qui testimonium pacis noluerit observare. *August. de verb. Dom. c. 158.*

2. Concorda cum adversario tuo, nescis quando vita finiatur: quum vita finita fuerit, judex restat, et minister, et carcer. At si servaveris adversario tuo bonam voluntatem, et cum eo consenseris, pro judice invenies patrem: pro ministro sævo angelum tollentem te in sinu Abrahæ: pro carcere paradisum. *August. de verb. Domini c. 1.*

3. Tale bonum est bonum pacis, ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, et nihil utilius possideri. Spiritus enim humanus nunquam vivificat membra, nisi fuerint unita: sic Spiritus sanctus nunquam vivificat ecclesiæ membra, nisi fuerint in pace unita. *August. de civit. Dei.*

4. Quisquis vel quod potest corrigi, vel quod non potest corrigere, salvo pacis vinculo excludit vel quod salvo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus. *Aug. epist. contra Parmen. lib. 2.*

5. Duæ sunt amicæ, justitia, et pax, tu forte unam vis, et alteram non facies. Nemo enim est, qui non velit pacem, sed non omnes volunt operari justitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? uno ore respondebit tibi genus humanum: opto, cupio, amo, volo. Ama justitiam, quia duæ amicæ sunt, justitia et pax, ipsæ se osculantur, si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. *Aug. super ill. Psal. 84. Justitia et pax osculatæ sunt.*

6. Infelix populus Dei non potest in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo. *Hieron. super Psalm. Quoniam cogitavere unanimiter.*

7. Inde nobis cum Deo pax robustior oritur, unde nobis ab adversariis durior pugna generatur. *Gregor. in moral.*

8. Nemo vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. *Ibidem.*

9. Si Dei vocantur filii qui pacem faciunt, proculdubio Satanæ sunt filii, qui pacem confundunt. *Gregor. in pastoral.*

10. Quum pro re terrena pax à corde cum proximo scinditur, liquido apparet, quod res plus quam proximus amatur: certum est quod minus diligit ereptorem suum qui minus intelligit periculum suum quod ev. sit: et vile solatium defensoris deputat, qui virtutem adversarii debilem putat. *Greg. in ho.*

11. Sicut multum nocet, si unitas desit bonis, ita valde est noxium, si non desit malis. Si ergo perversorum nequitia in pace jungitur, profecto eorum malis actibus robur augetur: quia quo sibi in malitia congruunt, eo se robustius bonorum afflictionibus illudunt. *Gregor. in pastoral.*

12. Melior est talis pugna, quæ Deo proximum facit, quam pax illa, quæ separat á Deo. *Greg. Nazianzen. in apolog.*

13. Non timeas contra charitatem esse: si unius scandalum, multorum recompensaveris pace. Melius est enim ut pereat unus, quam unitas. *Bern. in ep.*

14. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Non bonæ, sed plane iniquæ voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, et insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam mundi, nec pacem perinde retinens, nec gloriam apprehendens. *Bern. super Cant.*

15. In tantum humanæ pacis Christus studuit concordiæ, ut unitatis merito omnia quæ à Deo precanda sunt, impetranda esse confirmet: et ubi duo vel tres pari spiritu et voluntate collecti sunt, ibi se medium eorum pollicetur futurum. *Hilar. sup. Matth.*

16. Concordia malorum, contraria est bonorum: et sicut optandum est, ut boni pacem habeant ad invicem: ita optandum est, ut mali sint discordes. Impeditur enim iter bonorum, si unitas non dividitur malorum. *Isidor. de sum. bon. lib. 3.*

17. Pax, quæ de ore prædicatoris profertur, aut requiescit in domo, si in ea fuerit filius pacis: aut ad ipsum prædicatorem revertitur tanquam fructus. *Rab. super ill. Matth. 10. Pax vestra ad vos rev.*

18. Tunc est vera pax hominis et vera libertas, quando et caro animo judice regitur, et animus Deo præside gubernatur. *Leo in serm.*

19. Hæc est vera Pax á Dei voluntate non dividi, et in his, quæ solius Dei sunt, delectari, quando enim sensualitas nulla parte resistit voluntati, et voluntas nulla parte contradicit rationi, tunc est serenitas mentis, et tunc est regnum Dei. *Leo papa.*

20. Falsæ pacis tres sunt species. Est enim pax æstimata, pax simulata, pax imperata. Dum enim inter seculares pacem quærimus, dum discordes ad concordiam revocamus: æstimant seculares, quod pacem inter nos habeamus: dum in vestimentis ovium foris eximus, et intus quasi lupi rapaces gregem simplicem fructum lacerando dispergimus, pacem simulamus, sed non habemus: dum vero prælati subditis imperant, et eos disciplinæ legibus non coarctant, solummodo pacem docent, et non tenent: æstimant pacem seculares, simulant perversi claustrales, imperant, et non tenent tepidi pastores. Sic igitur æstimatur á nes-

cientibus, simulatur á non habentibus, imperatur à non tenentibus: sed veræ pacis tres sunt species, scilicet pax probata, pax confirmata, pax certa. *Hugo de claust. animæ lib. 3. c. 9.*

21. Lingua quandoque pacem prædicat, sed sæpius turbat, quum autem habitus, cor et lingua concordant, pacem servant: ubi vero dissoluta discurrit, pacem solvit. *Ibidem.*

22. Pax est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. *Cass. super Psal.*

23. Pax vera est, concordiam habere cum moribus probis, et litigare cum vitiis. *Idem super Psal. Factus est in pace.*

24. Quum enim peccatores videntur locupletes, multisque dominari populis et in mundo non est quod timeant, pacem habere putantur: sed pax ista cum conscientia semper litigat, rixatur intrinsecus, et cum hostem non habeat, secum decertat. *Cass. super Psal. 72.*

25. Habeatis unitatem spiritus in vinculo pacis, nec inveniri potest forma expressior conversationis angelicæ, quam unitas socialis. *Cass. super psalm.*

26. In hoc enim gratia regis extollitur et servatur, si in æquitate pacis populum dirigat, et in justitiæ vigore conservet. Hæc enim est bonarum artium mater decora: hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores extollit, et tantarum rerum ignarus cognoscitur, qui eam minime quæsisse sentitur. *Cass. lib. 1. epist. 1.*

27. Decet regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim, quod principem melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, et tota Respublica morum honestate vestita? *Ib. ep. 22.*

28. Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura rerum omnium tollerentur, Meum et Tuum. *Sen. in lib. de morib.*

29. Nosti ne igitur, quod omne quod est, tamdiu

manere atque subsistere solet, quamdiu sit unum sed interire atque dissolvi pariter, quando unum esse desierit? *Boet. 4. de consol.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 8, 32. in tit. Discordia, núm. 15. in tit. Gaudium, núm. 18. in tit. Regimen, núm. 30. in tit. Tentatio, núm. 14.

PECCATUM.

1. Si quæratur á me, utrum homo sine peccato potest esse in hac vita, confiteor posse per Dei gratiam, et liberum ejus arbitrium. *August. in lib. de bapt. parvul.*

2. Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, quum peccant. *Aug. super Joan.*

3. Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ Christus contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. *August. de ver. reli.*

4. Nemo renascitur in Christi corpore, nisi prius nascatur in peccati corruptione. *August. in lib. de bapt. parvul.*

5. Nullus sanctus et justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus, vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *August. de eccles. dog.*

6. Si fuerit aliquis conjugalis excessus, qui tamen legitimum non violet torum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum. *Aug. in lib. de fide. ad Petr.*

7. Nullum scelus coram Deo tam abominabile est, quam preterita peccata unicuique nostrum dimissa reminiscendo, gaudere, et inde exultare. *Aug. in epi. ad quendam comitem.*

8. Qui pectus suum tundit, et se non corrigit, peccata solidat, non tollit. *August. in quodam serm.*

9. Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? *August. lib. 3. de libero arb.*

10. Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus modis peccat, ante quam sit sapiens: si aut se non accommodet ad accipiendum præceptum: aut quum acceperit, non obser-

cientibus, simulatur á non habentibus, imperatur à non tenentibus: sed veræ pacis tres sunt species, scilicet pax probata, pax confirmata, pax certa. *Hugo de claust. animæ lib. 3. c. 9.*

21. Lingua quandoque pacem prædicat, sed sæpius turbat, quum autem habitus, cor et lingua concordant, pacem servant: ubi vero dissoluta discurrit, pacem solvit. *Ibidem.*

22. Pax est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. *Cass. super Psal.*

23. Pax vera est, concordiam habere cum moribus probis, et litigare cum vitiis. *Idem super Psal. Factus est in pace.*

24. Quum enim peccatores videntur locupletes, multisque dominari populis et in mundo non est quod timeant, pacem habere putantur: sed pax ista cum conscientia semper litigat, rixatur intrinsecus, et cum hostem non habeat, secum decertat. *Cass. super Psal. 72.*

25. Habeatis unitatem spiritus in vinculo pacis, nec inveniri potest forma expressior conversationis angelicæ, quam unitas socialis. *Cass. super psalm.*

26. In hoc enim gratia regis extollitur et servatur, si in æquitate pacis populum dirigat, et in justitiæ vigore conservet. Hæc enim est bonarum artium mater decora: hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores extollit, et tantarum rerum ignarus cognoscitur, qui eam minime quæsisse sentitur. *Cass. lib. 1. epist. 1.*

27. Decet regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim, quod principem melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, et tota Respublica morum honestate vestita? *Ib. ep. 22.*

28. Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura rerum omnium tollerentur, Meum et Tuum. *Sen. in lib. de morib.*

29. Nosti ne igitur, quod omne quod est, tamdiu

manere atque subsistere solet, quamdiu sit unum sed interire atque dissolvi pariter, quando unum esse desierit? *Boet. 4. de consol.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 8, 32. in tit. Discordia, núm. 15. in tit. Gaudium, núm. 18. in tit. Regimen, núm. 30. in tit. Tentatio, núm. 14.

PECCATUM.

1. Si quæratur á me, utrum homo sine peccato potest esse in hac vita, confiteor posse per Dei gratiam, et liberum ejus arbitrium. *August. in lib. de bapt. parvul.*

2. Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, quum peccant. *Aug. super Joan.*

3. Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ Christus contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. *August. de ver. reli.*

4. Nemo renascitur in Christi corpore, nisi prius nascatur in peccati corruptione. *August. in lib. de bapt. parvul.*

5. Nullus sanctus et justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus, vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *August. de eccles. dog.*

6. Si fuerit aliquis conjugalis excessus, qui tamen legitimum non violet torum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum. *Aug. in lib. de fide. ad Petr.*

7. Nullum scelus coram Deo tam abominabile est, quam preterita peccata unicuique nostrum dimissa reminiscendo, gaudere, et inde exultare. *Aug. in epi. ad quendam comitem.*

8. Qui pectus suum tundit, et se non corrigit, peccata solidat, non tollit. *August. in quodam serm.*

9. Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? *August. lib. 3. de libero arb.*

10. Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus modis peccat, ante quam sit sapiens: si aut se non accommodet ad accipiendum præceptum: aut quum acceperit, non obser-

vel: sapiens autem peccat, si se avertit á sapientia. *Ibidem.*

11. Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetatur. *August. de duab. anim.*

12. Sane quum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decerneus esse facienda: tenens tamen et volens libenter quæ statim, ut attigerunt animum, respui debere: non negandum est esse peccatum: sed longe minus, quam si et opere statuatur implendum: et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum: *Dimitte nobis debita nostra*, faciendum quoque quod sequitur, atque in oratione jungendum, *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. August. 12. lib. de Trin.*

13. Neque enim sicut in illis duob s primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si solum mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur: ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, á quibus se avertere deberet continuo, cogitatione sola libenter pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tamen suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari, absit hoc credere: hic quippe una persona est: unus homo est, totusque damnabitur: nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittuntur. *Ibidem.*

14. In ipsis alimentis quæ utique concessa sunt, si forte excedit modum et accipit amplius, quam est necesse, peccat, quotidiana sunt ista, quæ dico: sed tamen peccata sunt, et non sunt levia, quia plura. Quia vero quotidiana et plurima sunt, timenda est ruina multitudinis. Talia peccata dicimus, fratres. quotidianis eleemosynis posse mundari. *August. in lib. de decem chordis.*

15. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, non dicit, non sit: sed non regnet. Inest peccatum, quum delectaris, regnat, quum consenseris. *August. super. Psalm. 5.*

16. Nolite contemnere venialia, quia minima sunt: sed timete, quia plura: plerumque enim bestiæ minutæ multæ necant: numquid minutissima sunt grana arenæ, sed si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat? quam minutæ gultæ pluviæ, nonne flumina implent et domos dejiciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis, et si non magnitudinis. *August. de decem chord.*

17. Tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione. Itaque ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, et in consuetudine, tanquam tres mortes: una quasi in domo, quum corde consentitur libidini: altera quasi prolata jam extra portam, quum in factum procedit assensio: tertia, quum in consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro jam putrens: quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse quisquis evangelium legit, agnoscit. *August. in lib. de serm. in monte et ponitur de pœnit. dist. 2.*

18. Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos semper indigere auxilio, et tam illos errare qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Joviniano dicunt, hominem peccare non posse. Velle currere, est meum, sine Dei tamen auxilio non erit meum. *Ambr. in quad. epist.*

19. Peccare in Spiritum sanctum, est per malitiam et invidiam, fraternam impugnare charitatem. *Ambr. de spirit. sanct.*

20. Primum peccatum est cogitasse, quæ mala sunt: secundum cogitationibus acquievisse perversis: tertium, quod est deterius, opere complesse: quartum post peccatum non facere pœnitentiam, et in suo complacere sibi delicto. *Hier. lib. 1. super Amos.*

21. Cui Deus venter est, ei Deus recens est. Quæcumque vitia habemus, et quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus

est. Vidi mulierem et concupivi, libido mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi Deus est. *Hier. super Psalm. 80. Non erit in te Deus.*

22. Sicut nonnunquam gravius est peccatum diligere, quam perpetrare, ita nequius est, odisse justitiam, quam non fecisse. *Hieron. in quadam. epist.*

23. Prioris peccati merito, peccatorum subsequentium fovea tegitur: ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in alia etiam nesciens cadat: hoc quippe agitur, ut culpis culpa feriatur, quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. *Greg. lib. mor.*

24. Nonnunquam in parvis delerius, quam in majori peccatur. Major enim quo citius quiescit culpa cognoscitur: eo etiam celerius emendatur: minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo et securius in usu retinetur. *Gregor. ho. 52. extr. part.*

25. Hoc inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est malum facere: delictum vero bona derelinquere, quæ sunt in opere tenenda, vel peccatum in opere est, delictum in cogitatione. *Greg. 2. par. super. Ezeq.*

26. Quatuor modis peccatum perpetratur in corde: quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu et defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per diabolum, delectatio per carnem: consensus per spiritum: defensionis audacia per elationem. Quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur: postmodum etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: deinde in consuetudinem ducitur. Ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. *Isid. lib. 23. cap. 19. de sum. bon.*

27. Peccatum quod ex peccato oritur: non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est, et pœna peccati: quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam

in alia cadat: ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in alia etiam nolens cadat. *Greg. lib. 14. c. 12.*

28. Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur et labitur: quia ubi sponte diu persistit, ibi et quum noluerit, cadit. *Greg. in ho.*

29. Peccatum tribus modis admittitur, nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: et gravius quidem est infirmitate, quam ignorantia, sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. *Greg. in ho. et ponitur de pœn. dist. 2.*

30. Posse enim peccare, datum est homini, non ut proinde peccaret, sed tu gloriosior appareret, si non peccaret, cum peccare posset. *Bern. de lib. arb.*

31. Peccantis lapsus non dono ascribendus est potestatis, sed vitio voluntatis, et si datum fuit voluntati, posse stare ne caderet, non tamen resurgere, si caderet. Non enim tam facile quis valet exire de fovea, sicut in eam labi. *Ibidem.*

32. Quare peccas? quia nescis quid facias? absit: quia cogeris, ut facias? absit, sed quia placet, ut sic facias. *Bernard. in quod. serm.*

33. Tanto majus peccatum esse cognoscitur, quanto major, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum: et sæpe quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur. *Isidor. de sum. bon. lib. 1. c. 18.*

34. Majoris est culpæ manifeste, quam occulte peccare: dupliciter enim reus est, qui aperte delinquit: quia et agit et docet. *Ibidem. c. 8.*

35. Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum: cogitatio namque prava delectationem parit: delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem, sicque in his vinculis homo implicatus quadam catena vitiorum tenetur adstrictus. *Ibidem. c. 23.*

36. Diabolus nulla præcedentis peccati vindicta superbiens peccavit: ego visa ejus pœna non conti-

nens ad peccatum properavi: ille in innocentia constitutus, ego vero restitutus: ille perstitit in malitia, Deo reprobante: ego vero Deo revocante: ille vero obduratur ad punientem, ego vero ad blandientem et sic uterque contra Deum: ille contra non requirentem se: ego vero contra morientem pro me. Ecce cujus imaginem horrebam, horrorem in multis aspicio me horribiliorem. *Anselm. in lib. de casu diaboli.*

37. Mortale peccatum, quantum mihi videtur triplici recte ratione distinguitur. Mortale est, quod á quovis non potest committi, sine grandi corruptione sui, sine gravi læsione proximi, et sine magno contemptu Dei. Cætera vero omnia videntur mihi venialia. Veniale peccatum, est reatus, cui quantum est in se solum fide mediante nunquam debetur pœna æternæ damnationis: mortale vero est reatus, cui quantum in se solum: semper debetur æterna damnatio. *Richard. de diff. mort. et ven.*

38. Hoc dicimus, quod tantum unusquisque á divinitate repellitur, quantum ejus peccata cumulantur. Quantitas enim delicti mensura est repudii, quia tantum á Deo reus longior redditur, quantum numeroso crimine dilatatur. *Cass. super psalm. 5. Expelle eos.*

39. Tribus modis omne peccatum contrahitur. Primus gradus delictorum est, non reddere bona pro bonis. Secundus, reddere mala pro malis. Tertius est, tribuere mala pro bonis. Contra hæc sunt tria laudabilia. Primum, impendere bona pro bonis. Secundum malum pro malo non reddere. Tertium perfectissimum virtutis genus est, bonum pro malo tribuere. *Cass. super psalm. Pro eo ut me deligerent detrahebant.*

40. Præter culpam et peccatum homini nihil potest accidere, quod sit horribile atque pertimescendum. *Cicero.*

41. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. *Seneca in quadam epist.*

42. Bonus vir est qui eo usque perducit affectu animum, ut non tantum peccare non velit, sed etiam non possit. *Sen. in lib. de mor.*

43. Plerique metu peccare cessant, non innocentia, profecto tales timidi, non innocentes dicendi sunt. *Senec. in prov.*

44. Bis peccas, quum peccato obsequium accommodas: nihil peccant oculi, si non oculis animus imperet. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Clericus, núm. 16. in tit. Cogitatio, núm. 2, 3, 4, 6, 9, 11. in tit. Confessio, núm. 10, 19. in tit. Conjugium, núm. 1. in tit. Conscientia, núm. 30. in tit. Consideratio, num. 1, 24. in tit. Consuetudo, núm. 4, 6, 9. 10, 15, 23. in tit. Conversio, núm. 18. in tit. Correctio, núm. 22, 26, 42. 69. in tit. Cupiditas, num. 1. in tit. Curiositas, núm. 5. in tit. Excusatio, núm. 1, 2, 10, 12, 24. in tit. Libertas, núm. 5. in tit. Maria, núm. 1. in tit. Passio, núm. 1. 10. in tit. Pax, núm. 24. in tit. Pœna, núm. 3, 4, 16. in tit. Recidivatio et Resurrectio, núm. 5. in tit. Sanctitas, núm. 1. in tit. Virtus, núm. 4. in tit. Voluntas, núm. 3.

PŒNA SIVE PUNITIO.

1. Illa est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisque illud, quo bene uti noluit, cum sine ulla difficultate posset si vellet, id est, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: et qui rectum facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. *Aug. lib. 3. de lib. arb.*

2. Jussisti Domine, et sic est, ut pœna sit tibi omnis inordinatus animus. *August. lib. 2. confess.*

3. Mitissima omnium pœnarum erit eorum, qui præter peccatum, quod originale contraxerunt, nullum insuper addiderunt. *Aug. in Ench. c. 93.*

4. Quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur á te, ne tu pro illo puniaris. Peccatum tuum judicem te habeat, non patronum. *August. de util. agen. pœnit.*

5. Sicut non impediunt justum ab æterna vita quædam peccata venialia, sine quibus vita ista non ge-

ritur: sic ad salutem æternam nihil prossunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. *Aug. in lib. de senten. Prosper.*

6. Qui in aliud sœculum distulit fructum conversionis, prius purgabitur igne purgationis, hic ignis etsi non sit æternus, miro tamen modo gravis est: superat enim omnem pœnam, quam homo unquam passus est in hac vita, vel pati potest. *August. in serm. de igne purg. et ponitur 25. dist.*

7. In præsenti quidem vita delectationes temporales dulces sunt, et tribulationes amaræ: sed quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignem infernalem? Aut quis non contemnat delectationem sœculi, inhians vitæ æternæ? *Aug. in quod. serm.*

8. Cui dubium, quin inter tres peccatores, imo impios, gentilem, hæreticum, ecclesiasticum, multo majoribus pœnis dignus sit, qui majoris fuerit dignitatis? *Hier. sup. Ezech.*

9. Tanto rectius majori supplicio dignum judicaverim animum, quanto vitiis subdit instrumenta virtutum. *Aug. in quadam epist.*

10. Electos Dei cernimus, et pia agere, et crudelia tolerare. Hinc ergo colligitur: districtus judex, quanta illic feriat districtione quos reprobat, si hic cruciat, quos amat. *Greg. in moral.*

11. Sicut uno Sole omnes languntur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus, quia juxta qualitatem corporis, sentitur etiam pondus caloris: Sic damnatis una est gehenna, quæ affligit, et tamen non omnes uno calore comburit: quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. *Ibidem.*

12. Ad districti judicii justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato: et nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. *Ibidem.*

13. Nemo Dei longanimitatem negligat: quia tanto

districtiorem justitiam in judicio exiget, quanto longiorem ante judicium patientiam prorogavit. *Greg. ho. 15. super evang. Sint lumbi, etc.*

14. Altissimus enim est patiens redditor: patiens dicitur, quia peccata hominum et patitur, et reddit: nam quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos durius damnat. *Ibidem.*

15. Anima illic posita bene esse perdidit, et esse non perdidit, ex qua re semper cogitur, ut et mortem sine morte, et defectum sine defectu, et finem sine fine patiatur: quatenus ei et mors immortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus. *Greg. lib. 4. dial.*

16. Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, quia nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam igitur judicantis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quia in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. *Ibidem.*

17. Injustus quisque eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis elevatur, transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in perventione damnabitur: et quasi per amœna prata ad carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. *Greg. in moral.*

18. Pœna præsens, quæ injusti animam á pravis desideriis mutat, ab æternis suppliciis non liberat, quos mutat: nam quem præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. *Ibidem.*

19. Justum est, ut quos culpa simul inquinat, par etiam pœna adstringat: et qui nequaquam dispari sunt iniquitate polluti, nequaquam tormento crucientur dispari: quatenus simul damnatio conterat, quos similis elatio sublevabat. *Ibidem.*

20. Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia et mors semper vivit, et finis semper incipit: et deficere defectus nescit. Mors perimit, et non extinguit: dolor

cruciat, sed nullatenus pavorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit. *Ibidem.*

21. Ob hoc inflexibilis et obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum: quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret. Imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. *Bern. in epist. 252.*

22. Quid tam pœnale, quam semper velle, quod nunquam erit, et semper nolle, quod nunquam non erit? *Bern. de consid.*

23. Justius est enim injustum juste evadere, quam justum injustè punire: quia reus et si semel evaserit, potest iterum perire, innocens autem, si semel perierit, jam non potest revocari. *Chry. super. Matth. c. 1.*

24. Novi, quod plurimi solam pertimescant gehennam: ego autem illius gloriæ amissionem multo amarius, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium horribile valde quis ponit gehennas, nisi tale dicturus est, quale est á beatæ illius gloriæ honore expelli, et esse exosum Christo. *Chry. super ill. Matth. 6. Excidetur et in ignem.*

25. Quis putas tunc mœror erit, quæ tristitia, quum separabuntur impii á consortio sanctorum, et á visione Dei, et tradili in potestate dæmonum ibunt cum ipsis in ignem æternum? ibique semper erunt sine fine, in luctu et gemitu, ubi erit dolor intolerabilis, fœtor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis et animæ, sine spe veniæ et misericordiæ? ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur: sed sic morientur, ut semper vivant, et sic vivent, ut semper moriantur. *Hugo lib. 1. de anim.*

26. Juste puniuntur, qui licitis abuntur: justius vero puniuntur, qui aliena rapere conantur: sic Satanas cœlum, sic protoplastus perdidit paradisum. *Hug. l. 2. de anim.*

27. Occultam culpam sequitur aperta percussio, ut malis exterioribus interna puniantur, et cor publice corruat, quod latenter peccabat. *Cass. super Psal. Dixit incipiens.*

28. Improbis autem pœna statuenda est, nec vero minor his, qui seculi erunt alterum, quam his, qui fuerint impietatis duces. *Tullius de amicitia.*

29. * Quos ipsa natura retinere in officio non potest, ii magnitudine pœnæ maleficio submovendi sunt. *Idem pro Roscio.*

30. * Est utilius unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere, quam propter multos improbos uni parcere. *Idem 5. Actio in Verrem.*

31. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, et tarditatem supplicii gravitate pensat. *Val. lib. 1. de memor. dictis.*

32. Satis pœnarum est potuisse puniri gravis tamen pœna est, quem post facti pœnitet. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Baptismus, núm. 8, 10. in tit. Caro, núm. 9. in tit. Confessio, núm. 11, 12. in tit. Correctio, núm. 87, 88, 92, 93. in tit. Gaudium, núm. 7. in tit. Gloria vana, núm. 23. in tit. Infernus, núm. 1, 6. in tit. Hypocrisis, núm. 27. in tit. Labor, núm. 8. in tit. Lachryma, núm. 10. in tit. Lex, núm. 5. in tit. Pœnitentia, núm. 4. in tit. Timor, núm. 9. 11. in tit. Tribulatio, núm. 1.

PŒNITENTIA.

1. Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, et in ultimo vitæ spiritu, si admissorum pœniteat. *Aug. de eccles. dog. c. 48.*

2. Melius est modica amaritudo in faucibus, quam æternum tormentum in visceribus. *Aug. de 10. chordis.*

3. In tribunal mentis tuæ ascende contra te, et reum te constitue ante te: noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante te. *August. in lib. de util. agen. pœnit.*

4. Nolite negligere, quod vos pius Dominus pec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cantes sustinet: quia quanto diutius expectat ut emendelis, tanto gravius judicabit, si neglexeritis. *Ibidem.*

5. Sunt multi quos peccare non pudet, ó incredibilis insania: de vulnere ipso non erubescis, et de ligatura vulneris erubescis. Nonne vulnus fœtidum et putridum est? confuge ergo ad medicum: age pœnitentiam: dic, *iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi*: quia tu solus sine peccato. *Aug. super psal. 5.*

6. Justitia de cœlo prospexit, tanquam Dei dicentis: *Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: agnoscamus, quia ipse agnoscit*: conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar et ego ad liberandum eum. *Aug. super Psalm. 84.*

7. Ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare, et á malefactis recedere, nisi et de his, quæ facta sunt satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *August. in lib. de pœnitent.*

8. Jugum meum leve est, et sarcina mea levis, hæc sarcina non est pondus onerati sed alæ sunt volatori: habent enim et aves pennarum suarum sarcinas, et quidem portant illas in terra: portantur ab illis in cœlum. *August. super Psalm.*

9. Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet à malis veniam poscere, et mala de novo iterare. *Aug. in soliloq.*

10. Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, et mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conservat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum: vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat. *Aug. lib. de pœnit.*

11. Qui per pœnitentiam peccata diluit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit. *Aug. lib. de mira. sacræ script.*

12. Si quis positus in extrema necessitate suæ ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam, et accipit,

et mox reconciliatur, et hinc vadit: fateor vobis non illi negamus, quod petit: sed non præsumimus quod bene hinc exit: si securus hinc exit, ego nescio, pœnitentiam dare possumus, securitatem autem non. Non quidem dico, damnabitur: sed nec dico, liberabitur. Vis ergo á dubio liberari? tene certum, et dimitte incertum. Age pœnitentiam, dum sanus es: si sic agis, dico tibi: quod securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. *August. serm. 36.*

13. Quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus est in morte accipere solatia, qui se non cogitavit moriturum. *Ibidem.*

14. Quem enim morbus urget, et pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem: maxime cum filii quos illicite dilexit, sint præsentes: uxor et mundus ad se vocent: multos enim solet serotina pœnitentia decipere. *Ibidem.*

15. Peccavit David, quod solent reges, sed pœnitentiam gessit: flevit, ingemuit, quod non solent reges: confessus est culpam, et obsecravit indulgentiam. *Ambr. de David lib. 1.*

16. Quod David peccavit, conditionis est: quod supplicavit correctionis. Lapsus communis, confessio specialis. In culpam itaque incidisse naturæ est: dolere, virtutis. *Ibidem.*

17. Egressus malitiæ virtutis operatur ingressum: eodemque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur. *Ambr. de Cain et Abel lib. 1.*

18. Qui pœnitentiam agit, paratus debet esse ad opprobria perferenda, injuriasque subeundas: nec commoveri, si quis ei peccati sui crimen objiciat. *Ambr. lib. de Joseph c. 36.*

19. Nihil peccare, solius Dei est: emendare, sapientis et corrigere erratum, et pœnitentiam agere de peccato: id tamen difficile est in hac vita homini. Quid enim tam rarum, quam ut invenias virum, qui

se ipsum coarguat, et factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia: rara in hominibus verbi hujus assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia: natura quia omnes sub peccato, qui carnem gerit, culpæ obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis, et illecebra seculi, innocentiæ integritatique. Repugnat etiam verecundia, quia erubescit unusquisque propriam culpam fateri, dum præsentia magis, quam futura cogitat. *Ambr. epist. 3. ad Simplic.*

20. Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse dellevit: atque ideo majorem gratiam reperit, quam amisit. *Ambr. in serm. ad vincula.*

21. Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat in corpore ipsum te cruciat in corde, jam tunc bene ingemiscis ad Deum. *Ambr. in quodam serm.*

22. Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat: pericula maris spe lucri delectant: dolorem medicinæ spes salutis mitigat: qui desiderat nucleum, frangit nucem, pœnitentiamque agit, qui vult æterno adhærere bono. Præconia Christi narrare possunt, qui ad palmam indulgentiæ meruerunt pervenire. *Hier. super Matth. super illud Pœnitemini et credite.*

23. Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris, non abstinentia tam ciborum quam mortificatio vitiorum, propter quod tempora pœnitentiæ pro fide et conversatione pœnitentium abbrevianda præcipiuntur, et pro negligentia protelanda existimantur, quum pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ sunt impositi. *Hieron. in quodam serm.*

24. Necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat. *Hier. in epist. ad Susan.*

25. Quum mentem Deus ingreditur, constat proculdubio, quod mox pœnitentiæ gemitus sequatur, ut ei jam salubriter flere libeat, quæ prius in iniquitatibus, flenda jucunditate gaudebat: sed quo uberius culpa fletur, eo altius agnitio veritatis attingitur: quia ad videndum lumen internæ bonitatis polluta dudum conscientia, lachrymis baptizata renovatur. *Gregor. in moral.*

26. Apud misericordiæ judicem, nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem revertitur, etiam postquam mentitur: quia omnipotens Deus, dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse judicio, hoc quod erravimus, abscondit. *Greg. in hom. 29. super evang.*

27. Quot habuit in se oblectamenta, tot de se invenit holocausta: convertit ad numerum virtutum, numerum criminum: ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. *Ibidem. hom. 33.*

28. Qui mala, quæ perpetravit, insinuat, sed flere, quæ insinuerat, recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpente mente medicamentum vulneri non apponit. *Gregor. in moral.*

29. Fit plerumque gratior Deo, amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia. *Greg. in pastor. c. 12.*

30. Quum in gravi peccato miser homo labitur: suadet ei diabolus, ne pœniteat, ne confiteatur, peccatum leve et modicum in corde affirmat: misericordiam prædicat, longum spatium vitæ promittit: permanere in peccato suggerit: ut sic in contemptum Dei, et desperationem sui inducat, et pereat. *Greg. in quadam hom.*

31. Unusquisque conscientia convenitur, ut tanto majora quærat bonorum lucra per pœnitentiam, quanto graviora intulit damna per culpam. *Greg. super ill. Matth. 3. Facite.*

32. Quem vere pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quidquid sibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conscientia amplectitur. *Greg. in ho. quad.*

33. Deus etsi pœnitenti veniam spopondit, peccandi tamen crastinum non promisit. *Ibidem.*

34. Quidnam majus miraculum, quam tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles universi denique, quos hic video, velut in carcere aperto tenentur sine vin-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

culis, solo Dei timore confixi, quod in tanta afflictione perseverant pœnitentiæ ultra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? *Bernar. in quodam serm.*

35. Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio spiritus et assiduitas lachrymarum. *Ibidem.*

36. Nunc lavandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam: quoniam nemo mundus á sorde, nec infans, cujus vita est unius diei super terram. *Ibidem.*

37. Quid levius onere pœnitentiæ, quod non solum non onerat, sed et portat omnem cui importandum imponitur? Mirum opus naturæ: unde grocessit materia, inde sarcina levigatur, et quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere. *Bern. in ep. 72.*

38. Qui perfecte senserit onus peccati et animæ læsionem, aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam, nec reputabit, quo peccata noverit deleri præterita, et caveri futura. *Bernar. in quod. serm.*

39. Fugite, inquit, de medio Babylonis, et salvate animas vestras, et volate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obtinere gratiam et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia, quia ubi peccata abundaverunt, superabundare consuevit et gratia: nec pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat. *Nec enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, et præteritam culpam, quæ remittitur, nec ad præsentis gratiam consolationis, quæ immittitur, non ad futuram gloriam, quæ promittitur. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum: currunt undique peccatores ad pœnitentiam, et natura pariter et consuetudine delicati: nihil credentibus impossibile, nihil amantibus difficile, nihil asperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur: quibus et gratia fit in auxilium, et obedienti devotio lenit imperium. *Ibidem.*

40. Si erramus parvam pœnitentiam imponendo, melius est de misericordia Deo rationem reddere, quam de austeritate: ubi enim paterfamilias est largus dispensator, non debet esse avarus, et si Deus benignus, ut quid sacerdos austerus? *Chrys. super ill. Matth. 25. Onera gravia.*

41. Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parva mandantem, et gravia facientem. *Ibidem.*

42. Numquam spernit Deus pœnitentiam, si ei syncere et simpliciter offeratur, et si ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit libenter et amplectitur. Non enim temporis longitudine, sed affectus synceritate pœnitudo pensatur. *Chrys. in lib. de reparatione lap.*

43. Latro ille, qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingressum paradisi mereretur: sed tantum ei spatii sufficit, quantum expeti potuit, donec unum posset proferre sermonem: ita ut intra unum momentum temporis totius vitæ sceleribus absolutus præcedere ad paradisum etiam Apostolos mereretur. *Ibidem.*

44. Non dolere quia peccaveris, magis indignari atque irasci facit Deum, quam illud peccatum, quod ante perpetraveras. *Chrys. ho. 32. sup. Matth.*

45. Tales sunt, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam ponunt: quia dicunt, et non faciunt: et sic dum pœna pœnitentiæ fugitur, pœna peccati futura contemnitur. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris: necesse habet, ut aut fascem ejiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, ut aut pœnitentiam rejiciat, aut suscipiens dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet. *Chrys. super ill. Matth. Alligant onera gravia.*

46. Clerici peccantes difficile pœnitentiam agunt: erubescit enim aliquando fieri reus, qui semper fuerat judex. *Ibidem.*

47. Non est grave cadere luctantem, sed jacere dejectum. Non est pernitiosum in prælio vulnerari: sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam vulneri denegare. Sæpe etiam athletas videmus post frequentes lapsus et dejectiones plurimas, coronatos: militem quoque scimus post multas fugas virum fortem fuisse, et vicisse victores. *Chrys. in epist. ad Heliod. monach.*

48. Sicut in præceptis medicinæ medicamentum quidem multas herbas recipit, unam autem dominantissimam: sic in pœnitentia eleemosyna dominantior et potentior est, et universum ipsa conficit. *Chrys. in quodam serm.*

49. Qui aliquando videt clericum cito pœnitentiam agentem, et si deprehensus humiliaverit se? non ideo dolet, quia peccaverit, sed confunditur, quia perdit gloriam suam. *Chrys. super Matth.*

50. Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores salvantur, per quam Deus ad misericordiam provocatur: quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus et lacrymarum: pœnitentia autem, non mensium ac temporum cursu pœna pensatur, sed pœna, qua anima cruciatur, et mortificatur caro. *Isidor. de sum. bon. lib. 3.*

51. *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Quid jugo Christi suavius? quid onere levius? á scelere abstinere, bonum velle, omnes amare, nullum odisse, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri, quod sibi perpeti sit molestum. *Isid. sup. Matth.*

52. Pœnitentia appellata quasi punientia, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod male admisit. Tria enim, quæ sunt in percusione pectoris, id est, pectus, sonus, et manus significant, quod pœnitentia est de his, quæ mente, voce et opere peccavimus. *Hug. lib. 3. de myste. eccles.*

53. O pœnitentia, quid de te novi referam? omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. *Cypr. de laud. pœnit.*

54. Senario psalmorum personam pœnitentis aptavit, quia sexta die homo creatus, Christus pro peccatis crucifixus, in ipso die primus homo peccavit. *Cass. super Psalm. 6.*

55. Quid enim meruit latro, ut sic paradisum velociter introiret? quid publicanus qui repente de templo absolutus exivit? ipse dedit confessionis subitum votum, qui donavit, et præmium. *Cass. super illud Psalm. Pro nihilo.*

56. Quis in sæculo peccavit enormius Paulo? quis in religione gravius Petro? Illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solum ministerium, sed etiam magisterium sanctitatis: memor igitur misericordiæ, quam filio prodigo revertenti pater evangelicus legitur impendisse, et illud. *Nolite ergo ante tempus judicare, quousqus veniat Dominus etc.* nam multa sunt, quæ de judicio Dei homines ignorant: quia fortasse, quæ vos laudatis, ille reprehendet: et quæ vos reprehenditis, ille laudabit. *Petrus Chrisologus in quodam serm.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 12, 13, 15, 18, 22. in tit. Anima, núm. 26. in tit. Beatitudo, núm. 15. in tit. Caro, núm. 1. in tit. Cogitatio, núm. 8. in tit. Confessio, núm. 29. in tit. Crux, núm. 15. in tit. Desperatio, núm. 9, 10, 12, 13. in tit. Eleemosyna, núm. 36. in tit. Error, núm. 10. in tit. Ira, núm. 35. in tit. Lachrymæ, núm. 3, 4, 6, 11, 13. in tit. Meritum, núm. 15. in tit. Mundus, núm. 21. in tit. Oratio, núm. 14. in tit. Peccatum, núm. 8. in tit. Pœna, núm. 4. in tit. Tempus, núm. 6. in tit. Tribulatio, núm. 32. in tit. Venia, núm. 1, 2, 8, 17.

PERFECTIO.

1. Altior professio virtutis altiorem debet tenere viam vivendi. *Glossa.*

2. In plenitudine charitatis proprie preceptum illud impletur: *diliges Dominum Deum,* etc. nam quum adhuc est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod con-

cipiendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus. *August. in lib. de perfect. justitia.*

3. Cur nam præcipitur homini ista perfectio, cum eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur: si quo cutrendum est nescialur: quomodo ergo sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? *Ibidem.*

4. Si vis perfectus esse, tu qui perfectum te esse pollicitus es, quid aliud, quam perfectam sectatus es vitam? Perfectus autem servus Christi, nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, cum se perfecte Deo sit pollicitus, aut mentitus est. *Os autem quod mentitur, occidit animam.* Igitur ut concludam, si perfectus es, cur bona paterna desideras? si perfectas non es, Dominum fefellisti. *Hier. in ep. ad Theod. Mon.*

5. *Unde omnia, etc.* Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur, idest relectis malis faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur, quam voluntas. *Ibidem.*

6. Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio. *Hier. in epist. ad Theod.*

7. Plerumque hi, quos jam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi Opificis aliquid habent imperfectionis. Sic sæpe imperiti homines nedum perfecte sculpta sigilla conspicimus: et jam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex considerat et limat: laudari jam audit, et tamen ea tandem meliorando non desinit. *Greg. lib. 4. dialog.*

8. Tanto quisque perfectus est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *Gregor. in hom.*

9. Mons altitudinem virtutum signat, ad quam angelus hortatur: qui non viderit se posse conscendere melius est, ut in Segor, id est, in parvula remaneat contentus laicali, et communi vita, quam montem virtutis arripiat, et ad secularia redeat. Est civitas hæc juxta, etc. juxta dicitur, et tamen ad salutem tuta quia activa vita est, nec á mundi curis ex toto discreta, nec á gaudio æternæ salutis aliena. *Gregor. super Gen. 19. in monte te salvum fac.*

10. Onus oneri additur, et minus onerat, et sic oneri gravissimo legis accedens quadriga evangelii, et auxit perfectionem, et minuit difficultatem. *Bern. in epist. 72.*

11. Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit: et eo perfectiorem quisque se probat, quo ad majorem tendit perfectionem. *Bern. in quadam epist.*

12. Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit: meliorem forte, qui bene vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque. *Bern. in serm.*

13. Deo, à quo nos sumus facti, reddamus, nec dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus: dominetur vitiis ratio, subjiciatur corpus animo, animus Deo, et impleta est tota hominis perfectio: ut sicut viventia vita carentibus, sensibilia non sentientibus, immortalia mortalibus, ratiocinando præponimus: ita bene vivendo voluptuosis utilia, utilibus honesta, honestis sancta, et sanctis omnia perfecta præferamus. *Prosp. l. 3. de vita contemplativ.*

14. *Si vis perfectus esse etc.* Ille, qui mutavit pro divitiis paupertatem, ut fieret perfectus, non in ipso tempore, quo tradidit bona sua pauperibus, fiebat omnino perfectus, sed ex illa die incepit speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes. *Orig. super ill. Matth. 20.*

15. *Fiat voluntas tua.* Voluntas Dei est, quam Christus et fecit, et docuit: humilitas in conversatione: stabilitas in fide: verecundia in verbis: in factis justitia: in operibus misericordia: in moribus disciplina: injuriam facere non nosse, et factam posse tolerare: cum fratribus pacem tenere: Deum toto corde diligere: amare in illo, quod pater est: timere, quod Dominus est: Chrysto nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit. *Cypr. epist. 5. de Oratio. Dominica.*

16. Jejunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis

consistit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem. *Abbas. Moyses in collat. patrum. col. 5.*

17. Sunt qui evangelicam perfectionem simulate potius, quam in veritate arripere volunt, eorum scilicet laudibus provocati, qui universis divitiis mundi perfectam Christi præferunt nuditatem. *Collat. 6.*

18. Miserum est cujuslibet artis ac studii disciplinam quempiam profiteri, et ad perfectionem ejus minime pervenire. *Abbas. Jo. in col. sua.*

19. Ad finem debet perducere, quæ prudentum intentio visa est suscepisse: quia sicut perfecta laudem pariunt, ita et vituperationem generant, quæ in mediis conatibus ægra deseruntur. Defectus enim rerum, aut consilium titubare, aut vires arguit defuisse. *Cass. lib. 4. Epistolarum, epist. 51.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 30. in tit. Christianus, núm. 1. in tit. Cogitatio, núm. 5. in tit. Dolor, núm. 3. in tit. Error, núm. 2, 3. in tit. Exemplum, núm. 27, 28, 33. in tit. Favor, núm. 2. in tit. Fortitudo, núm. 18. in tit. Justitia, núm. 18. in tit. Laus, núm. 25. in tit. Meritum, núm. 5. in tit. Præsumptio, núm. 1. in tit. Relinquere, núm. 8, 32, 33. in tit. Sacerdos, núm. 29. in tit. Sanctitas, núm. 2. in tit. Scandalum, núm. 1. in tit. Simplicitas, núm. 8, 9.

PERICULUM.

1. Nimium præceps est, qui transire contendit, ubi conspexerit alium cecidisse, et vehementer infrænis est cui non incutitur timor alio perenute. Amator autem est salutis suæ, qui et vitat alienæ mortis incursum: et ipse est providus, qui sòlicitus fit cladibus cæterorum. *August. lib. de singularitate clericorum.*

2. Non quisquam sibi proponat et dicat: habere volo, quod vincam, hoc est dicere: vivere desidero, et volo sub ruina. *Ibidem.*

3. Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc mundo. *Bern. in quodam serm.*

4. Bona turpitudo est, quæ periculum vincat: citius invenitur periculum, quum contemnitur, numquam periculum sine periculo vincitur. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Confidentia, núm. 1. in tit. Misericordia, núm. 2. in tit. Mors, núm. 2, 23 in tit. Mundus, núm. 20. in tit. Prælatio, núm. 2. 22.

PERSEVERANTIA.

1. Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit deficit. *Gregor. lib. 1. mor.*

2. Perseverantia est unica filia summi regis, finis virtutum, earumque consummatio, totiusque boni repositorium et virtus, sine qua nemo videbit Deum. *Bernar. in quadam epistol.*

3. Absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur vigor virium, virtutum consummatio est. Nutrix est ad meritum, mediatrix ad premium, soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui inceperit, sed qui perseveravit usque ad finem, hic salvus erit. *Bernard. in epist. 129.*

4. Bonam vitam ego puto, mala pati: et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. *Bern. in 2. serm. in vigi. Petr. et Pau. apost.*

5. Perseverandum est, et assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, et bona voluntas est. *Sen. epist. 14.*

6. Turpe est cedere oneri, et luctari cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate. *Sen. epist. 1.*

7. Nihil est quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura. *Ibidem.*

8. In excelso est beata vita, sed perseverantia penetrabilis. *Sen. epist. 65.*

PETITIO.

1. Quum aliquid aliquando tardius dat Deus, commendat dona, non negat. Desiderata diu dulcis obtinentur, cito autem data vilescunt. Pete, quære, insta: petendo et quærendo crescas, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut et tu discas magna magis desiderare. *August. de verb. domi. c. 1.*

2. Male usurus eo, quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit: proinde si hæc ab illo petuntur, unde homo læditur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. *Aug. super Joan. ca. 74. Quodcumque petieritis.*

3. Sæpe vox nostra eo perficitur, quo differtur, et quum superficie tenus petitio negligitur, vota nostra altius in cogitationum radice solidantur sicut et semina messium gelupressa solidantur: et quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora consurgunt. *Gregor. lib. moral.*

4. Desideria utique nostra dilatione extenduntur, ut proficiant, ut ad hoc quod perceptura sunt, convalescant: excitantur in certamine, ut majoribus cumulentur præmiis. In retributione labor protrahitur pugnæ, ut crescat corona victoriæ. *Ibidem.*

5. Quum is, qui displicet, ad intercedendum mititur, irati animus ad deteriora provocatur. *Gregor. in pastor.*

6. Non impetrat á Deo bonum, quod poscit, qui, ejus legi non obedit. Si enim id quod Deus præcepit, facimus, id quod petimus, sine dubio obtinebimus. *Isidor. lib. 3. de sum. bon.*

7. Petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur. *Chrys. super Matth. Petite et accip.*

8. Supplicatio est, quando desiderium mentis cum magna devotione exprimitur. *Hug. de san. Vict.*

9. Justum est, ut jugiter rogetur, qui si non petatur, offenditur. *Cass. super Psalm. Faccum servo tuo, etc.*

10. Honestius est rem negare: quam longos terminos dare: quia minus decipitur, cui celeriter negatur: unde res ad multam instantiam exhibita, cara videtur emptori. *Cass. in quadam epist.*

11. Qui timide rogat, docet negare. *Seneca.*

12. Nihil petas quod negaturus fuisti, nihil negabis quod petiturus fuisti. *Ibidem.*

13. Ingenuitatem lædes, cum indignum roges. Negat sibi ipse, qui quod difficile est, petit. Petenti auctoritas datur, quum credit dominum præstare posse quod petitur. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 11. in tit. Amicitia, núm. 24. in tit. Clericus, núm. 3. in tit. Contritio, núm. 10. in tit. Divitiæ, núm. 2, 19. in tit. Munus, núm. 2, 5. in tit. Oratio, núm. 45.

PHILOSOPHIA.

1. Si quæ vera philosophi dixerunt, ab eis sunt tanquam ab injustis possessoribus vendicanda in usum nostrum. *Aug. lib. 2. de doctrin. Christia.*

2. Non est religio à Philosophis quærenda, qui eadem sacra recipiebant cum populis, et de suorum deorum natura ac summo bono, diversas contrariasque sententias in scholis personabant. *August. in lib. de vera. relig.*

3. Philosophi eo damnabilius colebant idola, quo illa quæ mendaciter agebant, sic agerent, ut cum populo veraciter agere existimarentur. *August. de civit. Dei.*

4. Qui de mensa et vino regis noluerunt comedere, ne polluerentur, si sapientiam atque doctrinam Babyloniorum scirent esse peccatum, nunquam acquiescerent discere, quod non licebat. *Hier. super Danielem.*

5. Res siquidem monstruosa est, Philosophus curialis: et dum utrumque esse affectat, neutrum est, eo quod curia philosophiam excludit, et ineptias curiales philosophus usquequaque non recipit. *Chrys. lib. 1. de nugis curialium de vestigiis phil.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

6. Quicumque scientiam contingere cupit, si relicta veritate artium, reliquis se implicare voluerit, materiam laboris, ut ita dicam, infinitam plurimamque inveniet, et fructum exiguum: qua propter mihi videtur primum operam dandum esse artibus, ubi fundamenta sunt omnium, et pura simplexque veritas aperitur: et ideo errant, qui relictis artibus, quasdam sibi scientias eligunt, in quibus, se posse fieri perfectos putant. *Hugo in didasc. lib. 3.*

7. In philosophis enim fuit venerabilis imago virtutis, dum sine fide et dilectione virtutis substantia esse non possit: et utinam inquit, inveniatur in nobis, qui virtutis imaginem teneat. Quis enim umbras virtutum induit, quibus videmus floruisse gentiles? Quis enim Themistoclis diligentiam, Frontonis gravitatem, Socratis continentiam, Fabricii fidem, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Ulyssis, Catonis pietatem imitatur? qui quasi quædam seculorum suorum sidera splenduerunt, tempora sua illustrantes? Sed quia Christum non cognoverunt, in cogitationibus suis superbia tumescentes, vera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes, et seipsos esse sapientes æstimantes et dicentes, stulti facti sunt ad Romanos. *Ibidem.*

8. O felicia antiquorum tempora, in quibus ipsi imperatores mundum, regentes seipsos philosophiæ dederunt, ut patuit de Alexandro Macedone, de Julio Cæsare, de Ptolemæo rege. Cujuslibet enim regni gloria crevit in immensum: quamdiu artium liberalium studia in ipso flornerunt. Victoria enim militiæ, et gloria, et philosophia simul creverunt. Es merito, quia philosophia vera docet juste et recte regnare. *Per me enim reges regnant*, ait Sapientia. *Ibidem. et scribit Alexa. de naturis rerum.*

9. Pisces fortasse philosophos vocat, qui hujus mundi naturam erratica curiositate pertractant: nam sicut illi posita fronte itinera sibi resecant, pelagi inundatione confusa, ita et isti capite demisso venas rerum ratione humana assiduo labore perquirunt. *Cass. super ill. Psalm. Volucres cæli et pisces maris.*

10. Astrologiam sacrilegam summa intentione fugiamus, quam etiam nobilium philosophorum judicia damnaverunt. *Cass. super Psal. 70*

11. Ubi se in Astrologiæ partem labilis error infuderit, et vitas mortalium decursu stellarum putaverit colligendas, tunc abominandi, tunc potius cæci, quum se æstimant prævidere, quæ Creator nobis utiliter decrevit abscondere. *Cass. super ill. Psalm. Approping. sibi.*

12. Philosophia est disciplina, omnium rerum divinarum et humanarum rationes investigans. *Tull. in lib. de universal.*

13. O Philosophia dux vitæ, ô virtutis indagatrix expultrixque vitiorum: tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti. *Ibidem.*

14. * Cum tota Philosophia fructifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit: tum nullus in ea feracior locus, nec uberior, quam de officiis, à quibus constanter honesteque vivendi præcepta ducuntur. *Tull. 3. Offi.*

15. * Est laudatarum artium omnium procreatrix et quasi parens ea, quam Græci Philosophiam vocant. *Ibidem. 2. de Orat.*

17. Philosophia nihil aliud est, si recte inter pretari volumus, quam studium sapientiæ. *Ibidem. 2. Offic.*

18. * Cultus animi, Philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad status accipiendos. *Idem. 2. Tusc.*

19. Epitetus Philosophus ajebat, literas atque doctrinas philosophiæ cum in hominem falsum atque degenerem tanquam in vas impurum atque pollutum influxissent, veterari, mutari, corrumpi, et ruinam fieri: et inquit tandem, nonnullos pecuniæ cupidos, gloriæ illectos, libidinum servos, ut cum qualitate pugnet oratio. Reprehensibile enim apud philosophos fuit, profiteri vitam philosophicam, et tamen non vivere secundum eam. *Aul. Gel. lib. 17.*

20. Nomen Philosophi à Pythagora ortum habuit, qui interrogatus quid profiteretur, verecundo nomine

6. Quicumque scientiam contingere cupit, si relicta veritate artium, reliquis se implicare voluerit, materiam laboris, ut ita dicam, infinitam plurimamque inveniet, et fructum exiguum: qua propter mihi videtur primum operam dandum esse artibus, ubi fundamenta sunt omnium, et pura simplexque veritas aperitur: et ideo errant, qui relictis artibus, quasdam sibi scientias eligunt, in quibus, se posse fieri perfectos putant. *Hugo in didasc. lib. 3.*

7. In philosophis enim fuit venerabilis imago virtutis, dum sine fide et dilectione virtutis substantia esse non possit: et utinam inquit, inveniatur in nobis, qui virtutis imaginem teneat. Quis enim umbras virtutum induit, quibus videmus floruisse gentiles? Quis enim Themistoclis diligentiam, Frontonis gravitatem, Socratis continentiam, Fabricii fidem, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Ulyssis, Catonis pietatem imitatur? qui quasi quædam seculorum suorum sidera splenduerunt, tempora sua illustrantes? Sed quia Christum non cognoverunt, in cogitationibus suis superbia tumescentes, vera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes, et seipsos esse sapientes æstimantes et dicentes, stulti facti sunt ad Romanos. *Ibidem.*

8. O felicia antiquorum tempora, in quibus ipsi imperatores mundum, regentes seipsos philosophiæ dederunt, ut patuit de Alexandro Macedone, de Julio Cæsare, de Ptolemæo rege. Cujuslibet enim regni gloria crevit in immensum: quamdiu artium liberalium studia in ipso flornerunt. Victoria enim militiæ, et gloria, et philosophia simul creverunt. Es merito, quia philosophia vera docet juste et recte regnare. *Per me enim reges regnant*, ait Sapientia. *Ibidem. et scribit Alexa. de naturis rerum.*

9. Pisces fortasse philosophos vocat, qui hujus mundi naturam erratica curiositate pertractant: nam sicut illi posita fronte itinera sibi resecant, pelagi inundatione confusa, ita et isti capite demisso venas rerum ratione humana assiduo labore perquirunt. *Cass. super ill. Psalm. Volucres cæli et pisces maris.*

10. Astrologiam sacrilegam summa intentione fugiamus, quam etiam nobilium philosophorum judicia damnaverunt. *Cass. super Psal. 70*

11. Ubi se in Astrologiæ partem labilis error infuderit, et vitas mortalium decursu stellarum putaverit colligendas, tunc abominandi, tunc potius cæci, quum se æstimant prævidere, quæ Creator nobis utiliter decrevit abscondere. *Cass. super ill. Psalm. Approping. sibi.*

12. Philosophia est disciplina, omnium rerum divinarum et humanarum rationes investigans. *Tull. in lib. de universal.*

13. O Philosophia dux vitæ, ô virtutis indagatrix expultrixque vitiorum: tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti. *Ibidem.*

14. * Cum tota Philosophia fructifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit: tum nullus in ea feracior locus, nec uberior, quam de officiis, à quibus constanter honesteque vivendi præcepta ducuntur. *Tull. 3. Offi.*

15. * Est laudatarum artium omnium procreatrix et quasi parens ea, quam Græci Philosophiam vocant. *Ibidem. 2. de Orat.*

17. Philosophia nihil aliud est, si recte inter pretari volumus, quam studium sapientiæ. *Ibidem. 2. Offic.*

18. * Cultus animi, Philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad status accipiendos. *Idem. 2. Tusc.*

19. Epitetus Philosophus ajebat, literas atque doctrinas philosophiæ cum in hominem falsum atque degenerem tanquam in vas impurum atque pollutum influxissent, veterari, mutari, corrumpi, et ruinam fieri: et inquit tandem, nonnullos pecuniæ cupidos, gloriæ illectos, libidinum servos, ut cum qualitate pugnet oratio. Reprehensibile enim apud philosophos fuit, profiteri vitam philosophicam, et tamen non vivere secundum eam. *Aul. Gel. lib. 17.*

20. Nomen Philosophi à Pythagora ortum habuit, qui interrogatus quid profiteretur, verecundo nomine

id est, amatorem sapientiæ se esse respondit: quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur: ita deinceps posteris placuit, ut quantumcumque quis sibi vel aliis in sapientia excellere videretur, non nisi philosophus vocaretur. *Isid. lib. 1. Etymol.*

31. Nunquam in tantum convalescet nequitia, nunquam sic contra virtutes conjurabitur, ut non philosophiæ nomen venerabile et sacrum maneat. *Senec. 14. epist.*

32. Tamdiu liberalibus artibus immorandum est, quamdiu animus agere melius non potest rudimenta sunt, non opera: sunt autem liberalia dicta, quia libero digna. *Sen. 19. ep.*

33. Sic discamus, ut quæ fuerunt verba sint opera. Nullos autem pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui philosophiam, velut quoddam artificium venale discernunt: quia aliter vivunt, quam vivendum esse præcipiunt. *Sen. 18. ep.*

34. Utinam quemadmodum universa mundi facies in conspectum venit ita philosophia toto nobis possit ocurrere simillimum mundo spectaculum: profecto omnes mortales in admirationem sui raperet, relictis his, quæ nunc magna magnorum ignorantia credimus. *Ibidem.*

35. Facere docet philosophia, non dicere, et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat, ut verbis opera concordent. *Sen. 20. epi.*

36. Hoc enim turpissimum est, quod nobis objici solet: verba philosophiæ, non opera nos tractare. *Sen. 24. epi.*

Vide etiam in tit. Curiositas, núm. 26. 34, 35, 40, in tit. Doctrina, núm. 35. in tit. Fides, núm. 12. in tit. Paupertas, núm. 34. in tit. Relinquere, núm. 12. in tit. Studium, núm. 33.

PIETAS.

1. Penes Deum nec pietas sine justicia est, neque

sine pietate justitia, nec sine pietate cœlesti sensus, sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur. Virtutes si separatæ sunt, dilabuntur. Æquitas sine bonitate, sævitia est, et justitia sine pietate, crudelitas est. *Pet. Chrys. in serm. 148. de gener. Christi.*

2. Pietas amica parentibus, grata Deo, Dominum conciliat, necessitudines fovet: Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas inquam, justorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffragium, indulgentia peccatorum. *Ambr. super Beati immacul.*

3. Sæpe flectit humilitas, quod nec virtus potuit superare, nec ratio. *Ambr. in quadam epist.*

4. Necessitudini generis divinæ religionis pietas antefertur. Nulla enim merces Deo melior, quam ea, quæ habet pietatis munera. *Amb. in lib. de viduis.*

5. Volens discipulus reverti domum, et suis omnia renunciare, magistri voce prohibetur, sepultura patri non datur, et pietatis genus est, impium esse pro domino. *Hieron. in epist. ad Marc.*

6. Clades in suos, pietas in Deum est. Nemo pietatem debet anteferre religioni qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. *Hier. in epist. ad Paulum.*

7. Ordinate in me charitatem. In canticis. Rectus ordo est, post Deum, amare patrem et amicos. Si tamen necessitas venit, ut utrumque servari non possit, odium in suos, pietas est in Deum. *Ibidem.*

8. Ille bene agit, quæ pia sunt, qui scit prius servare quæ justa sunt: ut collatus in proximos rivus misericordiæ de justitiæ fonte ducatur. *Greg. lib. mor.*

9. Sunt nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solum, quos per assiduitatem notitiæ didicerunt, miserentur: apud quos plus familiaritas quam natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur. *Ibidem.*

10. Beneficium debet exhiberi per pietatem, et bonum verbum tribui per humilitatem. *Ibidem.*

11. Pensemus, si possumus, dispensationem supernæ pietatis: stantibus, si ceciderint, minatur pœnam: lapsis vero, ut surgere appetant, promittit misericordiam: considerantes namque quod justus est, nolite negligere peccata vestra, considerantes quod pius est, nolite desperare. *Gregor. in quadam hom.*

12. Nulla est scientia, si utilitatem pietatis non habet: et valde inutilis est pietas, si scientiæ discretione caret. *Gregor. lib. moral.*

13. O clementissima pietas, quæ non sua desinit largiri beneficia, non solum ubi nullum invenit meritum, sed plurimum etiam, ubi totum videtur contrarium. *Bernard. in quadam epist.*

14. Pietas est ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix, affectio et divini cultus religiosa devotio. *Hug. in lib. de clau. animæ.*

15. Hæc enim est perfecta pietas, quæ ante quam flectatur precibus, novit considerare fatigatos. *Cass. lib. 4. epist.*

16. Pietas est, per quam sanguine junctis patriæque benevolis officium, et diligens tribuitur cultus. *Tull. in sua Rhetor.*

17. Pietate erga deos sublata, fides etiam ac societas generis humani, una excellentissima virtus justitia tollatur necesse est. *Cicer. 2. de Natur. Deor.*

18. Eximia ciconiis inest pietas: nam quantum temporis impenderunt fœtibus educandis, tantum et ipsæ á pullis invicem aluntur. *Solin. in lib. de mirac. mundi.*

19. Leonum clementiæ indicia multa sunt, prostratis parcunt, in viros potius, quam in fœminas sæviunt, infantes non nisi magna fame perimunt, nec á misericordia superantur. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Beneficencia, núm. 8. in tit. Charitas, núm. 15. in tit. Devotio, núm. 11. in tit. Eleemosyna, núm. 2. in tit. Relinquere, núm. 7, 11.

POTESTAS.

1. Acrius divitibus, quam pauperibus invidetur, et non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva latronum. Plus duces et principes, quam milites ab hostibus appetuntur in pugna, et violentius propulsantur ventis et turbinibus culmina quæcumque sunt altiora, ideo magnopere, quo plus cæteris unusquisque potest, sciat esse sibi metuendum. *August. lib. 3. de sing. cleric.*

2. Optandum est itaque, ut potestas non detur nisi contra vitium, propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, et volunt propter vincendos homines, ut quid hoc? nisi ut vere victi, falso vincant: nec sic sint veritate, sed opinione victores. Hanc igitur potentiam plane optet unusquisque atque appetat, ut potens sit in seipso, et miro modo adversus seipsum pro seipso. *August. lib. 3. de Trinit.*

3. Quamvis quolibet in loco positi, cogitando, loquendo, agendo, peccemus, tunc tamen per ria hæc animus effrænatius capitur, quum mundi hujus prosperitate sublevatur: nam quum præire potestate se cæteros conspicit, et quum auctoritati vocis á nullo resistitur, lingua licentius per abrupta disfrænatur: quumque facere quodlibet licet, juste sibi omne æstimat licere quodlibet. *Gregor. in mor.*

4. Cogitatio si assidue mentem excoquit, omnem superbiæ tumorem premit et potestatem acceptam non honorem, sed onus æstimari facit. *Ibidem.*

5. Potestas namque quum habetur, et cogitanda est ad utilitatem, et dissimulanda propter timorem: quatenus qui utitur, ut prodesse debeat, posse se nesciat. *Ibidem.*

6. Tunc solum potestas bene geritur, quum non amando, sed timendo retinetur quæ ut ministrari recte valeat, oportet primum, ut hanc non cupiditas, sed necessitas imponat. *Ibidem.*

7. Bona est ordine suo potentia, sed cuncta regentis indiget vita. *Ibidem.*

8. Summum in regibus bonum est justitiam colere, ac sua unicuique jura servare et in subjectos non sævire, non sinere, quod potestatis est fieri, sed quod æquum est, custodiri. *Greg. in re.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

9. Beatus David ita erat in potestate positus, tanquam omnibus ipse esset subjectus, et in solio regali erat, ut vinctus in carcere, et in purpura quasi in cilicio jacebat cinere conspersus, et corde compunctus. Aula regalis erat ei tanquam eremi vastissima solitudo. *Chrys. in lib. de comp.*

10. Qui potestatem non cupit adipisci, nec ereptionem utique ejus veretur: atque non metuens cuncta, quæ cum ea fiducia et libertate, quæ Christiano convenit, exequetur: nam qui metuunt, et ne deponantur tremunt, amaram sustinent servitutem, et quæ malis redundet innumeris: atque tam Deum, quam homines frequenter coguntur offendere. *Chry. in suo dialo. lib. 3.*

11. Sicut potentes potenter tormenta patiuntur: sic et justitiæ præmiis fruentur plenius, si recte exercuerint potestatem: et tantam in futuro præ subditis habebunt gloriam, quanta virtute eos, in magna delinquendi licentia, præcesserunt. *Chr. lib. de curi. nug.*

12. Semper enim grandis potestas majori timori subjecta est, sicut ramos arborum in excelso positarum, etiam si levis aura flaverit movet: sic et sublimes in culmine dignitatum existentes: etiam levis nuntii fama conturbat: humiles autem sic in convalle plurimumque in tranquillitate consistunt. *Chry. super Matth. c. 2.*

13. Principatus quem aut seditio extorsit, aut ambitio occupaverit, etiam si moribus atque actibus non offenderit, in ipsius tamen initii sui exemplo est semper vitiosus: et difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata sunt principio. *Leo papa in quad. epist.*

14. Potentia est ad sua conservanda, et alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. *Tull. in sua Rhetor.*

15. Potentia Domini non minor est in regno potentissimo conferendo, quam in tugurio pauperis evertendo. Quis enim in Græcia potentior fuit Alexandro? ei tamen successisse legitur non suus, sed saltatricis filius, successorem Julio Cæsari fecit adoptio, non natura Cæsareæ domus· totum relege, et revolve progressum, et invenies quod brevi periit memoria eorum, et ad inferos descendentes, quoniam à se scientiam Domini repulerunt, et ipsi repulsi sunt: eisque Herodes, aut ignoti, aut extranei successerunt. *Pet. Chrys. in quodam serm.*

16. Si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprii boni, numquam pessimis provenirent. Neque enim sibi solent adversa sociari: natura respuit, ut contraria quæque jungantur. Itaque cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet, natura sui bona non esse, quæ se pessimis hærere patiuntur. *Boët. de cons lib. 4.*

17. Infeliciores esse necesse est malos, cupita quum perfecerint, quam si ea, quæ cupiunt implere non possent. Nam si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est. *Boët. de cons. lib. 9.*

18. Princeps debet esse sermone affabilis, accessu facilis, vultu quo maxime populos demulcet amabilis, æquis propensus, iniquis acerbus. Talis, inquit à tota civitate amatur, defenditur, colitur: hic princeps beneficio suo tutus nihil præsidii eget, arma, ornamenta animi pro se habet. *Sen. de cle. ad Nero.*

19. Regnantibus multo pejus periculum est, quam his qui judicantur: hi enim singulos timent, illi universos. *Sen. lib. de moribus.*

20. Plato cum vidisset Dionysium tyrannum corporis sui custodibus septum, quid tantum mali, ait, fecisti, ut ita á multis custodiaris? *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Apostoli, núm. 3. in tit. Divitiæ, núm. 3, 6. in tit. Electio, núm. 5, 6, 7, 14. in tit. Excommunicatio, núm. 2. in tit. Exemplum, núm. 27. in tit. Hypocrisis, núm. 2, 5. in tit. Prælatio, núm. 22. in tit. Rapina, núm. 3, 4. in tit. Regimen, núm. 5, 22, 28. in tit. Stultitia, núm. 1. in tit. Superbia, núm. 1, 4. in tit. Voluntas, núm. 1, 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PRÆDESTINATIO, SIVE PROVIDENTIA DIVINA.

1. Prædestinatio est divinæ voluntatis per gratiam electio. *Aug. lib. de præd. san.*

2. Sicut tu memoria tua, non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ sunt futura. *Aug. lib. 3. de lib. arbit.*

3. Prædestinatorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam nec minuatur ex eis. Tene ergo, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus. *August. de præd. san.*

4. Prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi. *Ibidem.*

5. Sicut tu quædam, quæ fecisti, meministi, nec tamen, quæ meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse est actor, præscit: nec tamen omnium, quæ præscit, ipse actor est: quorum autem non est malis actor, justus est ultor. *August. lib. 3. de lib. arbit.*

6. Nemo venit nisi tractus: quare illum trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe et intellige. Nondum traheris: ora, ut traharis. Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam. Nuces puero demonstrantur et trahitur, et quo currit, trahitur: amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. *August. super Joan. hom. 27.*

7. Præscientia est unamquamque rem ante, quam veniat videre, et id, quod futurum est, priusquam præsens sit, prævidere. *Gregor. in dialog.*

8. Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerant sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineant: nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. *Gregor. in dialog. lib. 1.*

9. Præfixi dies singulis ab æterna Dei præscientia, nec augeri possunt, nec minui: nisi contingat, ut ita præsciantur, ut aut optimis operibus longiores fiant, aut pessimis breviores. *Gregor. in moral.*

10. Providentia Dei ita omnia disposuit, quod nihil otiosum remansit. Malitiam non fecit, cum tamen ab aliis inventam prohibere possit, non prohibet. Si enim malitia non esset, virtus contrarium non haberet, nec claresceret, nec examinatio fieret, non probata vero, nec examinata virtus esset. *Orig. super ill. Num. 22. Stetit angelus.*

11. Tolle malitiam fratrum Joseph et invidiam, simul perimes dispensationem Dei, et quæ in Ægypto pro salute omnium gentium gesta sunt. Si Joseph non venditur, somnium Pharaonis non exponitur, nemo frumenta in Ægypto congregabit: peribit Ægyptus et finitimæ regiones, et ipse Israël, et semen ejus quæreus panem. Ægyptum non ingreditur, nec egredietur in mirabilibus Dei, nec fient virtutes, quas fecit per Moysen et Aaron: nemo mare rubrum sicco pede transivit, non dabitur manna, neque aqua de petra, nec lex in monte Sinai, terram promissionis nullus intrabit. *Ibidem.*

12. Tolle regis Balaac malitiam, et nusquam erunt prophetæ Balaam: aufer malitiam Judæ, et proditionem, auferes pariter et crucem Christi et passionem. Si non fuisset mors Christi, nec resurrectio ejus, nec aliquis primogenitus ex mortuis, nec spes resurrectionis. *Ibidem.*

13. Tolle astutias diaboli, nec erit corona victoriæ, legitime certanti, si desint obsistentes, non erunt agones, nec victoribus munera parantur. Non solum ergo bonis utitur Deus ad opus bonum, sed etiam malis. Sunt vasa ad honorem, sunt ad contumeliam, utraque tamen necessaria. *Ibidem.*

14. Persecutionibus crebris utitur, ut cito prædestinatorum numerus impleatur. *Cass. super Psalm. 79.*

Vide etiam in tit. Homo, núm. 10, 11. in tit. Ingratitudo, núm. 4. in tit. Malitia, núm. 1. in tit. Pœnitentia, núm. 4. in tit. Remuneratio, núm. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PRÆDICATIO.

1. Sic debet esse sermo Dei fidelibus, tanquam pisci hamus: tunc capit quando capitur, et reti et hamo piscatur perfectius, sed reti turba concluditur, singularis eligitur hamo. *August. super Joan.*

2. In doctrina, sacræ scriptura auctoritatem debet episcopus præferre, non secularium literarum peritiam ostentare. Non enim episcopi est officium, Grammaticam exponere, nec laudes Iovis personent ora pontificis. *August. de vit. cleric.*

3. Frequenter in longum protractus sermo, carel intelligentia. *August. de doctrin. Christian.*

4. Ad panem ventris cum labore pervenitur, quanto magis ad panem mentis statis et auditis? Laborat ne moriatur homo moriturus, et non laborat ne peccet homo in æternum victurus? *Aug. super Joan.*

5. Eos dicit Dominus furari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei sunt, cum mali sint, faciendo quæ sua sunt. *August. de doctrin. Christia.*

6. Prædicator laboret, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: et hoc se posse magis pietate orationum, quam oratoris facultate non dubilet, ut orando pro se ac pro illis, quos est alloculurus, sit prius orator, antequam doctor, et ipsa hora accedens priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut ructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. *Ibid. lib. 4.*

7. Aperi os tuum, sed prius ut aperiatur implora. Vita enim verbum erigit et acquirit: sermo enim sine vita, non est Dei sermo. *Ambr. super Luccm.*

8. Libere enim et sine adulatione veritatem prædicantes et gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines. *Ambr. super illud 1. ad Cor. 4. Vos nobiles.*

9. Qualis debet esse, qui evangelizat regnum Dei, præceptis evangelicis designatur, hoc est, ut subsidii secularis adminicula non requirat fidei quia totus

Deo inhærens putet, quo minus ista requirat, magis posse suppetere. *Ambr. super ill. Luc. 10. Nihil tuleritis in via.*

10. Omnis doctor, qui austeritatem scripturarum, per quam potest audientes corrigere, vertit ad gratiam, et ita loquitur, ut non corrigat, sed delectat audientes, vinum sanctarum scripturarum violat, atque suo corrumpit sensu. *Hier. super ill. Vinum tuum.*

11. Qui speculator Dei futurus est, multo tempore debet quiescere, et dolere ea, quæ videt: nihil que habere in conscientia, quod in aliis correcturus est. *Hier. super Ezech. lib. 1.*

12. Magnum discrimen est: Dei tacere sermones, ob triplicem causam, vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem. *Ibidem. Si dicente.*

13. Notandum est, quod dicuntur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lachrymam, sed errantibus tardis pœnitentiæ dolores et vulnus infigere. Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo non est sapiens. *Hier. super ill. eccles. Verba sapientum.*

14. Delicta doctrina est pugnandi ictus dictare de muro, et cum ipse unguentis delibutus sit, cruentum militem accusare libidinis. *Hier. in epist. ad Nepot.*

15. Non confundant opera sermonem tuum, ne quum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo, quæ dicit, ipse non facit? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat: accusare avaritiam et latro potest: sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. *Ibidem.*

16. Sermo presbyteri nisi lectione scripturarum condiatur, verba voluit celeritate dicendi. *Ibidem.*

17. Omne quod non ædificat audientes, in periculum vertitur audientium. *Hieron in quadam epist.*

18. Si iniquitas bene dispensata vertitur in justitiam, quanto magis sermo divinus in quo nulla est iniquitas, qui Apostolis est creditus, si bene fuerit dispensatus, dispensatores suos levabit ad cœlum. *Ibidem.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

19. Ut lixivium per cinerem humidum fluens, lavat et non lavatur: ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lavat á sorde peccatorum. *Ibidem.*

20. Fructus etenim terræ absque pecunia comedere, est ex ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere. Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui Ecclesiæ commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium non impendit. Quid ad hoc nos pastores dicimus? qui adventum districti judicis præcurrentes, officium quidem præconis suscepimus, sed alimenta ecclesiastica multi manducamus? exigimus quod nostro debetur corpori, sed non impendimus quod subjectorum debemus cordi. *Gregor. in mo. exponens illud Job: Si fructus.*

21. Vita prædicantium sonat et ardet: ardet desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens est prædicatio accensa, sed de candenti ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedant. Recte ergo prædicatorum verba scintillæ appellata sunt: quia eos, quos in corde tetigerint, incendunt. *Greg. super Ezech. ho. 3.*

22. Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba infra conscientiam remordet, unde necesse est, ut qui verba Dei loquitur, prius studeat, qualiter scire vivat, ut post ex vita colligat, quæ et qualiter dicat. *Ibidem. hom. 10.*

23. Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quam exercitatio sermonis. Qui enim vitam suam interius pensat, et exemplo suo foris admonendo alios ædificat, quasi in corde linguæ calamum tingit in eo, quod manu verbi proximis exterius scribit. *Ibidem.*

24. Ille sermo ab audiente libenter accipitur, qui á prædicante cum compassione animi profertur. Ille loqui veraciter novit, qui prius benefacere didicit: et tunc verbi semen germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. *Greg. super Ezech. hom. 11.*

25. Prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fœtores vitiorum, odoresque virtutum. *Ibid. Nasus tuus sicut turris.*

26. Nisi Spiritus sanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. *Gregor. ho. 20. super Evangel.*

27. Perdifficile negotium est in multitudine permista atque diversa, ubi ætas et institutio varia est, de talibus disputantem, et velut multarum chordarum quadam citharam ferientem, invenire, et proferre aptum ad omnes prædicationis verbum, et ita velut plectrum singulis admovere, ut nusquam sonus offendat auditum. *Greg. Naz. in apolog.*

28. Mundari prius oportet, et sic alios mundare: sapientem prius fieri, et sic alios facere sapientes: lumen fieri, et sic alios illuminare: ad Deum accedere: et alios ad Deum adducere: sanctificari, et ita santificare: manus habere rectas, et sic indigentibus porrigere manum. *Ibidem.*

29. Lex ipsis prædicatoribus imposita est, ut ipsi vivendo illuminent, quæ loquendo suadere festinant: nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. *Gregor. in moral. et in pastoral.*

30. Non debet prædicator infirmis insinuare cuncta, quæ sentit, nec debet prædicare rudibus quanta cognoscit. *Gregor. in moral.*

31. Ut longe ante nos reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non una et eadem exhortatio cunctis congruit, quia nec cunctos parmorum qualitas adstringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt, quia plerumque herbæ quæ alia nutriunt, alia occidunt: et levis sibilus equos mitigat et catulos instigat, et medicamentum, quod hunc morbum mitigat, alteri vires jungit: et pastus qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, ut sua singulis congruant, et tamen á com-

munis ædificationis arte nusquam recedat. *Gregor. in moral. et in pastoral.*

32. Ille uberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmittit: nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. *Ibidem.*

33. Ubi conscientiam mordet reatus criminis linguam ligat timor confusionis. *Ibidem.*

34. Ille laudabiliter spicula emittit, qui priusquam feriat, conspicit: male namque arcus validi cornua stringit, qui sagittam fortiter dirigens nescit quem ferit. *Ibidem.*

35. Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, ut causarum origines á sacris paginis sumat: ut omne, quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium suæ locutionis firmet. *Ibidem.*

36. Si negligis implere quod doces, aliis messem seminas, et ipse à frumenti participatione jejunas. *Ibidem.*

37. Nequaquam debent homines in ætate infirma prædicare: quia sermo doctrinæ non suppetit nisi in perfecta ætate. Redemptor noster cum cœli sit conditor, et angelorum doctor, ante triennale tempus in terra magister noluit fieri hominum, ut videlicet præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam non nisi perfecta ætate prædicaret. *Greg. super Ezech. ho. 2.*

38. Videant, quos á prædicationis officio ætas vel imperfectio prohibet, et tamen præcipitatio movet, et ne cum intempestive arripiant, quod non valent, perdant illud quod tempestive aliquoties implere possent: nam et pulli avium, si ante pennarum perfectionem volare appetant, unde in alta ire cupiunt, inde in ima cadunt: sic et in conceptam sobolem, si priusquam formetur, fœmina profert, non tam domum, quam tumulum replet. *Greg. in pa.*

39. Prædicatores boni, et honorem propter adulationem fugiunt, et honorari tamen propter imitationem volunt. *Gregor. in quad. hom.*

40. Prædicator tanto districtius in paupere elationem feriat quanto eum nunc illata paupertas inclinat: et tanto lenius humilitatem divitum mulceat: quanto eos nunc abundantia, quæ sublevat, exaltat. *Greg. in pa.*

41. Debet subtiliter is, qui docet prospicere, ne plus audiat, quam ab audiente capitur. Prædicare debet ad infirmitatem audientium, semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, et idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse. *Greg. 3. mo. super illud Job. 29. Stillabat eloquium.*

42. Dispensanda est prædicatio pro loco et tempore, et locorum capacitate, quæ si rara fuerit non sufficit: si asidua vilescit. *Gregor. in quad. ho.*

43. Ad regnum æternæ beatitudinis pervenire non valet: qui non vult opere implere, quod docet: nam cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur. *Ibidem.*

44. Usurpavi mihi cotis officium, quæ ferrum reddit acutum, cum sit inutilis ad secandum: pulchrum depinxi hominem pictor fœdus: aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. *Greg. in fin. pa. loquens de seipso.*

45. Qui prædicationis suscipit officium non oportet mollem quendam esse atque resolutum, sed fortem et per cuncta robustum: nec enim saltem attingere quisquam debet præclari hujus muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam in mortem tradere atque discrimina. *Chrys. de lau. Pau. ho. 6.*

46. Sicut cibis et delitiis caro, ita spiritus verbis divinis convalescit: nutrimenta igitur spiritus sunt divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ: his alitur cibis, his convalescit, his actor efficitur. *Orig. super Levi. hom. 59.*

47. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, dicit Apostolus: Si ergo quilibet sine prædicante non audit, sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit: verbum Dei

prædicandum est: ut audiens credat, credens intelligat, et intelligens bonum opus perseveranter exerceat: quoniam potentes, uti libero voluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec sine operibus fides sola justificat. *Prosp. lib. de vita contemp.*

48. Prædicator non in verborum splendorem, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat: non vocibus delectetur populi clamantis, sed fletibus, nec plausum á populo studeat expectare. Si gemitum lachrymasque, quas vult á suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, et sic eos compunctione sui cordis accendat. *Ibidem.*

49. Solent mercatores duabus mensuris uti: quandoque una, qua vendentes sua distribuunt, quæ minor est: altera vero, qua ementes aliena recipiunt, sed hæc major est: majorem sibi, minorem proximo: sic quidam prælati avaritiæ, et voluptatis mensura utentes: nimiæ parcitatis vasculo subjectis ministrant: ipsi autem pleno superfluitatis utentes modio, parcitatem prædicant subjectis, sed ipsi voluptatem sequuntur. *Hug. l. 2. de claust. anima.*

50. Ad rem movearis, non ad verba composita: nam oratio ejus qui veritati operam dat, incomposita debet esse et simplex. *Senec. in quad. epist.*

51. Oratorem te pula, si tibi ipsi ante omnes, quod oportet, persuaseris: nihil enim turpius est, quam quæ objicitur, in objiciente cognosci passionem. *Sen. lib. de moribus.*

52. Hæc sit propositi nostri summa: Quod sentimus, loquamur, quod loquimur, sentiamus: concordet sermo cum vita. *Sen. epist. 24.*

53. Facilime bono frueris, si evitaveris, quæ vituperas, si bene instruxeris. Pudeat te deteriora facere, quam persuaseris. Alteri ignoscito, tibi ipsi nunquam. *Sen. lib. de moribus.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 13. in tit. Amor, núm. 41. in tit. Angelus, núm. 8, 9. in tit. Apostoli, núm. 11, 14. in tit. Auditor, núm. 5. in tit. Confesio, núm. 18. in tit. Confidentia, núm. 5. in tit. Consilium, núm. 29. in tit. Contemplatio, núm. 8, 11. in tit. Conversatio, núm. 25. in tit. Correctio, núm. 38. in tit. Detractio, núm. 17. in tit. Doctrina, núm. 2, 8. in tit. Eloquentia, núm. 3, 8. in tit. Excusatio, núm. 8. in tit. Exemplum, núm. 6, 13. in tit. Fabula, num. 7. in tit. Gloria vana, núm. 4. in tit. Gratia, núm. 26. in tit. Honor, núm. 8. in tit. Hospitalitas, núm. 7. in tit. Lachryma, núm. 7. in tit. Misericordia, núm. 7. in tit. Prælatio, núm. 12, 28, 34, 46, 71, 72, 73. in tit. Sacerdos, núm. 40. in tit. Scriptura, núm. 18. in tit. Veritas, núm. 22, 23.

PRÆLATIO.

1. Quicumque ita præpositus est, ut in eo, quod præpositus sit, gaudeat, et honorem suum quærat, et commoda sua solum respiciat, se pascit, non oves. *August. lib. de pastor.*

2. Si multas oves errare foris plangimus, væ quorum humeris et lateribus, et cornibus factum est. *August. lib. de ovibus.*

3. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius: sed cavendus est latro. *Aug. lib. de verb. do.*

4. Nihil est in hac vita facilius, maxime hoc tempore, et lætius, et hominibus acceptabilius, Episcopi aut presbyteri officio: sed si perfunctorie atque adulatorie res agatur, nihil apud Deum miserius. *Aug. in quodam serm.*

5. Nihil est in hac vita, et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, et periculosius, Episcopi aut presbyteri officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet. *Ibidem.*

6. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Apostolus exponere voluit, quid sit Episcopatus, quia nomen operis est, non honoris: quidem intentio est: ergo Episcopum, si velimus superintendere: dicere possumus, ut intelligat se Episcopum non esse, qui præesse dilexerit, non prodesse. *Aug. lib. 19. de civ. Dei.*

7. Honor et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit id inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et deosculata eorum dextera, orationibus eorum se credunt communiri. *Ambr. in suo pasto.*

8. Nihil in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri potest, et quum dignitatem eorum oculis demonstramus, digne noscamus, quid sumus, et quid sumus professione: actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, et actio respondeat nomini: ne sit honor sublimis, et vita proclivis, ne sit deifica professio, et illicita actio, ne sit religiosus amictus, et irreligiosus profectus, ne sit gradus excelsus, et deformis excessus, ne locutionem simulemus columbinam, et mentem habeamus caninam: ne professionem monstremus ovinam, et ferocitatem habeamus lupinam, ne digne nobis respondeatur á Domino per prophetam: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est á me. Ibidem.*

9. Sicut senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam navigationis peritia, et singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat actores, sic Episcopum non aliter nisi episcopalis operatio designat: ut ex bono opere magis, quam ex professione noscatur: plus meritis esse episcopus, quam quod nomine vocitetur. *Ibidem.*

10. Sicut levius est de plano corruere, sic gravius est, qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina, quæ de alto sit graviori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus præclarus est: sed si ruinam sustineat, dolor magnus est: nam quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto, si per negligentiam dilabitur, ruina gravior est. Non enim est tanti gaudii excelsa tenere, quanti mœroris est

de excelsis corruere. Nec constat tantam gloriam sequi victoriam, quantam ignominiam post ruinam. *Ibidem.*

11. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam: honor grandis grandiori debet solicitudine circumvallari. Cui plus creditur plus ab eo exigitur, sicut scriptum est: Scienti legem et non facienti, peccatum est grande, et servus sciens voluntatem Domini sui, si non fecerit eam, vapulabit multum. *Ibid.*

12. Sic polleat episcopus sapientia, ut non solum sibi creditum populum, sufficienter doceat, verum etiam cunctarum hæresum quærat conditiones á Catholica repellere ecclesia, ne sua imperitia imperitos minime doceat, et hujusmodi casu prævento eveniat illi, quod scriptum est: *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt:* qui vero talem se, ut diximus, esse ignorat, sacerdotium minime appetat, nec locum alterius usurpare præsumat, præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ populorum potest corda illustrare. *Ibidem.*

13. Non linguam ad convitium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo et divina libat sacrificia, litium venena proferat, quia non decet de ore Episcopi benedictionem simul et maledictionem egredi, ne per eandem linguam, qua Deus laudatur, homo maledicatur, quia non potest de uno fonte dulcem et amaram, producere aquam. *Ambr. super ill. Apo. Non litigiosum.*

14. Opus naturæ, non dignitatem, laborem, non delitias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, ut fiat servus et minister hominum propter Christum, ut intermissa Rachelis decora facie, intret ad Liam oculis lippam, de monte cum Moyse descendat ad campos, id est de otio contemplationis, ad laborem actionis. *Hier. super ill. Si quis Episcop. desiderat.*

15. Tanta debet esse conversatio et eruditio Pontificis ut omnes motus et gressus et universa ejus opera notabilia sint. Veritatem mente concipiat, et eam toto habitu resonet, et ornata, ut quidquid agit,

7. Honor et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit id inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et deosculata eorum dextera, orationibus eorum se credunt communiri. *Ambr. in suo pasto.*

8. Nihil in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri potest, et quum dignitatem eorum oculis demonstramus, digne noscamus, quid sumus, et quid sumus professione: actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, et actio respondeat nomini: ne sit honor sublimis, et vita proclivis, ne sit deifica professio, et illicita actio, ne sit religiosus amictus, et irreligiosus profectus, ne sit gradus excelsus, et deformis excessus, ne locutionem simulemus columbinam, et mentem habeamus caninam: ne professionem monstremus ovinam, et ferocitatem habeamus lupinam, ne digne nobis respondeatur á Domino per prophetam: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est á me. Ibidem.*

9. Sicut senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam navigationis peritia, et singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat actores, sic Episcopum non aliter nisi episcopalis operatio designat: ut ex bono opere magis, quam ex professione noscatur: plus meritis esse episcopus, quam quod nomine vocitetur. *Ibidem.*

10. Sicut levius est de plano corruere, sic gravius est, qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina, quæ de alto sit graviori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus præclarus est: sed si ruinam sustineat, dolor magnus est: nam quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto, si per negligentiam dilabitur, ruina gravior est. Non enim est tanti gaudii excelsa tenere, quanti mœroris est

de excelsis corruere. Nec constat tantam gloriam sequi victoriam, quantam ignominiam post ruinam. *Ibidem.*

11. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam: honor grandis grandiori debet solicitudine circumvallari. Cui plus creditur plus ab eo exigitur, sicut scriptum est: Scienti legem et non facienti, peccatum est grande, et servus sciens voluntatem Domini sui, si non fecerit eam, vapulabit multum. *Ibid.*

12. Sic polleat episcopus sapientia, ut non solum sibi creditum populum, sufficienter doceat, verum etiam cunctarum hæresum quærat conditiones á Catholica repellere ecclesia, ne sua imperitia imperitos minime doceat, et hujusmodi casu prævento eveniat illi, quod scriptum est: *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt:* qui vero talem se, ut diximus, esse ignorat, sacerdotium minime appetat, nec locum alterius usurpare præsumat, præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ populorum potest corda illustrare. *Ibidem.*

13. Non linguam ad convitium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo et divina libat sacrificia, litium venena proferat, quia non decet de ore Episcopi benedictionem simul et maledictionem egredi, ne per eandem linguam, qua Deus laudatur, homo maledicatur, quia non potest de uno fonte dulcem et amaram, producere aquam. *Ambr. super ill. Apo. Non litigiosum.*

14. Opus naturæ, non dignitatem, laborem, non delitias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, ut fiat servus et minister hominum propter Christum, ut intermissa Rachelis decora facie, intret ad Liam oculis lippam, de monte cum Moyse descendat ad campos, id est de otio contemplationis, ad laborem actionis. *Hier. super ill. Si quis Episcop. desiderat.*

15. Tanta debet esse conversatio et eruditio Pontificis ut omnes motus et gressus et universa ejus opera notabilia sint. Veritatem mente concipiat, et eam toto habitu resonet, et ornata, ut quidquid agit,

quidquid loquitur, doctrina sit populorum. *Ibidem.*

16. Quidam non quærunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, et, ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetrabunt. *Hieron. in quadam epist.*

17. Apud viros bonos indigna ipsa sit dignitas, quam multi indigni possident: frustra enim se jactat habere dignitatem, cujus non exhibet operationem. *Ibidem.*

18. Talis debet esse dispensatio regiminis, ut is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus arridens timeri debeat: et iratus amari, ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, aut immoderata severitas odiosum. *Gregor. 5. mor.*

19. Miscenda est levitas severitati: faciendo quoddam ex utroque temperamentum: ut neque nulla asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur: hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna erat: quia cum scripturæ sacræ scientia in boni rectoris sit pectore, sit virga discretionis, sit manna dulcedinis. *Ibidem.*

20. Hinc David ait: *Virga tua et baculus tuus, etc.* Virga enim percutimur, et baculo sustentamur. Sit ergo discretio virgæ, quæ feriat, sic et consolatio baculi, quæ sustentet. *Ibidem.*

21. Moyses sic amavit eos, quibus præfuit, ut pro eis, nec sibi parceret, et tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret: utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis: causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gaudiis allegavit. *Ibidem.*

22. Subtilissima ars vivendi est culmen tenere: et gloriam reprimere, esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire: ad largienda dona potentem se agnoscere, ad repetenda noxia omne, quod

potenter valet ignorare. *Gregor. lib. moral.*

23. Quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. *Gregor. ho. 11. super Ezechiel.*

24. Ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. *Ibidem.*

25. Tunc fuit laudabile episcopatum quærere, quando per hunc quandocumque dubium non erat, ad supplicia pervenire. *Gregor. in pastoral.*

26. Sicut, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus. *Gregor. in regist.*

27. *Dejecisti eos, cum allevarentur:* quum allevatur, dejicitur qui honoribus proficit, et moribus cadit. *Ibidem.*

28. Quid nos ô pastores agimus, quando mercedem consequimur, et tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna ecclesia minime in prædicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit sine labore hanc percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem, vel orationis studio vel prædicationis, ut dignum est, insudamus *Gregor. in hom. 7. super. Dignus operari, etc.*

29. Tolerabilius Deo est, ut in infirmitate quis atque ignorantia cum humilitate jaceat, quam cum elatione alta comprehendat. Quanto quisque hic altius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur, eisque ipsis populis mente et cogitatione supponitur, quibus præponitur dignitate. *Greg. super Ezech.*

30. Male se rectum putet, qui regulam summæ rectitudinis ignorat, non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne

qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quæ et resecare debuit, ipse committat. *Gregor. in moral.*

31. Locus regiminis cum regendus offertur in se prius necesse est, ut quisque discutiat, si loco vita congruit, si ab onere actio non dissentiat, ne justus omnium rector, eo post in tribulatione preces non audiat, quo ipsa quoque ejus, de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat. *Gregor. in pastoral. et in moral.*

32. Ab imperitis pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur, cum sit ars artium, regimen animarum: hoc est, magisterium disciplinæ: ut culpis discrete noverit parcere, et pie resecare. *Gregor. in pastoral.*

33. Illi præ cæteris Deum videre sublimem merentur, qui fidelibus gregibus præesse solicite sciunt, et dum ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat. *Gregor. in homil.*

34. Quum igitur is, qui subest, servit ad obsequium, restat proculdubio, ut is, qui præest serviat ad verbum: et quum is, qui subest, jussis obtemperat, oportet, ut is, qui præest, curam solicitudinis impendat. *Gregor. in moral.*

35. Usus rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicit: nec obedientiam subjectis imperet, quam prælatis non novit exhibere. *Greg. lib. 1. dialog.*

36. Qui adhuc impugnantium certamina vitiorum per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant: quum vero tentationum bella jam subegerint, quoniam apud se de intima tranquillitate securi sunt, custodiam sortiantur animarum. *Gregor. in moral.*

37. Quum majores voluptati deserviunt, minoribus lasciviæ frena laxantur: et tanto licentius hostis ad feriendum occupat, quanto hi, qui pro culpis intercedere poterant, voluptati vacant. *Ibidem.*

38. Pensandum valde est, ad culmen regiminis, quisque qualiter veniat: atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat, et bene vivens qualiter doceat, et recte docens, infirmitatem suam quotidie cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut præventioni vita contradicat: aut vitam doctrina destituat: aut doctrinam præsumptio extollat: virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat. *Greg. in pastoral.*

39. Tanto debet populi actionem actio transcendere præsulis, quando distare solet à grege vita pastoris? *Ibidem.*

40. Si dilectionis testimonium est cura pastoralis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, summum pastorem convincitur non amare. *Ibidem.*

41. Misisti manum ad aratrum, opus est fortitudinis et constantiæ: speculator factus es, opus est prudentiæ, debitor es sapientibus et insipientibus, opus est justitiæ, prædicare debes, opus est temperantiæ. *Bern. in quadam epist.*

42. Scholares et pueri et impuberes adolescentuli, ob sanguinis carnalitatem, ad ecclesiasticas promoventur dignitates, et à ferula transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim, quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum. *Bern. in ep. ad Archiep. Lenonem.*

43. In alto posito non altum sapere difficile est, et omnino inusitatum, sed quanto inusitatius, tanto gloriosius. *Bern. in epist.*

44. Nunc audi canticum meum minus suave, sed salutare. Monstruosa res, gradus summus, et animus infimus: sedes prima, et vita ima: lingua magniloqua, et manus otiosa: sermo multus, et fructus nullus, vultus gravis, et actus levis: caput canum, et cor vanum, facies rugosa, et lingua nugosa, ingens auctoritas, et nutans stabilitas. *Bern. de consid. lib. 2.*

45. Nullus dicat esse unius meriti sive virtutis, socialiter vivere, et utiliter præesse: in moribus enim antecellunt, et superiores existunt, qui superiores esse sciunt: unde illud, *Qui bene præsunt presbyteri, duplici habeantur honore. Bern. super cant. serm. 18.*

46. Si rebus raritas pretium facit, nihil in eccle-

sia pretiosius, nihil optabilius est bono utilique pastore, nempe rara avis est ista, juxta illud: Rara avis in terris nigroque simillima cygno. *Bernard. in quad epist.*

47. Quomodo in pascua divinorum eloquiorum educet greges dominicos pastor idiota? Sed si doctus quis fuerit, non autem bonus, verendum ne quantum nutriat doctrina verbi, tantum noceat vita sterili. *Bern. super cant.*

48. Canales hodie in ecclesia multos habemus, conchas autem perpaucas: tantæ caritatis sunt, per quos nobis fluenta cœlestia manant ut ante infundere, quam infundi velint: loqui, quam audire paratiores: et prompti docere, quod non didicerunt, et aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. *Ibidem.*

49. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: studete magis amari, quam metui: et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica, matres fovendo, patres corripiendo vos exhibeatis: suspendite verba, producite ubera, pectora lacte pinguescant, nec typo turgeant. *Ibidem.*

50. Discant á te coepiscopi tui, comatos pueros, et comptos adolescentes secum non habere: certe inter mitratos discurrere, calamistratos non decet. *Bern. de consid. lib. 4.*

51. Improbe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas: et quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose tibi vendicas. *Bern. super cant.*

52. Væ tibi, si præes, et non prodes, sed væ gravius, si quia præesse metuis, prodesse refugis. *Bern. in apo.*

53. Honores et dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi iis, qui eas digne secundum Deum administrare, et velint et possint, nec cuiquam plures in pluribus ecclesiis habere licet, nisi dispensatione quidem ob magnam vel ecclesiæ utilitatem, vel personæ necessitatem, non propriam, sed communem. *Bern. in quad. epist.*

54. Negligentia prælatorum in tantam deordinationem et confusionem induxit, quod in eis est terra sursum, et cœlum deorsum, pedes sunt supra caput, et facies retro. Interiora effusa sunt extra: Deus ibi conculcatur, et terra deificatur: diabolus honorifice recipitur, Deus vero contumeliose repellitur. Terra sursum est, et cœlum deorsum, ubi terrena cœlestibus præponuntur: pedes sunt super caput, ubi viri spirituales despiciuntur: homines vero terrena sapientes, ad regimen temporalium utiles in honore habentur: facies est retro cum in operibus, quæ videntur bona, potius utilitas terrena intenditur, quam merces æterna. Interiora effusa sunt extra, quum bona interna negliguntur, et exteriora diliguntur: Deus vero conculcatur, et terra deificatur, ubi deficit charitas et regnat cupiditas, diabolus honorifice recipitur, et Deus contumeliose repellitur, ubi raptores et usurarii cum honore recipiuntur, et magnis expensis procurantur: boni vero pauperes vel repulsam patiuntur, vel male procurantur. *Bern. in expositione regulæ beati Benedicti, part. 3. c. 7. tractans ill. Prov. 25. Cœlum sursum et terra deorsum.*

55. Multo consilio et prudentia opus est pastori, et mille, ut dicitur, oculis ad speculandam undique hebetudinem earum, quas gubernat animarum. *Chry. in lib. 2. dialog.*

56. Non errores pontificum abscondi possunt oculis, sed etiam exigua eorum celeriter innotescunt, nam et athleta quamdiu domi manet, et cum nullo congreditur, potest, quam infirmus sit, latere quum vero nudus in agone constiterit, qualis sit, confestim probatur: ita ergo, et qui privatam vitam, et non multis occupatam negotiis agunt, habent velamen delictorum suorum ipsam solitudinem: quum vero adducuntur in medium, et illo secreto sicut vestibus exuuntur: per apparentes motus quasi nudas animas sistunt oculis intuentium. *Ibidem lib 3.*

57. Novi non paucos idoneos suimet fuisse rectores: multum in abstinentia et jejuniis laborantes, quibus

quamdiu licuit esse privatos, et nihil aliud curare, quam propria, et Deo placebant, et in dies non modica Philosophiæ incrementa capiebant. At ubi in populo prodierunt, et multorum imperitias emendare necesse fuit: aliqui inter exordia tantum sustinere pondus non potuerunt officii, qui vero tolerare coacti sunt perdentes constantiam, et severitatem priorem, et sibi intulerunt magna dispendia, et nihil aliis profuerunt. *Ibidem.*

58. Sit episcopus temperans et non superbus, sit reverendus, sit negotiis opportunus: regentis quoque auctoritate dignus, et plenus sit. Sit etiam severus, sit mitis et humilis, sit liber et vehemens: sit etiam mansuetus et constans, ut eum quem dignum esse viderit, cum multa potestate sistat: etiamsi universi obstiterint indignum: etiamsi multorum suffragia eum prosequantur, cum eadem auctoritate respuat, nihil aliud respiciens nisi ædificationem ecclesiæ: non quidquam faciat odio vel amore. *Ibidem.*

59. Quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo: et inter servos Christi non computabitur qui de primatu tractaverit, nec unusquisque eorum festinet quo aliis major videatur, sed quomodo omnibus inferior appareat: quoniam non qui major fuerit in honore, ille justior fuerit, ille est major. Conversatio ergo melior est desideranda, non dignior gradus. *Ibidem.*

60. Opus quidem desiderare bonum, bonum est, primatum autem honoris concupiscere, vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se onerat. *Chry. super Matth.*

61. Nemo potest in valle stare, et de monte loqui: ubi stas, inde loquere, aut unde loqueris, ibi sta. Si in terra est animus tuus, ut quid de cœlo loqueris? In cœlo consiste, si de cœlo loqueris. Si justitiam facere non vis, ut quid te præceptorem justitiæ facis? Quare magistrum vocas, cujus non vis esse discipulus? *Chry. super ill. Matth. 5. Jo. ascendit in montem.*

62. Prius in convalibus fit obscuritas die declinante, sic prius in laicis secularibus incepit obscuritas: nunc autem quando vides quod sacerdotes positos in summo vertice dignitatum, qui montes dicuntur, apprehendit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur, quin jam finis est mundi? *Chrys. super ill. Matth. 20. Circa undecimam horam.*

63. Bonus doctor est, qui et in humilitate servat disciplinam, et per disciplinam non incurrit superbiam. *Isidor. lib. 3 de sum. bon. c. 40.*

64. Omne, quod supereminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet, quanto quisque curis mundi majoribus occupatur, tanto facilius vitiis premitur. Si enim vix animus valet peccata devitare quietus, quanto minus occupatione seculari devinctus? *Ibidem. c. 48.*

65. Quanto quisque in superiori constitutus est loco, tanto in majori versatur periculo: et quanto splendoris honore celsior quisque est: tanto si delinquat, peccator major est. *Ibidem. c. 51.*

66. Episcopi domos non impares ecclesiis magnitudine construunt: pictos delectantur habere thalamos: vestiuntur ibi imagines pretiosis colorum indumentis: pauper autem sine vestibus incedit, et vacuo ventre clamat ad ostium, et, ut verum fatear, spoliantur pauperes sæpe, ut vestiantur lapides et ligna: ornant prætoria columnis: fores domibus anteponunt, quæ utinam pauperes includerent, non excluderent. *Hugo. de claustro animæ. lib. 1. c. 1.*

67. Sunt quidam, qui sciunt et possunt et volunt præesse: quidam qui sciunt et possunt, nec volunt: quidam qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt: quidam qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt. Scire posse et velle, charitatis est, vel superbiæ. Scire et posse, et nolle, humilitatis est, vel inertia. Nec scire, nec posse, sed velle, cupiditatis est, et stultitiæ. Nec scire, nec posse, nec velle, discretionis est et providentiæ. Qui enim sciunt, et possunt, et volunt præesse, si velint prodesse, charitatis est, alioquin superbiæ. Qui sciunt, possunt, et nolunt, hu-

militatis est, quod renuunt: inertiæ vero cum sciant, omnino desistant: qui autem nec sciunt, nec possunt: sed volunt, cupiditatis videtur: quod volunt, stultitiæ, si velint, quod nec sciunt nec possunt. Illi siquidem, qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt, prudenter agunt. Summa enim discretio est, nolle quod non potes, fugere quod nescis. *Hugo de 12. abusio. clau.*

68. Canctis quidam se existimant amplius sapere, quibus se vident amplius posse. Hoc amant scilicet videri sapientes? hæc causa fuit angelicæ et humanæ ruinæ. *Ponam*, inquit angelus, *sedem meam ad Aquilonem:* et homini ait, *eritis quasi dii scientes bonum et malum*. Timeat igitur prælatus, quod meruit homo, et angelus. Angelus enim cum vellet esse potentior, corruit: homo cum videri vellet sapientior, desipuit. *Ibidem.*

69. Tres sunt species negligentium prælatorum: quidam qui bene vivunt, et subjectos, male vivere permittunt: quidam qui male vivunt, et subjectos bene vivere cogunt: quidam qui male vivunt, et subjectos male vivere volunt. Qui bene vivunt, et subjectos male vivere permittunt: exemplo quidem præcedunt, sed quia corrigendo errantes non increpant, delinquunt. Licet enim bene vivant, necesse tamen est, ut de grege sibi commisso, Domino Gregis rationem reddant. Illi vero, qui male vivunt, et subjectos bene vivere cogunt errantes revocant, sed rectos et fortes occidunt: revocant, verbis, occidunt exemplis de tertia specie non oportet facere mentionem. *Ibidem.*

70. Recolite quanta et qualia me audiente et probante de administratione pontificis, qui populi sui commissa cura posthabita, ardentius bona præsentia desiderat quam futura, oblitus et quod non solum de se, sed etiam de grege sibi credito, rationem pastori pastorum omnium reddet: sua suorumque detrimenta non cogitat, quem non delinquentium peccata contristant, nec proficientium bona lætificant, sed de se tantum: plerumque autem nec de se omnino solicitus, quid suis boni aut mali negatur, ignorat: qui

non prædicat perseverantiam justis, pœnitentiam pravis, contemptum mundi conversis, futuras pœnas aversis. *Prosp. de vita contemplativ. lib. 1.*

71. Quapropter et sancte debet vivere propter exemplum, et docere propter suæ administrationis officium, certus quod nihil ei sua justitia suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur: quando quicumque alius perit, quem nulla docendi necessitas movet, solus pœnas sui sceleris dabit. Ille autem cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescit, aut metuit, cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit: et quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? *Ibidem.*

72. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: si impio locutus non fueris, ut se ab impietate sua custodiat, et ille perierit, sanguinem ejus de manu tua requiram:* hoc est dicere, si ei peccata sua non annunciaveris, ut ab impietate sua convertatur, et vivat, te, qui non increpasti, et ipsum, qui te tacente peccavit: flammis perennibus perdam. Rogo quis tam saxei pectoris, et tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? Quis tam alienus á fide, qui isti sententiæ non credat? Quis ad hæc non contremiscat? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui hæc non intelligit, aut futura non credit? *Ibidem.*

73. Si annunciante te ad impium, ut á viis suis convertatur, et non fuerit conversus: ipse impius in iniquitate sua morietur, et tu animam tuam liberasti. Hic certe evidenter ostenditur, quod sive proficiant, sive non proficiant auditores, tacere eis non debent sacerdotes: nec ideo rei sunt, si forte eorum verba populi non audiunt, vel audita contemnunt, sed ab eis corrigendis absistunt: quia sic nec exemplo vitæ præpositorum suorum, nec verbo doctrinæ populi contumaces emendari voluerunt, ipsi causa suæ perditionis existunt: et doctores quorum exempla simul et verba despiciunt, involvere criminibus suis omnino non possunt. *Ibidem.*

74. Quidam ante dignitatis adeptionem, satis commendabiles extiterunt: sed super candelabrum eclesiæ constituti, lucem in tenebras, et famam in infamiam convertunt: melius plerisque fuisset adhuc latere sub modio, quam cum infamia candelabrum ascendisse, adhuc enim turpitudo eorum sub paupertatis obscuro latêret, nisi eam dignitas divulgasset. Crevit honor, et cum honore infamia, privato peccanti sæpe parcitur: sed si prælatus deliquerit, in ejus infamiam linguæ omnium acuuntur. *Pet. Chrysologus in quodam serm.*

75. Certe nimis absurdum est in prelato, scurrilitati operam dare, et labia Christi evangelio consecrata, inmunda et damnabili verborum procacitate polluere. *Ibid. in quadam epist.*

76. Prælatio simulationem aperit: illis enim difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se esse probos simulavêre. Sunt enim non ex animo, sed ex fortuna, modo humiles, modo elati. Omnium enim rerum nihil ad prælationes tenendas melius, quam diligi, nec alienos, quam timeri. Tutius est volentibus, quam coactis imperare. *Tullius in sua rhetor.*

77. Statim ut ambitiosus promotus est ad honorem, in superbiam extollitur, et in jactantiam effrenatur. Non curat prodesse, sed gloriatur præesse, presumit se meliorem, quia cernit se superiorem, at bonum facit non gradus, sed virtus: non dignitas, sed honestas: priores dedignatur amicos, notos ignorat hesternos, comites contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, præceps et audax gloriosus et arrogans, gravis et importunus. *Inno. de vil. conditionis humanæ.*

Vide etiam in tit. Abusio, núm. 8. in tit. Ambitio, núm. 14. in tit. Clericus, núm. 13. in tit. Compassio, núm. 8. in tit. Correctio, núm. 31, 56. in tit. Divitiæ, núm. 46. in tit. Ecclesia, núm. 8. in tit. Electio, núm. 15. in tit. Excusatio, núm. 4. in tit. Exemplum,

núm. 14, 29. in tit. Honor, núm. 8, 10. in tit. Humilitas, núm. 46. in tit. Judex, núm. 14. in tit. Justitia, núm. 19. in tit. Peccatum, núm. 33. in tit. Pusillanimitas, núm. 4. in tit. Rapina, núm. 4. in tit. Regimen, núm. 10, 11, 14, 33. in tit. Sacerdos, núm. 36. in tit. Superbia, núm. 34. in tit. Tentatio, núm. 6.

PRÆSUMPTIO.

1. Aliter aliquid sapere, quam res se habet, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad præcidendæ communionis, et condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere, quam res se habet, angelica perfectio est: vita itaque homines sumus, sed spe angeli sumus: quibus æquales in resurrectione futuri sumus quamdiu ergo non habemus perfectionem angeli, non habeamus præsumptionem diaboli. *Aug. de baptismo contra donatistas lib. 2.*

2. Nimium præceps est, qui intrare contendit, ubi alios cecidisse viderit: et vehementer infrænis, cui non inculitur timor alio pereunte. *August. lib. de singul. cleric.*

3. Nulla præsumptio perniciosior, quam de propria justitia, aut scientia superbire. *Aug. super ill. eccle. 7. Non te justifices ante Deum, etc.*

4. Magnus unusquisque, studeat esse, si tamen aliquo modo se esse nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit amittat. *Gregor. in homil.*

5. Quantalibet doctrina mens polleat, gravis imperitia est, velle docere sapientiorem. Immensa enim præsumptio est, á seniore sibi reverentiam exigere, silentium imperare meliori. *Ibidem.*

6. In præcipiti pedem portigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit, et plerumque amittit, quod poterat, qui audacter ea, ad quæ pertingere non valet, arripere festinat. *Ibidem.*

7. Pia conditoris dispensatione agitur ut de se

confidens anima, dispensatoria tentatione pulsetur, quatenus infirmata, quit sit inveniat, et præsumptionis propriæ fastum deponat. *Ibidem.*

8. Præsumptuosus primus in conventibus residet: in consiliis primus respondet: non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta: quidquid ipse non fecit aut ordinavit, nec recte factum, nec pulchre æstimat ordinatum: judicat judicantes, præjudicat judicaturis: si quum tempus advenerit, non promoveatur ad prioratum sive in abbatem, aut invidum judicat, aut deceptum. *Bern. de 12. grad. humilitatis.*

9. Quomodo præsumptuosus culpam suam confitebitur, qui necesse putat, nec putari culpabilis patitur: propterea, quum culpa ei imputatur, crescit, non amputatur. *Ibidem.*

10. O superba præsumptio, præsumptuosa superbia, quæ non solum angelos Deo voluit adæquare, sed homines præsumpsit deificare: porro quos erexit, depressit, et quos exaltavit humiliavit, hæc turrim evertit, linguam confudit, Goliam prostravit, Aman suspendit. *Ibidem.*

11. Qui venit institui, ante, quam instituatur, alios instituere cupit, et docere ante quam discat: priusquam erudiatur, promulgare vult leges: et ante, quam discat ordines syllabarum, philosophari incipit: priusquam subjiciatur, vult habere subjectos: et ante quam majorum jussis obtemperet, eripit jubentis officium: et ante, quam instruatur, instruere ac monere usurpat. *Cass. lib. 1.*

12. Plerisque evenit, ut dum fratribus præesse festinant, numquam senioribus ipsi subjiciantur, et a superbia inchoantes, dum alios instruere cupiunt, nec discere ipsi, nec agere ea, quæ sunt docenda mereantur. Ostentationis nota non caret, qui se ingerit, sed qui invitatur. *Joan. Cass. in collatione Daniel.*

13. Omne malum execrabilius redditur, quando publica præsumptione tractatur. *Cass. super Psal. Et non defecit de plateis ejus.*

14. Constat eum de se præsumere, qui ad sacri

ordinis cupit fastigia pervenire. Merita enim suggerunt bonæ apparentiæ visus, et in qualitate desiderii potest mens honesta cognosci. Quis enim palæstricæ artis ignarus in stadium luctaturus introeat? aut quis certamini misceatur, quod virtutis conscientia non suadetur? In ipsis conatibus ægra languescunt, quæ meritorum præsumptionibus non juvantur. *Cass. lib. 4. epist. 25.*

15. Cum non sit nostrum quod sumus, quomodo nostrum est, quod habemus? Stultitiæ genus est, ut cum alii debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum. *Val. epist. quodam serm.*

16. Temeritatis subiti et vehementes sunt impetus, quorum ictibus hominum mentes concussæ nec sua pericula respicere, nec aliena facta justa æstimatione prosequi valent. *Val. Max. de memorialibus dict. lib. 9.*

17. Rex Persarum Xerxes, Græcis bellum indixit, cui familiarium unus dicebat, Græcos adventum nuntii belli non expectaturos: sed ad primam adventus famam terga versuros: alius dicebat: Græciam non vinci, sed obrui mole exercitus: alius timendum esse, ne urbes vacuas vel desertas invenirent, non habiturum regem ubi tantas vires exercere possit: alius dicebat: vix illi naturam rerum sufficere, angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copiis, equestribus campestria, cœlum vix patêre sagittis: dum in hunc modum regem æstimatione nimia sui furentem confuscarent, dixit Damaxatus: Multitudo ista, quæ tibi placet, tibi metuenda: verum est enim permagna nunquam posse regi, nec diu durare potest, quod regi non potest, nihil tam magnum quod perire non possit: sic contigit, ut dixit Damaxatus. Nam ut fugax animal pavido regressu regnum suum repetere est coactus. Multi enim ignorant vires suas, et dum credunt se tam magnos, sicut audiunt, attraxere super vacua bella, et in discrimine perventura. *Val. Max. lib. 1.*

18. Imperita rusticitas plura promittit, et credit

se scire quæ nescit. *Veg. li. de re mil. lib. 3.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 2. in tit. Confidentia, núm. 1, 2, 3, 9. in tit. Consideratio, núm. 3, 4, 30. in tit. Contemplatio, núm. 7. in tit. Curiositas, núm. 4. in tit. Desperatio, núm. 1. in tit. Divitiæ, núm. 8. in tit. Doctrina, núm. 10. in tit. Fortitudo, núm. 11. in tit. Humilitas, núm 1, 13. in tit. Jactantia, núm. 9. in tit. Justitia, núm. 3, 4. in tit. Prælatio, núm. 4, 5, 68. in tit. Securitas, núm. 9. in tit. Superbia, núm. 29.

PRODITIO.

1. Judas de Apostolatus fastigio in proditionis tartarum labitur, nec familiaritate communi, nec intinctione bucellæ, nec obsequii gratia frangitur, ne hominem tradat, quem filium Dei noverat. *Hier. in epist. ad Rust. mo.*

2. Instrumento pacis mortem irrogat: servus dominum, discipulus magistrum sic prodit, quasi, inquit, per instrumentum pacis, perimis ipsam pacem, de osculo machinaris ipsam proditionem. *Ambr. super illud Mat. 26. Et osculatus est eum.*

3. Cum Socrati rex Persarum magnam pecuniam tenlans, ejus animum in proditionem dirigeret, admitti legatos jussit, cum forte olera comederet, audite inquit, hoc prandium proditorem facit. *Val. Max. lib. 7.*

Vide etiam in tit. Ecclesia, núm. 19. in tit. Inimicitia, núm. 16. in tit. Militia, núm. 13. in tit. Societas, núm. 2, 4. in tit. Veritas, núm. 2.

PROFECTUS.

1. Tormenta animi non sentit in ecclesia, qui non proficit, putat enim quia pax est, sed incipiat proficere, et tunc videt in qua presura est: quia cum crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. *August. super Psalm. 29.*

2. Quantumcumque hoc profecerimus, nemo dicat:

Sufficit mihi, justus sum: qui dixit, *remansit in via, non novit pervenire.* Ubi dixit, *sufficit mihi, ibi hæsit. Ibidem 66. Ego vero egenus et paup. sum.*

3. Quum cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas adversantium, quicumque illas nondum passus est, nondum proficit, quicumque illas non patitur, nec conatur proficere. *Aug. super Psalm. c. 19.*

4. Non tu in accipiendo proficis, et Deus in dando deficit, quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas, fons vincit sitientem. *August. de ver. apo. c. 16.*

5. Nemo quantum proficit, nisi inter adversa cognoscit. *Greg. lib. 24. moral.*

6. Sequens ætas cum aliqua opinabili novitate succedit: nam si gloriosum est posteris avitas extendere facultates, quanto præstantius hereditarias augere virtutes? *Cass. lib. 2. epist. 22.*

7. Veneror inventa á sapiente: mihi ista acquisita sunt, mihi laborata: sed agamus bonum patrem familias: faciamus ampliora, quæ accepimus: major ista hæreditas à me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio adhuc aliquid audiendi. *Sen. 65. ep.*

Vide etiam in tit. Exemplum, núm. 8. in tit. Honor, núm. 16. in tit. Otiosilas, núm. 2. in tit. Studium, núm. 7. in tit. Tribulatio, núm. 22.

PROMISSIO.

1. Est contra officium nonnunquam promissum solvere sacramentum, sicut Herodes qui necem Joanni præstitit, ne promissum negaret. *Ambr. lib. 1. de offic.*

2. Quid honestius, rem negare, aut longos terminos dare? terminum termino addere, negandi est hoc tempus, callidilas negandi. *Cass. in quadam epist.*

3. Expectans expectavi Dominum, nec intendit mihi. Sperabam quod daret effectum verbum suum, et gratiam quam verbis promiserat, operibus exhibe-

ret: adhuc etiam promissam expecto gratiam, fortasse sicut Arcturum Britannia, sicut Judæa Messiam. Magna enim debet esse in promissione discretio: quia inanis promissio sæpe de amicis sibi comparat inimicos. *Pet. Chrysolog. in quod. serm.*

4. Timeo ne in nostra promissione illud vulgare proverbium locum habeat: Dum herba crescit, equus moritur: et dum fugans canis mingit, fugiens lupus evadit: dubitatur enim, an sit beneficium, cujus dilatio cruciat expectantem. *Ibidem.*

5. Sunt qui plura promittunt, et pauca reddunt, et eos quibus mentiendo promittunt, inimicos sibi faciunt. *Glos. super Eccl. 22. Mores homin. mend. fine.*

6. Priusquam promittas, delibera: et quum promiseris facies: prius si negaveris, fecisse postea fallere est. Id ergo agas, ut ne quis merito tuo te oderit. *Sen. in lib. de mor.*

7. * Pacta semper et promissa sunt, quæ nec vi, nec dolo malo facta sunt. Illa servanda non sunt, quæ non sunt ipsis utilia, quibus illa promiseris. *Cic. 3. Offic.*

8. * Promissa servanda non sunt, si tibi plus noceant, quam illi prosint, cui promiseris. *Ibid. 1. Off.*

Vide etiam in tit. Beneficia, núm. 33.

PROXIMUS.

1. Non diligis proximum tuum tanquam teipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducis. *August. de mor. lib. 1.*

2. Qui ergo amat homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debet. Sic enim et semetipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit. Sic enim diligit proximum tanquam seipsum sine ullo periculo. *Aug. octavo de trin. c. 6.*

3. Proximos diligimus, sicut nosipsos, quum nulli malum facimus, et omnes simili, ut nosmetipsos, affectione tractamus. *Cass. super Psal. c. 33.*

Vide etiam in tit. Acceptio, núm. 4. in tit. Adjutorium, núm. 15, 32. in tit Amor, núm. 22, 28, 35, 36. in tit. Charitas, núm. 17. in tit. Compassio, núm. 7. in tit. Consideratio, núm. 22. in tit. Contemplatio, núm. 11. in tit. Conversatio, núm. 38. in tit. Convitium, núm. 1. in tit. Dilectio, núm. 18. in tit. Discordia, núm. 11. in tit. Excusatio, núm. 14. in tit. Voluntas, núm. 21.

PROSPERITAS.

1. Nemo frangitur adversorum molestia, qui prosperorum delectatione non capitur. *August. de verb. Dom. lib. 2.*

2. Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in via sua, cujus peccatis deest ultor, et adest laudator. Major hic ira Domini est: irritavit enim Dominum peccator, ut ista patiatur: id est, ut correctionis flagella non patiatur. *Aug. super Psal. 7.*

3. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari ne illicial, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas: magnæ inquam virtutis, cum felicitate luctari: magnæ felicitatis est, a felicitate non vinci. *August. de verb. Dom. c. 45.*

4. Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. *Aug. super Matth. ser. 29.*

5. Prospera hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. *Aug. epist. 56.*

6. Nulla res longa mortalium est, omnisque felicitas seculi dum tenetur, amittitur: quum enim tribulationis tempus advenerit, omne quod præteritum est, nihil adjuvat sustinentem. *Hier. super Isa. lib. 7.*

7. Difficile, imo impossibile est, ut præsentibus et futuris quis fruatur bonis, ut et hic ventrem, et ibi mentem impleat: ut de deliciis ad delicias transeat, et in utroque seculo primus sit, ut in terra, et in cœlo appareat gloriosus. *Hieron. in quadam epist.*

8. Si haberes sapientiam Salominis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitatem Enoch, si divitias Crœsi, si felicitatem Octaviani, quid prosunt hæc, quum tandem caro datur vermibus, et anima dæmonibus, cum divite sine fine crucianda? *Hier. super ill. Matth. 17. Quid prodest homini si mundum lucretur animæ suæ detr. etc.*

9. Sancti viri quum sibi suppetere prospera hujus mundi conspiciunt, pavida suspicione turbantur, timent enim ne hic laborum suorum fructus recipiant: timent ne quod divina justitia latens in eis vulnus aspiciat, et exterioribus os vulneribus curans, ab intimis repellat. *Gregor. in moral.*

10. Quem nec abundantia in superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. *Greg. super Ezech.*

11. Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens favet effectus, et nulla contrarietas impedit, quod mens perversa concepit. *Greg. mor.*

12. Quum quis positus in prosperitate diligitur, incertum est utrum prosperitas, an persona diligatur. Amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis: nec prosperitas quippè amicum indicat, nec adversitas inimicum celat. *Ibidem.*

13. Justis amplius placet ex adversitate mala perpeti, quam ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari. *Ibidem.*

14. Sæpe omnipotens Deus cum avaræ menti vehementer irascitur, prius ei permittit ad votum cuncta suppetere, et post hæc per ultionem subtrahit, ut pro eis debeat supplicia æterna tolerare. *Gregor. lib. 25. moral.*

15. Iniquus prosperari in sua mala actione permittitur, quatenus et perversa faciat, et tamen feliciter vivat. Perversus quisque quanto citius pervenit ad desiderium, tanto facilius rapitur ad tormentum. *Gregor. in moral.*

16. Præsentis vitæ prosperitas innocentiæ testis non

est: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, et plerique ad infinita supplicia perducendi sine flagello moriuntur. *Ibidem.*

17. Præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, ut ad meliorem vitam provocet: aliquando, ut in æternum plenius damnet. *Gregor. in pastoral.*

18. Solet rerum abundantia, tanto magis á timore divino mentem solvere, quanto magis hinc exigit diversa cogitare. *Gregor. in hom. quadam.*

19. Præferendus ille, et magnus est, cui inter prospera saltem, risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit. *Bern. lib. 2. de consid.*

20. Quid profuit illis superbia? quid divitiarum jactantia? mundi potentia? vana voluptas? brevis lætitia? magna familia? mala concupiscentia post voluptatem? Ubi jocus? ubi risus? ubi jactantia? ubi arrogantia? heu de tanta lætitia, quanta tristitia! *Ibidem.*

21. De divitiis et floribus et majorum nobilitate te jactas: de patria et pulchritudine corporis, et honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, te exaltas: respice teipsum, quia mortalis es, et quia terra es, et in terram ibis: circumspice eos, qui ante te sydereis fulcere splendoribus. Ubi sunt, quos ambiebant cibium potentatus? ubi insuperabiles Oratores? ubi qui convenientius festa disponebant? ubi equorum splendidi nutritores? ubi exercituum duces? ubi satrapæ et tyranny? nonne omnia pulvis? nonne omnia favillæ? nonne in paucis versibus eorum vitæ memoria est? Respice sepulchra et vide, quis servus, quis dominus, quis dives: discerne si potes victum á rege, fortem á debili, pulchrum á deformi. Memor itaque tui esto, ne aliquando extollaris: memor autem eris, si teipsum respexeris. *Prosp. in suis sent.*

22. Noverca virtutis prosperitas, baculis suis sic applaudit, ut noceat: et infelici successu sic fortunatis obsequitur, ut in fine perniciem operetur: conviviis suis ab initio propinans dulcia, et quum inebriati fuerint, letale virus miscet: et si quid deterius est

quo specie sui clarescit, amplius eo stupentibus oculis densiorem infundit caliginem. *Chrys. lib. 1. de curialium nugis et vest. Philos.*

23. Suis quippe meritis putaret datum, si peccator jugiter floreret illæsus: ideo Daniel salvatus est et trium puerorum flamma superata est. Dicamus ergo hunc versum in quibuslibet periculis, dicamus in gaudiis: quia talis confessio et ab ærumnis eripit, et in prosperitate custodit. *Cass. super ill. psalm. Justus es Dom. et rectum jud.*

24. Sæpius in altum quis attollitur, ut ruens fortius conquasselur. Nam sæpe videtur fortuna in principio prospera nuntiare, sed medium et finem replet multis adversitatibus, et concludit. *Raban. in quodam serm.*

25. In omni adversitate fortunæ infelicissimum infortunii genus est, aliquando fuisse felicem. *Boet. de consolat. lib. 2.*

26. Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est. *Ibidem.*

27. Quem felicitas amicum, infortunium facit inimicum. *Ibid. lib. 3.*

28. Cætera exempla fortunæ variantis innumera. Etenim quæ facit magna gaudia, nisi ex malis? aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudiis? Nulla est profecto solida felicitas, quam contumelia ulla vitæ rumpit. *Plin. lib. 7. historiarum mundi.*

29. Omnia, quæ superfluunt, nocent: segetem nimia sterilit ubertas, rami onere franguntur, ad maturitatem non pervenit nimia fœcundilas. Idem quoque animis evenit, quos immoderata prosperitas rumpit, qua non tantum in aliorum injuriam, sed etiam in suam utuntur. *Sen. 28. epi. ad Lucill.*

30. Ad omne fortuitum bonum suspiciosi et pavidi stare debemus, et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur: munera ista fortunæ reputamus, insidiæ sunt, beneficia ista usitata nos habere putamus. *Ibidem.*

31. Res est inquieta felicitas, ipsa se exagitat: movet cerebrum: non uno genere alios in aliud irritat:

hos in potentiam, alios in luxuriam, hos inflat, hos mollit et totos resolvit. *Sen. 37. epist.*

32. Ipsa enim felicitas nisi temperetur, premit, vel præterit. Multarum urbium in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt: et quidquid virtute paratum erat, intemperantia corruit. *Sen. 85. epist.*

33. Neminem eo fortuna provexit, ut non tantum minaretur illi quantum promiserat. *Senec. 24. epist.*

34. Ludit de suis fortuna muneribus, et quæ dedit aufert, quæ abstulit reddit, nec unquam tutius est illam experiri, quam quum locum injuriæ non habet. *Sen. lib. 5. rhet. sua.*

35. Magni animi calamitatibus magnis sæpius evertuntur: quietiora tempora pauperes habuimus, aurato capitolio bella civilia gessimus. Divitias pulas aurum et argentum ludibria sunt fortunæ, quæ inter jocum ipsis dominis veniunt. Omnis enim blandientis fortunæ speciosus de periculo nitor est: et sine causa sæpe fluit, et sine ratione destituit. Nulla certa felicitas est. Ille Crœsus inter reges opulentissimus vinctis post tergum manibus ductus est. *Sen. de sen orat.*

36. Non habet ut putamus, fortuna longas manus, neminem occupat, nisi hærentem sibi. *Senec. in quæd. epist.*

37. Lætiores relinquit, quos nunquam fortuna respexit, quam quos deseruit. Noli huic tranquillitati confidere, in momento mare evertit: eodem die, quo tibi luserant navigia servantur. *Sen. lib. de tranquil. ani. circa medium.*

38. Minus diligenda sunt prospera, quæ à desperatione sumunt principium. *Ibidem.*

39. Quæ concessit fortuna, temperet justitia: quod justitia invenerit, temperet moderantia: si enim auxeris licentiam tuam, minuis gloriam. *Soc. in suis exhor.*

40. Fortuna ut medicus ignarus multos excecavit, non autem ipsa fortuna cæca est, sed eos cæcos plerumque efficit, quos complexa est. *Tull. de amicitia.*

41. Errant, qui in prosperis omnes impetus for-

tunæ putant fugisse, sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant. *Tulius 2. Rhetor.*

42. ' Ut adversas, sic secundas res inmoderate ferre, levitatis est, præclaraque est æquabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons. *Ibid. 2. Offic.*

43. Semper humanæ lætitiæ tristitia repentina succedit, et quod incipit á gaudio, desinit in mœrorem. Mundana quippe felicitas multis amaritudinibus est respersa: novit ille, qui dixit, *risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. Innoc. de vil. cond. humanæ.*

44. Subito quum non suspicamur, infortunium accidit, calamitas irruit, morbus invadit, mors intercipit, quam nullus evadit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 30, 36, 37. in tit. Amor, núm. 1, 2. in tit. Anima, núm 40. in tit. Beatitudo, núm. 22. in tit. Bonum, núm. 7. in tit. Consilium, núm. 24. in tit. Crux, núm. 6. in tit. Divitiæ, núm, 1, 46, 57. in tit. Gaudium, núm. 9, 21. in tit. Miseria, núm. 16. in tit. Potestas, núm, 17. in tit. Relinquere, núm. 13. in tit. Tentatio, núm. 14. in tit. Tribulatio, núm. 12, 13, 30.

PROVIDENTIA SIVE PRUDENTIA.

1. Ubicumque fuerit providentia, frustrantur universa contraria: ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. *Aug. in lib. de singul. cler.*

2. Prudentia est amor, ea, quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter eligens. *Aug. lib. de mo. Eccl.*

3. Quum viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria sibi desint, non judicemus eum de crastino solicitum esse: nam et ipse Dominus propter exemplum loculos habere dignatus est: in Actibus Apostolorum scriptum est: *ea, quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famen. Aug. in lib. de se. Do. in monte.*

4. Providentia Dei omnia gubernantur, et quæ putatur pœna, medicina est. *Hier. super Ezech.*

5. Omnes sumus in minimis cauti, in maximis negligentes: hoc itaque fit, quia ubi vera vita sit, ignoramus. *Hier. in lib. de homine perfecto.*

6. Minus jacula feriunt, quæ prævidentur, et tolerabilius mala mundi suscipimus, si contra hæc per providentiæ clypeum munimur: sagitta enim præcognita facilius evitatur. *Greg. in ho. Quum audieritis prælia.*

7. Prudens dicitur quasi porro videns. Perspicax est enim et incertos providet casus. *Isid. in lib. cæli.*

8. Scopus ille vitandus est, ubi alter offendit: pecora ipsa vitare norunt quæ læsisse cognoscunt: itinera illa non repetunt, ubi in foveam corruerunt. Tenaces laqueos avis capta declinat: rete avis suspecta non incidet: et omnia quæ possunt habere contraria, faciliter casus assumerent, si curam salutis propriæ non haberent. *Isid. lib. 4. epist.*

9. Quanto majora timentur esse dispendia, tanto promptior et perfectior debet esse cautela. *Pet. Chrys.*

10. Imprudentia, est obtemperatio mentis qua quis minus providens est in providendo præterita vel futura. *Tulius. 2. Rhetor.*

11. ' In prudentia duo vitia vitanda sunt, ne incognita pro cognitis habeamus, ipsisque temere assentiamus: quod vitium effugere qui velit (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam: alterum est vitium, quod quidam magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easque non necessarias. *Ibid. 1. Offic.*

12. Providentia est præsens nolio futurum pertractans eventum. *Sen. de 4. virtutib.*

13. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris, et prout rerum ac temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori: nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes, sicut manus quæ eadem est, quum in palma extenditur, et quum in pugnum adstringitur. *Ibidem.*

14. Prudentis proprium est, examinare consilia,

et non cito facili credulitate ad falsa pro labi: de dubiis non diffinias, sed suspensam tene sententiam. *Ibidem.*

15. Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone: nihil tibi subitum sit, sed totum ante prospicias: nam qui providens est, non dicit: non putavi hoc fieri: quia non dubitat, sed expectat: non suspicatur, sed cavet. *Ibidem.*

16. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare, nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. *Ibidem.*

17. Prudens si terminos suos excedit, callidus et investigator latentium, et scrutator qualiumcumque noxarum ostenditur, maledico fastu plenus: versipellis et simplicitatis inimicus, commentator est culparum, et postremo uno nomine à cunctis malus homo vocabitur, in has ergo maculas prudentia immensurata perducet. *Ibidem.*

18. Præcogitati mali mollis ictus venit, ideo stultis fortunæ credentibus omnis videtur nova rerum inopinata facies. Sapiens autem assuescit futuris malis, et quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. *Sen. 77. epist.*

19. Quidquid á sapiente diligenter prævidetur, quum ad rem agendam perventum fuerit, facilius superatur, atque decernitur. Melius enim est ante tempus occurrere, quam post vulnus datum, remedium quærere: nam sibi non est cavendi tempus in medio malorum. *Sen. de mo.*

20. Bonum est in alieno malo fugienda intueri. Ruina præcedentium docet posteros: et cautio est semper in reliquum lapsus anterior: ex vitio enim alterius sapiens emendat suum: et ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus. Indemnis autem est castigatio, quam persuaserunt extranei, juxta illud: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. *Senec. de Prov.*

21. Gravius nocet, quodcumque in expertum accidit. Melius est præcavere, quam pavere, utilius est erubescere, quam pavescere. *Ibidem.*

22. Excludenda sunt omnibus modis languor á corpore, imperitia ab animo, luxuria á ventre, a civitate seditio, á domo discordia, á cunctis rebus intemperantia. Duorum temporum maxime habenda est cura: mane et vespere: in altero gerenda prospice: in altero respice quæ gessisti. *Pytha. in præcept.*

23. Prudentis est, ne quem in casum incidat, cavere: et si quod forte acciderit, fortiter ferre. Fortis nemo potest judicari, nisi et prudens fuerit. *Soc. in suis sent.*

24. Virtus sine sapientia temeritas periculosa putanda est. Quid prudentis opus est? eum posse et nolle nocere. Quid stulti proprium? non posse, et velle nocere. Quænam summa boni mens? quæ sibi conscia recti. *August.*

Vide etiam in tit. Consilium, núm. 6, 26, 29, 34. in tit. Liberalitas, núm. 11. in tit. Prælatio, núm. 23. in tit. Sapientia, núm. 23. in tit. Timor, num. 30. in tit. Tribulatio, núm. 16.

PUSILLANIMITAS.

1. Segnissimi est torpere, cum se ad provectum cognoscat invitasse. *Cass. lib. 15. epist. 1.*

2. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, quum vocatur ad regnum. Jacens animus plebeum numulum thesauris regalibus anteponit: pauper sensus, qui parvis incumbens, perdit magna, et inhians temporalibus perdit sempiterna. *Pet. Chrys.*

3. Contentus esto negotiis, in quæ descendisti: nec luctare cum officio, quod semel cepisti. Turpe est oneri cedere. *Seneca.*

4. Remissio, quæ os prælati obstruit, quæ mentem ejus dejicit, quæ adulatorem et venditorem olei facit, dum sibi quietem et honorificentiam venatur in favorem principum, hæc miseros præcipitat in foveam

et non cito facili credulitate ad falsa pro labi: de dubiis non diffinias, sed suspensam tene sententiam. *Ibidem.*

15. Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone: nihil tibi subitum sit, sed totum ante prospicias: nam qui providens est, non dicit: non putavi hoc fieri: quia non dubitat, sed expectat: non suspicatur, sed cavet. *Ibidem.*

16. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare, nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. *Ibidem.*

17. Prudens si terminos suos excedit, callidus et investigator latentium, et scrutator qualiumcumque noxarum ostenditur, maledico fastu plenus: versipellis et simplicitatis inimicus, commentator est culparum, et postremo uno nomine à cunctis malus homo vocabitur, in has ergo maculas prudentia immensurata perducet. *Ibidem.*

18. Præcogitati mali mollis ictus venit, ideo stultis fortunæ credentibus omnis videtur nova rerum inopinata facies. Sapiens autem assuescit futuris malis, et quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. *Sen. 77. epist.*

19. Quidquid á sapiente diligenter prævidetur, quum ad rem agendam perventum fuerit, facilius superatur, atque decernitur. Melius enim est ante tempus occurrere, quam post vulnus datum, remedium quærere: nam sibi non est cavendi tempus in medio malorum. *Sen. de mo.*

20. Bonum est in alieno malo fugienda intueri. Ruina præcedentium docet posteros: et cautio est semper in reliquum lapsus anterior: ex vitio enim alterius sapiens emendat suum: et ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus. Indemnis autem est castigatio, quam persuaserunt extranei, juxta illud: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. *Senec. de Prov.*

21. Gravius nocet, quodcumque in expertum accidit. Melius est præcavere, quam pavere, utilius est erubescere, quam pavescere. *Ibidem.*

22. Excludenda sunt omnibus modis languor á corpore, imperitia ab animo, luxuria á ventre, a civitate seditio, á domo discordia, á cunctis rebus intemperantia. Duorum temporum maxime habenda est cura: mane et vespere: in altero gerenda prospice: in altero respice quæ gessisti. *Pytha. in præcept.*

23. Prudentis est, ne quem in casum incidat, cavere: et si quod forte acciderit, fortiter ferre. Fortis nemo potest judicari, nisi et prudens fuerit. *Soc. in suis sent.*

24. Virtus sine sapientia temeritas periculosa putanda est. Quid prudentis opus est? eum posse et nolle nocere. Quid stulti proprium? non posse, et velle nocere. Quænam summa boni mens? quæ sibi conscia recti. *August.*

Vide etiam in tit. Consilium, núm. 6, 26, 29, 34. in tit. Liberalitas, núm. 11. in tit. Prælatio, núm. 23. in tit. Sapientia, núm. 23. in tit. Timor, num. 30. in tit. Tribulatio, núm. 16.

PUSILLANIMITAS.

1. Segnissimi est torpere, cum se ad provectum cognoscat invitasse. *Cass. lib. 15. epist. 1.*

2. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, quum vocatur ad regnum. Jacens animus plebeum numulum thesauris regalibus anteponit: pauper sensus, qui parvis incumbens, perdit magna, et inhians temporalibus perdit sempiterna. *Pet. Chrys.*

3. Contentus esto negotiis, in quæ descendisti: nec luctare cum officio, quod semel cepisti. Turpe est oneri cedere. *Seneca.*

4. Remissio, quæ os prælati obstruit, quæ mentem ejus dejicit, quæ adulatorem et venditorem olei facit, dum sibi quietem et honorificentiam venatur in favorem principum, hæc miseros præcipitat in foveam

scandalorum: hæc est remissio, per quam unus ædificat parietem, et alius linit: per quam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur: imo per hanc canes muti non valentes latrare per consensus uniformitatem, faciem et similitudinem peccatorum assumunt, sicut scriptum est: Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? *Pet. Chrys. in quad. epist.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 18. in tit. Discretio, núm. 6, 15. in tit. Exemplum, núm. 8. in tit. Fortitudo, núm. 11, 12, 20. in tit. Ira, núm. 13. in tit. Labor, núm. 11. in tit. Loquacitas, núm. 7. in tit. Perseverantia, núm. 6. in tit. Prælatio, núm. 2. 9. in tit. Solicitudo, núm. 15, 16.

QUÆRERE DEUM.

1. Quærite faciem ejus semper. Si semper quæritur, quando invenitur? An semper dixit in tota vita, quia hic vivitur? ex quo hic debere nos facere cognovimus, quando et inventus quærendus est. Jam Deum invenit fides, sed adhuc eum quærit spes, charitas autem et invenit eum per fidem, et eum quærit habere per spem: ubi tunc sic invenitur, ut ultra non quæratur? Forte quum facie ad faciem eum videbimus sicuti est, adhuc perquirendus erit, et sine fine quærendus, quia sine fine amandus. *Aug. super Psalm. c. 4.*

2. Quæramus inveniendum, quæramus inventum: ut inveniendus quæratur, occultus est, ut inventus quæratur, immensus est. *Aug. super Joan.*

3. Si homo ita creatus est, ut per id quod in eo præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, id est, unum, verum, optimum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit, ipse quæratur, ubi nobis secura sunt omnia: ipse cernatur, ubi nobis omnia certa sunt: ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia. *August. de civ. Dei.*

4. Quid difficilius? quid solet dulcius inveniri? *Aug. super Psal. c. 3.*

5. Quærite Dominum dum inveniri potest: modo non videtur Dominus, et prope est. In judicio videbitur, et prope non erit, nec dum in judicio apparuit, et si quæratur invenitur, nam miro modo, quum in judicio apparuerit, et videri potest, et inveniri non potest. *Gregor. lib. mo. 27. cap. 10.*

6. Nemo te Domine quærere valet, nisi qui prius invenerit. Vis ergo inveniri ut quæraris, quæri ut inveniaris: potes quæri et inveniri, non tamen præveniri. *Bern. de dilig. Deo.*

7. Si nolumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter: quæramus frequenter: quæramus perseveranter, ut nec quæramus pro illo aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud convertamur. Facilius enim est cœlum et terram transire, quam ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, et sic pulsanti non aperiatur. *Bern in serm. 24.*

8. Si non vendideris omnia nec emes: et si animam non habueris solicitam, et querentem, non invenies. Duo enim oportet adesse, et á vitæ hujus negotiis abesse et vigilantem esse. *Chrys. super Matth. 15.*

9. Id quære, quod potes invenire: id disce, quod potes scire: id opta, quod optari bonis potest. *Senec. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Deus, núm. 24.

RAPINA.

1. Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, ubi putas mittendus erit, qui invasit alienam? Si cum diabolo ardet, qui nudum non vestivit, ubi putas arsurus est, qui expoliavit? Non nocent mala præterita, si non placent. *Aug. de verb. Dom. serm. 4.*

2. Si pœnale est clanculo auferre, multo majoris pœnæ est, violenter eripere. *Aug. serm. in 4. Do. xt.*

3. Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt, nisi prava regna? hoc malum tantum crescit, ut et loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjuget, et evi-

dentius regni nomen assumat. Quod ei jam in manifesto confert non dempta cupiditas, sed addita impunitas, ideo eleganter et veraciter Alexandro magno quidam Pirata comprehensus, respondit cum ab eo interrogaretur, quid sibi, ut mare haberet infestum: ille libera voce, quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? sed ego, exiguo navigio facio, latro vocor: quia tu magna classe imperator. *Aug. 4. de civit. Dei. c. 4.*

4. Nostri quoque principes cum pauperes delinquentes publice arguant et confundant, divitibus pejora peccantibus, nec nullum faciunt, in quorum domibus sunt rapinæ, dum Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, et in deliciis abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur: et sibi reservant, nec propinquis distribuunt, et aliorum inopiam suas vel suorum faciunt divitias. *Aug. in glo. super Isai. 5. Atteri.*

5. Quid recipiet, qui aliena tulit, si semper ardebit qui sua non dedit? *Rab. super Matth. 46. Esurivi.*

6. Si sterilitas in iguem mittitur, rapacitas quid meretur? aut quid recipiet, qui alienum tulerit, si semper ardebit, qui de suo non dederit? Et si judicium sine misericordia erit illi qui non fecerit misericordiam, quale judicium erit illi, qui fecerit et rapinam. *Vulg. tract. ill. Matth. 'Omnis arbor, etc.*

8. Sicut ovis tondentem se non increpat, ita nec justus cupiditatem se expoliantis accusat. *Cass. super Psalm. 8.*

9. Pauperibus non dare tulisse est: et merito, quando quis potest esurientibus subvenire, si non pascit, exlinguit. Pudeat illis tollere, quibus jubemur offerre. Ultra omnes crudelitates est, divitem velle fieri de exiguitate mendici. Amentur honesta lucra: horreantur damnosa compendia. Nullus audeat inde tollere, quod debet collectum dispergere: addendo perdit, qui retinendo colligit, et paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit. *Cass. lib. 5. epist.*

10. Quis dicat utile, hominem incommodo alterius suum commodum augere, et alterum alteri aliquid

detrahere? hoc est magis contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor: nam principio convictum hominum tollit. Si enim hæc affectio nobis insit, ut quisque propter suum emolumentum spoliet, aut violet alterum, necesse est dirumpi societatem humani generis, quæ est secundum naturam: ut si unumquodque membrum putaret se plus valere, si proximi membri ad se valetudinem traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset: ita est et in humana societate: nam sicut concessum est, ut quisque malit sibi acquirere, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri: et hoc natura non repugnante: ita non patitur natura, ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. Et si contra naturam magis detrahere alteri, sui commodi causa quam mors, quam dolor: ita magis secundum naturam, pro omnibus, si fieri posset, labores et molestias in maximis voluptatibus. *Tullius in sua Rhetor.*

11. Rapina est, ex avidæ mentis impetu violenta alienarum rerum distractio. *Ibidem.*

12. Quæsitum erat á Socrate cur rideret: respondens ait. Video magnos latrones ducentes parvum latronem ad suspendium, qui digniores sunt suspendio. Sacrilegia, inquit, minuta puniuntur, sed magna in triumphis feruntur. *Val. Max. lib. 7.*

13. Nulli, cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti duravit in posterum. *Sen. 57. epist.*

Vide etiam in tit. Crudelitas, núm. 2. in tit. Ecclesia, núm. 13. in tit. Eleemosyna, núm 6, 28. in tit. Jactantia, núm. 4. in tit. Liberalitas, núm. 7, 8. in tit. Restitutio, núm. 1, 3. in tit. Timor, núm. 20. in tit. Voluntas, núm. 11.

RECONCILIATIO.

1. Si absens est, vade non pedibus corporis, sed animo humili te prosternas in conspectu ejus, cur oblaturus es: si præsens est, revocandus est ad amorem, ab eo veniam petendo, si eum læsisti: vel si te

leserit, dimittendo cordis rancorem. *Ambr. super Matth. 5. Vade prius reconciliari.*

2. Non quæritur quid vel quis fuerit, sed quid sit, prælerita enim nec condemnant nec judicant. *Ambr. super epist. ad Gal.*

3. Sciendum, quod ille recte delicti sui veniam postulat, qui prius hoc, quod in ipso delinquitur, relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur, dicente veritate: *Si offers munus tuum, etc.* Qua in te pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, qua nec munus accipitur, nec proximus reconciliatur. Debemus itaque ad proximum quamvis longe positum longeque disjunctum mente ire, eique animum subjicere, humilitate ac benevolentia placare. *Greg. lib. 4. dialog.*

4. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: si verbis, verbis, si factis, factis. Non enim quem factis læsisti, sine factis placaveris. Sine causa oras ad Deum, sine causa eleemosynas facis de rebus, quibus alios spoliasti. Qui enim prodest, si unus ad Deum pro te orat, et alius adversum te Deum interpellet? juxta illud Ecclesiast. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus. Chrys. super Matth. 5. Vade prius recons.*

5. Frustra propitiari sibi Deum quærit, qui cito placari in proximum negligit. *Isid. de summ. bono. lib. 3. c. 27.*

6. Si tantummodo non lædas eum qui te læsit, avertas te tamen ab eo, nec libenter enim videas: manet sine dubio vulnus in pectore, et dolor augescit in corde. Quod si est, nondum utique, quod Christus mandavit, expletur. Numquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum? ut non te quidem lædat, avertat se tamen á te et peccatorum tuorum memoriam teneat, et videre te nolit? Igitur qualem vis erga te esse Deum, quum delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his, qui deliquerunt in te. *Chry. lib. de comp. cord. tract. illud Matth 6. Et dimit.*

7. Dissensio ab aliis, á te reconciliatio incipiat:

quum ignoscis ita beneficium tuum tempera, ut non ignoscere videaris, sed absolvere: quia gravissimum pœnæ genus est, contumeliosa venia. *Sen. in lib. de morib.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 32. in tit. Eleemosyna, núm. 3. in tit. Odium, núm. 12. in tit. Venia, núm. 19.

REGIMEN, SIVE REGERE.

1. Recta domus, ubi vir imperat, fœmina obtemperat. Rectus ergo ille homo ubi spiritus imperat, caro servit. *Aug. super Joan.*

2. Pro omnibus tibi subjectis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes. *Aug. in ep. ad quendam comitem.*

3. Omnia indigent Domino, et misera et felicia, quia sine illo miser non sublevatur, et felix non regitur. *Aug. super Psal. 32.*

4. Quicumque proprium corpus subegerit, nec ejus passionibus turbari animam suam rector sui congrua vivacitate permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur: quod regere se noverit, et arbiter sui juris sit, ne captivus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. *Ambr. sup. Psalm. Anima mea in manibus meis.*

5. Omnis, qui dispensandis terrenis rebus præsidet, occulti hostis jaculis latius patet. *Gregor. in moral.*

6. Magnopere curandum est, ut qui regendis hominibus præfertur, apud se intra secretarium mentis in cathedra præsideat humilitatis: quumque judicanti ei á cæteris foris adsistitur, vigilanti oculo incessanter adspiciat, cui quandoque judici ipse de his judicandus adsistat, ut quanto nunc ante eum, quem non videt solicitus trepidat, tanto eum, quum viderit, securior cernat. *Ibidem.*

7. Bene sancti viri, scripturæ sacræ testimonio reges vocantur: quia prælati cunctis motibus carnis,

modo luxuriæ appetitum infrenant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt: reges ergo sunt, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. *Gregor. lib. moral.*

8. Sæpe suscepta cura regiminis cor per diversa diverberat, et impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. *Gregor. in pastoral.*

9. Re vera mihi videtur esse ars artium, et disciplina disciplinarum, hominem regere, qui certe est inter omnes animantes maxime et moribus varius, et voluntate diversus. *Greg. Naz. in apolog.*

10. Sæpe á disciplinæ meto resolvimus subditos: si nostro regimini hilaritatis fræna relaxamus: quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audacius ipsi ad illicita resolvuntur. *Gregor. in moral.*

11. Summus locus bene regitur, quum is, qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur. *Greg. 3. moral.*

12. Caput quippe subjectorum sunt cuncti, qui præsunt, et ut recta pedes valeant itinera carpere, hic proculdubio caput ex alto providet, ne á profectus sui itinere pes torqueat, quum curvata corporis rectitudine caput sese ad terram declinat. *Gregor. in pastoral.*

13. Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, sic regibus sibi adversantibus populus regni vexatur. *Chrys. super ill. Matth. Herodes. etc.*

14. Quemadmodum videns arborem foliis pallentibus marcidam, intelligis quod aliquam culpam habeat circa radicem: ita quum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quod sacerdotium ejus non est sanum. *Chrys. in tract. de symbolo.*

15. Tunc totum Reipublicæ corpus roboris sui integritate vigebit, tunc optimæ compositionis specie venustabitur, et elegantis pulchritudinis decorem induet si singula quæque locum teneant sortita decenter, si

fuerit officiorum non confusio, sed distributio. *Chrys. in polycrat. lib. 1.*

16. Principatus non sanguini debetur, sed meritis, et inutiliter regnat, qui rex nascitur et non meretur. *Ibidem. lib. 4.*

17. Nulla gens est ita sollicita circa regem suum sicut apes, unde regi incolumi omnibus mens una est: amisso rumpere fidem, constructaque mellia destruere: et quando nequit volare fert ipsum turba apum, meliorem pugna querunt, et si moritur, moriuntur et ipsæ. *Ibidem. lib. 7.*

18. Tunc civitates bene ordinatæ, tunc sanctæ Ecclesiæ res recte aguntur, quum et fortiores viribus, necessariis insistunt operibus et seniores majori prudentia prædíti, de iis quæ agenda sunt, salubriter consulunt. *Rab. in glo. super illud Prov. 20. Exaltatio juvenum. etc.*

19. Qui præsunt populis, si volunt firmum esse solium, semper hilaritate et gratia vultus plenos exhibeant, ne per arrogantiam rigidi plebis odium incurrant. *Ibid. in glo. super illud Prov. 22.*

20. Reges á recte agendo vocati sunt ideoque recte faciendo, regis nomen tenetur, peccando amittitur. Recte ergo illi reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subjectos bene regendo modificare noverunt. *Isid. lib. 9. c. 3. et lib. c. 48. de sum. bon.*

21. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi, contra fidem et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur. *Isid. lib. 3. de sum. bon. c. 55.*

22. Non caret regia potestate, qui corpori suo noverit rationabiliter imperare Vere dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ, nec potest fieri, ut non grandi pondere ruinæ super hominem voluntas propria cadat, si voluntati sui superioris extollendo eam præponat. *Prosp. in suis sent.*

23. Publici decoris mater, est mens regentis et quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis adspectum. Facilius est quippe, si dicere fas est,

errare naturam, quam dissimilem princeps possit formare Rempublicam. Is enim potest alios regere, qui se studuit sub decore tractare. *Cass. lib. 5. epist.*

24. Tuta est conditio subjectorum, ubi vivitur sub æquitate regnantium: principis autem opinionem longe lateque disseminat subjectorum custodiata securitas. *Ibid.*

25. Qui Reipubl. statum, et generale cupit stare fastigium, ad universa debet esse solicitus: quia non est salus in corpore, nisi quam et membra potuerunt obtinere. *Cass. lib. 5. epist.*

26. Communis provincialium sermo est, annum bonum non tam de magnis fructibus, quam de juste regnantibus existimandum. *Boët. lib. 1. de consol.*

27. Sententia Platonis est: Beatas fore Respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. *Ibidem.*

28. Inter homines antiquorum optimus animorumque rector eligebatur: ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat esse potentior, nisi melior. *Sen. 5. epist. extremæ partis.*

29. Quomodo aut cui tandem hic libere imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrænet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam: cæteras animi labes repellat: tunc incipiat aliis imperare, quum ipse improbissimis dominis dedecori ac turpitudini parère desierit, dum quidem his obediet, liber habendus omnino non erit. *Sen. lib. 10. rhet. sua.*

30. Inexpugnabile munimentum, amor civium. Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis? Quis huic audeat struere aliquod periculum sub quo justitia, pax, securitas, dignitas florent? sub quo opulenta civitas copia bonorum omnium abundat? *Sen. de clement. ad Neronem.*

31. Ut in corporibus, sic in imperio gravissimus est morbus, qui á capite diffunditur. *Senec. in quad. epist.*

32. Si vis omnia tibi subjicere, te subjice rationi. Multos reges, si te ratio rexerit, ab illa disces, quid et quemadmodum aggredi debeas. *Ibidem.*

33. Gentes barbaras impatientesque alieni arbitrii facilius est regere, quam animum suum continere, et sibi tradere. *Ibidem.*

34. Simul ista mundi rector, Deus posuit, odium atque regnum, qui ergo odia nimium timet regnare nescit. *Ibidem.*

35. Sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur: hoc est, regnum, nolle regnare cum possis: Vis ergo regnum tibi dari magnum? rege teipsum. *Ibidem.*

36. Illud regnum in gradu æterno facile steterit, ubi minimum virium veneris pecuniæque cupido sibi vendicaverit. *Socrates in suis exhortatio.*

37. Qui multarum habet potestatem rerum, primum purgare conscientiam debet, ut quæ delicta corrigit, non admittat, vitetque quod vindicat. Stultum enim est, ut velit quis aliis imperare, cum sibi ipsi imperare non possit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 14. in tit. Cor, núm. 13. in tit. Correctio, núm. 21. in tit. Electio, núm. 3, 21. in tit. Fama, núm. 7. in tit. Honor, núm. 3. in tit. Ira, núm. 37. in tit. Justitia, núm. 24. in tit. Odium, núm. 18. in tit. Pax, núm. 6, 26, 27. in tit. Pœnitentia, núm. 15. in tit. Perfectio, núm. 12, 13. in tit. Philosophus, núm. 8. in tit. Potestas, núm. 7, 8, 9. in tit. Prælatio, núm. 18, 19, 20, 21, 38. in tit. Rapina, núm. 34. in tit. Sapientia, núm. 10. in tit. Servitium, núm. 1.

RELIGIO.

1. Non propterea in Christiana militia ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur, nullo enim modo decet, ut in ea vita ubi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, et quomodo veniunt relictis deliciis suis, qui fuerunt prædiorum domini, ibi sint rustici delicati. *Aug. de opere monach.*

2. Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis

omnia communia, et distribuatur unicuique vestrum á præposito vestro victus et tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit: sicut legitur in Actibus Apostolorum, quia erant eis omnia communia, et distribuebatur singulis, prout cuique opus erat. Qui aliquid habebant in seculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter voluerunt illud esse commune, qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere poterant: sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etiamsi pauperies eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire: tamen non ideo putent se felices esse, quia invenerunt victum et tegumentum, quale foris invenire non potuerunt: nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant, et terrena bona non quærant, ne incipiant esse monasteria divitibus utilia, non pauperibus, si diviles illic humiliantur, et pauperes illic inflantur. *Ibid. in regula tertia.*

3. Sed rursus etiam illi, qui aliquid videbantur in seculo esse, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt: magis autem studeant, non de parentum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari: nec extollantur, si communi vitæ de suis facultatibus contulerint aliquid, nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas monasterio partiuntur: quam si eis in seculo fruerentur: alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: superbia vero in bonis operibus insidiatur, ut pereant. Et prodest dispergendo dare pauperibus, et pauperem fieri, si anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? *Ibidem.*

4. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores: nec illos feliciores esse putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur: quia valent, quod non valent illi. *Ibidem.*

5. Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ: homo sum, et inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quam arca Noë, ubi tantum inter octo homines unus reprobus inventus est: aut melior sit quam domus Abrahæ, cui dictum est: Ejice ancillam et filium ejus: aut melior sit, quam domus Isaac: cui de duobus geminis dictum est in Malachia: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram nostro Domino Deo, qui est testis mihi super animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quoniam sicut difficile sum expertus non esse meliores, quam qui in mundo profecerunt, ita non sum deteriores expertus, quam qui in mundo defecerunt: hinc arbitror dictum in Apocalypsi: *Justus justificetur adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc. August. in epist.*

6. Amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus existimatio vestra lædituri, et infirmis offendiculum ponitur, et ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum, sed per angustam et arctam viam regnum Dei quærere. *Aug. in lib. de opere monach.*

7. Latro est, et domum Dei convertit in speluncam latronum, qui lucra de religione sectatur, cultusque ejus, non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. *Hier. super Matth. lib. 4.*

8. Pudet dicere, de cavernis cellularum urbem damnamus in sacco et cinere, veluti de ipsis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus, qui alios vult regere, et alios judicare: et á nemine regi, á nemine judicari? *Hier. in epist. ad Marc.*

9. Sunt ditiores monachi, quam fuerant seculares: possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, et sustinet eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. Nepotianus noster aurum calcans, schedulas consectatur. *Hier. in epist. ad Heliod. Monach.*

10. Egyptiorum monasteria hunc tenent morem, ut nullum absque opere aut labore suscipiant: non

tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salvationem. *Hier. in epist. ad Rustic. monach.*

11. Numum addunt numo et marsupium suffocantes, matronarum opes venantur obsequiis. Modica esca in hamo ponitur, ut matronarum in eo sacculi protrahantur: sic bestiæ, sic aves, sic capiuntur et pisces, parum tribuunt, ut amplius accipiant, quæ magis venatio est appellanda, quam donatio. *Ibidem.*

12. Sæpe de vita proximorum querimur, mutare locum, conamur secretum vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adjuvat locus. Iste enim Loth, de quo loquimur, in Sodomis sanctus extitit: in monte peccavit. Quod autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui et in paradyso cecidit. Sed minus sunt omnia, quæ loquimur ex terra: nam si locus salvare potuisset, Satan de cœlo non caderet. *Greg. super Ezec. ho. 9.*

13. Quia terreni principes magna se Deo humilitate substernunt, pravi homines ideo ad fraudis argumenta vertuntur, quia illos religionem reverenti conspiciunt, ipsi cultum religionis assumunt: et bonorum vitam sub despectis vestibus, iniquis operibus premunt: mundi quippe dilectores sunt, qui hoc in se, quod homines venerantur, ostendunt: atque eis, qui vere se despiciunt, non mente, sed veste copulantur: quia præsentem gloriam amantes, assequi non possunt, quam despicientes sequuntur: honores enim fugiunt, ut honoribus obvient. *Grego. in moral.*

14. Multi de inchoata justitia laudari appetunt: præesse cæteris melioribus concupiscunt, quos plerumque dum juxta votum præsens prosperitas sequitur, multo plus: quam prius fuerant, de sanctitatis habitu pejores fiunt. *Ibidem.*

15. Cuncta solicite fugiens portum monasterii petii, et relictis quæ mundi sunt, ut frustra tunc credidi, ac ex hujus vitæ naufragio nudus evasi: quia enim plerumque navem incaute religatam etiam de sinu tuti littoris unda excutit, quum tempestas excrescit: repente me sub prætextu ecclesiastici ordinis in causarum secularium pelago reperi, et quietem monasterii quam habendo fortiter tenui: quam stricte tenenda fuerit perdendo cognovi. *Greg. in prolo. mon.*

16. Eo quoque tempore, quo ad ministerium altaris accessi: hoc demum ignorante me actum est, ut sacri ordinis pondus acciperem, quatenus in terreno palatio licentius excubarem. *Ibidem.*

17. De religiosis, et bene ordinatis monasteriis nullus professorum meo consilio, nec arctiori quidem desiderio sine licentia sui senioris egreditur, egressus tamen, si melius invenerit et elegerit, meo nihilominus jam consilio non regreditur ad inferius bonum, quod reliquerat, et contempserat pro meliori. *Bern. de præn. et dispen.*

18. Attende diligenter quid diligas, quid metuas, non gaudeas vel contristeris, et sub habitu religionis animum secularem, et sub pannis conversionis invenies cor perversum. *Bern. in serm. 56.*

19. Video quiddam, quod sine dolore videri non debet: post aggressam Christi militiam rursus implicari secularibus, rursus terrenis cupiditatibus immergi: cum magna cura erigere muros, et negligere mores: sub prætextu quoque communis utilitatis verba vendere divitibus, et matronis salutationes, sed et contra sui imperatoris edictum concupiscere aliena, et sua cum lite repetere: ita nec se mundo, nec sibi mundum crucifixerunt: ut qui ante vix in suo vico vel oppido cogniti fuerunt, modo circumeuntes provincias, et curias frequentantes regum notitias, principum familiaritates assecuti sunt. *Bern. ho. 4. super missus est.*

20. Video, quod non parum doleo, post spretam seculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, et impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in seculo. *Ibidem.*

21. Plerique in domo Dei non patiuntur in contemptu haberi, qui in sua domo non nisi contemp-

tibiles esse poterant: ut quia videlicet ubi á pluribus honores appetuntur, ibi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. *Ibidem.*

22. Inhumane redarguis opera eorum, quorum refugis onera: temerarie objurgat virum revertentem de prælio mulier manens in domo, dico enim si is, qui de claustro est, eum qui versatur in populo, interdum minus discrete, minusve circumspecte sese agere deprehenderit: v. g. in verbo, in cibo, in risu, in ira, in judicio, non ad judicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum: Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens. Nam tu, qui in tui custodia vigilas, bene facis: sed qui juvat multos, melius facit et virilius: quod si implere non sufficit absque aliqua inæqualitate vitæ conversationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta sunt contra geminam tentationem: quæ sæpe viri religiosi Episcoporum vel ambire gloriam, vel excessus temere judicare, diabolicis instigationibus incitantur. *Bern. super cant. serm. 12.*

23. Tu qui in congregatione es, bene vive ordinabiliter tibi sociabiliter et humiliter: ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. *Bernar. in quod. serm.*

24. Qui secundum regulam vivere statuunt: et si non ad unguem, ut dicitur, totam custodiunt, et si qua pro sui claustri ritu vel mutant vel prætermittunt, á regulari tamen professione non discedunt, dum tamen sobrie et juste et pie pro moribus vivere non desistunt. *Bern. de pœn. et dispen.*

25. Claustralis paradysus ad suavem spirans austri clementiam, quasi tot floribus vernat, quot virtutibus abundat. Dum enim diabolus officinas fratrum circuit: debet eum fugare ab oratorio devotio, á refectorio lectio, á dormitorio stramenta vilia, á capitulo patientia. *Bern. in quadam epist.*

26. Non vultis esse contenti communi vita, non sufficit vobis regulare jejunium: non solemnes vigiliæ,

non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis vel alimentis: privata præfertis communibus, qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis intromittitis? Nam illam, qua toties Deum conscientiis vestris testibus offendistis propriam, scilicet voluntatem vestram, ecce nonne iterum magistram habetis non me? illa vos docet naturæ non parcere: rationi non acquiescere: seniorum consilio vel exemplo non obtemperare, nobis non obedire: an ignoratis quia melior est obedientia, quam victimæ? Non legistis in regula vestra, quod quidquid fit sine voluntate vel consensu spiritualis patris, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. *Bern. super cant. serm. 19.*

27. Si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur: imo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. *Bern. in quod. serm.*

28. Felix domus, et beata semper congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur: nam Mariam Marthæ æmulari indignum prorsus est. *Bern. in quad. epist.*

29. Abundans est pauperi religio, mediocri sufficiens, tolerabilis diviti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, perversis severa, bonis optima: hæc sunt beneficia religionis. *Hugo. de claustro animæ. lib. 1.*

30. Quatuor sunt in habitu religionis notabilia: scilicet utilitas et superfluitas, paucitas et pretiositas: in utilitate vana gloria et simulatio, in paucitate intolerantiæ sine desperatio, in preciositate superbia, aut delectatio, in superfluitate vero amor seculi, non amor cœli, amor palatii, non paradysi notatur. *Ibid.*

31. Habet enim lex claustralium judices, et testes atque consiliarios suos: In lege etenim domini duo testes sunt: vita et conscientia, duo judices, meditatio et scientia, duo consiliarii, amor Dei et proximi. Bonus testis, bona vita, bonus judex, bona conscientia: coram Deo testis est conscientia, coram homini-

bus vita. *Hug. lib. de claust. animæ. de 12. abusionib.*

32. Qualis debet esse religionis habitus ostendit Apostolus, *non in veste pretiosa, etc.* sed hodie cappa canonici; et cuculla monachi non differunt á pallio militis. Sed, ut ait quidam sapiens miles et monachus ex eodem panno partiuntur: ille sibi cucullam, ille chlamydem: non multum differunt habitus canonici regularis et secularis. Sed si forte regularem videas, archidiaconum vel episcopum te vidisse contendas. *Ibidem.*

33. Quam detestanda perversitas in monasterio, et ubi fiunt divites laboriosi, sint pauperes delicati, qui in seculo pauperiores vixerant, quam nunc in claustro vivant: et nunc in monasterio quærunt, quæ foris habere non poterant. Mentior ego, si non vidi, quorum talis paupertas erat, quando foris erant, quod nec ipsa necessaria invenire poterant, erigentes sibi mentem noluerunt sociari his, ad quos foris accedere non audebant, et qui ante conversionem lectulum proprium nusquam habebant, nunc si forte voluntas eis fuerit eundi alicubi, ornamenta lecluli secum portant. Vidi et ego ni fallor, monachum camisia vestitum jocantem et dicentem: et charior est stamina, quam camisia, tunica vero vestiri magna est difficultas. Sed forsitan dices: quoniam infirmus erat hujusmodi: imo sanus et petulans, et pingui residens equo, abundans rebus et curias frequentans: qui tamen ante conversionis habitum, pedes ire consueverat, nec sæpe lineis induebatur. *Ibidem.*

34. Norunt multi quod saturitatem ventris sequitur levitas operis, et vanitas mentis. Scriptum est enim, *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexit ludere:* ludere, inquit, non legere. Sunt qui post delicati cibi fercula, cum in claustro sedeant, non lectioni et silentio, sed rumoribus et curiositati vacant: qui locum loquendi et tacendi nusquam et nunquam servant, sed instabiles et otiosi nunc hos, nunc illos ad loquendum vocant. *Pone* inquit *ori meo custodiam, et ostium circunstantiæ labiis meis:* ostium dixit, non murum. Si enim murus poneretur, loquendi licentia omnino negari videretur, sed ostium ponitur, quod tempore et loco clauditur et aperitur. Est tempus et locus tacendi, et loquendi. Aperitur itaque ostium hora constituta, scilicet in claustro lectioni, in capitulo confessioni, in ecclesia orationi. Item clauditur ostium in claustro confabulationi, in capitulo contentioni, in ecclesia vanæ modulationi. *Ibidem.*

35. Gaudent multi claustralium, quum de regibus fabulantur, dum casus militum narrant, dum pro illis loquuntur, á quibus non agnoscuntur, multorum partes defendunt, pro multis irascuntur, pro multis litigant, ignorant tamen quod negant, aut quod affirmant. *Ibidem.*

36. An nescis diabolum expulsum á capitulo cœli, Adam á capitulo paradysi, Judam á capitulo Christi? Primum capitulum fuit in cœlo, secundum in paradyso, tertium in horto: in unoquoque tamen præerat Deus. In primo culpa superbiæ, in secundo inobedientiæ, in tertio avaritiæ. De primo dicitur, *Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis altissimo.* De secundo dicitur. *De ligno scientiæ boni et mali ne comedatis.* De tertio dicitur: *Et retulit triginta argenteos, et projecit in templo:* pœna primæ culpæ casus, secundæ labor, tertiæ laqueus: de prima dicitur: *Vidi Satan tanquam fulgur de cœlo descendentem.* De secunda: *In sudore vultus tui vescéris pane tuo.* De tertia: *Laqueo se suspendit.* His tribus tres claustralium ordines assimilantur. Hi scilicet primi: quoniam sedem prælationis quærunt, et præesse non possunt: alii qui nec obedire volunt: tertii familiares magistris loculos portantes, et in occulto detrahentes. *Ibidem.*

37. Sunt enim quidam, qui mente vagi, oculis altoniti, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant aliud cantant, et aliud cogitant: in choro sunt corpore, et in foro mente: nunc intus, nunc foris exeunt, psalmodiæ verba proferunt, sed psalmodiæ sensum non intelligunt. Sunt alii voce dissoluti, qui vocis modulatione gloriantur: non tantum gaudent

de dono gratiæ, sed etiam alios spernunt. Tumentes elatione aliud cantant, quam libri habeant: et quanta est levitas vocis, tanta forsitan est et mentis, cantant forsitan, ut placeant populo, magis quam Deo: Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, et facis eam non tuam, sed suam. *Ibidem.*

38. Ego autem quomodo accedam, qui porto plumam struthionis in habitu religionis, ut non placeam moribus, sed vestibus. Quasi enim struthio volatum simulo: sed tantum pedibus terram tango volito habitu, sed tango affectu. Unde et veritas dicit: *Hi sunt, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus sunt lupi rapaces.* Exterius enim contegor ovis vellere, intus autem sævio cupiditate. *Ibidem.*

39. Superstitio dicitur veræ religioni superaddita falsa religio. *Hugo.*

40. Sunt quidam qui velut conversi ex pristinis moribus nihil abjiciunt: non mente mutantur, sed veste: non actu sed habitu. Hi sunt qui sermone tantum, non opere seculo renuntiasse contenti seculariter vivunt: et vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt: ac religionis imaginariæ nomine palliati, opinionem virtutis pro virtute suscipiunt: prædicant magna, nec faciunt, accusant vitia, nec deponunt publice sibi displicere simulant, quod occulte committunt: magni student videri, non fieri. *Prosp. de vita cont. l. 1.*

41. Laudant eos, quorum cupiunt prædicatione laudari, jejunant, ut vultus sui pallorem pernitiosis laudibus vendant. Ad reprehendendum alios prompti, sed non patiuntur á quibuslibet vel leviter reprehendi. Ad faciem publicam patientiam linguut, et in animo iracundiæ virus abscondunt: ad nocendum parati, quum nocendi tempus invenerint: suorum actuum negligentes fiunt, aliorum procaci libertate censores. Imprudenter adsunt virginibus sacris et viduis quibus conglutinantur affectu, ut facilius ab Ecclesiæ (quod dictu quoque nefas est) quam ab earum communione discedant: qui etsi cum illis forte non peccant, tamen malæ suspicionis de se præbendo materiam, vitam maculis sinistræ opinionis infamant. *Ibidem.*

42. Religionis affectus non solum devotione corporis, sed magis arcano geritur cordis. *Cass. super Psalm. 45.*

43. Hæc tria studia otiosorum sunt in claustro vagatio oculorum, superfluitas verborum, perversitas cogitationum. Hæc tria vitia ejiciunt fratrem de claustro. *Cass. super Psal. egrediebatur, foras et loqueb. etc.*

44. Ad professionem nostram pertinet, subjectione et abjectione gaudere, paupertatis studium quærere, et non solum facultates, sed etiam ipsas voluntates de cordibus eradicare. Nihil enim habere interdum, res necessitatis est, nihil autem cupere, virtutis. *Cæsarius in admonit. 25.*

45. Videre vocationem vestram fratres charissimi, venire ad eremum, summa perfectio est, non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. Quid prodest si in loco quies teneatur, et inquietudo in corde servetur? Si in habitatione sit silentium, et in habitatoribus, vitiorum sit tumultus, et coluctatio passionum? Si exteriora vestra serenitas teneat, et interiora tempestas. *Cæsarius in admonit. 28.*

46. Verus religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. *Euseb. in quodam serm.*

47. Juxta sententiam cordis mei: Si paradisus in hac vita præsenti est, vel in claustro, vel in scholis est. Quidquid enim extra hæc duo est plenum, est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine et dolore. *Petr. Chrys. in quodam serm.*

48. Spes fructuum relevat agricolam á labore, lortemque pugilem contemnere facit molestias ictuum spes coronæ, tibi quoque fuerint gravamina claustri, et gratæ servitutis officium expectatio jubilei. Nudus athleta fortius dimicat, natator exuitur, ut fluvium transeat? viator exoneratur á sarcinis, ut expeditus currat. *Ibidem.*

49. Religio est, per quam reverenti famulatu cerimoniæ divini cultus exercentur. *Tullius de natura deorum.*

50. * Cum in amicitia, quæ honesta non sunt, postulantur, religio et fides anteponantur amicitiæ. *Ibid. 3. offi.*

51. * Omnes religione moventur, et deos patrios quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos arbitrantur. *Ibid. 6. Actione in Verrem.*

52. * Religiones pie magis, quam magnifice coli debent. *Livius 1. Dec. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Abusio et Communitas, núm. 2. in tit. Contemplatio, núm. 4, 13. in tit. Devotio, núm. 13. in tit. Fraternitas et Jactantia, núm. 1. in tit. Hipocrisis, núm. 5, 6, 7. in tit. Mandatum, núm. 11. in tit. Monachus, Murmur, Obedientia et Ordo, núm. 4. in tit. Paupertas et Pax, núm. 20. in tit. Pœnitentia, núm. 1. 4. in tit. Perfeccio, núm. 5. in tit. Pietas, núm. 5. in tit. Relinquere et Sacerdos, núm. 1, 5. in tit. Sanctitas, núm. 6. in tit. Solitudo et Superbia, núm. 5. in tit. Tentatio, núm. 36. in tit. Voluntas, núm. 1, 2.

RELINQUERE.

1. Utilius terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbe relinquatur. *August. ad Pau.*

2. Quid prodest dispergendo dare pauperibus, et pauperem fieri, quum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? *August. de vita cle.*

3. Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfecte cognoverit, ea quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit. In comparatione illius vilescunt omnia, deserit habita congregata dispergit, inardescit in cœlestibus animus, nihil de terrenis libet deforme conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. *Greg. in ho.*

4. Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi forte ut Elisæus boves suos occidit, et pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica. *Ambr. lib. 2. de offic.*

5. *Ecce, nos reliquimus omnia, etc.* Grandis fiducia! Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte quærebat, et tamen loquitur confidenter, *Reliquimus omnia:* omnia enim reliquit, qui voluntatem habendi deseruit. *Hier. super Matth.*

6. Apostoli quantum ad divitias nihil: quantum ad voluntatem, totum mundum reliquerunt. *Ibidem.*

7. Licet in collo tuo parvulus dependeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, percalcato perge patre et siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re te esse crudelem. *Hieron. in quadam epist.*

8. Apostolici fastigii perfectæque virtutis est, omnia simul vendere, et pauperibus erogare, et sic expeditum, cum Christo ad cœlestia volare. *Hier. in epist.*

9. Festina quæso te, et habens in solo pedem, naviculæ funem magis præcide quam solve. *Ibidem.*

10. Facilius sacculus contemnitur, quam voluntas. Multi divitias relinquentes Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. *Hier. super ill. Matth. Si vis perfectus esse vade, etc.*

11. Gladium tenet hostis, ut perimat me, et ego de matris lachrymis cogitabo? *Hier. in epist. ad Heliod.*

12. Crates Thebanus, homo quidem ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit se simul posse virtutes et divitias possidere: Abite, inquit, malæ cupiditates; ego vos mergam, ne submergar à vobis: philosophus gloriæ animalis, et popularis auræ vile mancipium totam simul sarcinam deposuit. *Ibidem.*

13. Quasi quodam jugo servitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt adversa, dum formidantur. At si quis semel dominationem desideriorum tempo-

ralium á collo mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur. *Gregor. in moral.*

14. Multum enim reliquit, qui sibi nihil retinuit, multum reliquit, qui quantumlibet parum totum deseruit. Certe nos et habita ex amore possidemus, et ea, quæ non habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimiserunt, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit: multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta á non sequentibus concupisci potuerunt. *Greg. in hom. 5.*

15. Multa, fratres, relinquitis, si terrenis desideriis renuntiatis: exteriora enim nostra, quamvis parva, Domino sufficiunt: cor namque et non substantiam pensat: nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. *Ibidem.*

16. Quisquis divini stimulo amoris excitatus hæc possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit: ut simul judex tunc cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. *Greg. in ho. super illud. Vos qui reliquistis, etc.*

17. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, etc.* Ad se venientibus Dominus præcipit, ut renuntiemus nostris: quia qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo possident proprium: nudi ergo cum nudo luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. *Gregor. in 32.*

18. Si vultis, omnia retinendo relinquitis, ut cum tota mente ad æterna tendatis. Si enim nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta relinquitis. *Gregor. in hom.*

19. Illi, qui ex possessis rebus subsidia agentibus ministrant, in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, et aliquid sibi reservant. Qui vero nihil sibi reservant, offerunt holocaustum, quod majus est sacrificio. *Greg. super Ezech.*

20. *Ecce nos reliquimus omnia, etc.* Bene Petre, et non ad insipientiam tibi, nimirum quia exultavit, ut gigas, ad currendam viam, nec currentem sequi poteras oneratus. Non inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. *Bern. in coloqui serm. ad Petr.*

21. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates. Plus enim mundi concupiscentia, quam substantia nocet, et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valent possideri. Facile enim cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. *Ibidem.*

22. Age ergo, qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento: imo vere maxime et principaliter abnega temetipsum, si desideras sequi eum, qui se exinanivit propter temetipsum. *Ibidem.*

23. Zachæus, cujus laus est in Evangelio, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus: sed ego multos Zachæos hic video, qui nihil sibi ex omnibus reliquêre. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zachæis istis, imo de Petris istis, qui fiducialiter loquuntur Domino: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te?* sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ est scriptum, et signatum. *Bern. in ser. c. 5.*

24. Si itaque quis renuntiat omnibus, quæ possidet, et suis non renuntiat moribus, non est Christi discipulus: qui enim renuntiat rebus suis, sua abnegat: qui vero renuntiat suis moribus, seipsum videlicet abnegat. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

25. Nihil proderit pecunias non habere, si voluntas fuerit in nobis possidendi. Miserabile autem est paupertatis ac nuditatis æstus tolerasse: fructus vero earum pravæ voluntatis vitio perdidisse. *Joan. Cass. de institutione monach. lib. 7. c. 21. et 22.*

ralium á collo mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur. *Gregor. in moral.*

14. Multum enim reliquit, qui sibi nihil retinuit, multum reliquit, qui quantumlibet parum totum deseruit. Certe nos et habita ex amore possidemus, et ea, quæ non habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimiserunt, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit: multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta á non sequentibus concupisci potuerunt. *Greg. in hom. 5.*

15. Multa, fratres, relinquitis, si terrenis desideriis renuntiatis: exteriora enim nostra, quamvis parva, Domino sufficiunt: cor namque et non substantiam pensat: nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. *Ibidem.*

16. Quisquis divini stimulo amoris excitatus hæc possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit: ut simul judex tunc cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. *Greg. in ho. super illud. Vos qui reliquistis, etc.*

17. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, etc.* Ad se venientibus Dominus præcipit, ut renuntiemus nostris: quia qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo possident proprium: nudi ergo cum nudo luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. *Gregor. in 32.*

18. Si vultis, omnia retinendo relinquitis, ut cum tota mente ad æterna tendatis. Si enim nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta relinquitis. *Gregor. in hom.*

19. Illi, qui ex possessis rebus subsidia agentibus ministrant, in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, et aliquid sibi reservant. Qui vero nihil sibi reservant, offerunt holocaustum, quod majus est sacrificio. *Greg. super Ezech.*

20. *Ecce nos reliquimus omnia, etc.* Bene Petre, et non ad insipientiam tibi, nimirum quia exultavit, ut gigas, ad currendam viam, nec currentem sequi poteras oneratus. Non inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. *Bern. in coloqui serm. ad Petr.*

21. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates. Plus enim mundi concupiscentia, quam substantia nocet, et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valent possideri. Facile enim cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. *Ibidem.*

22. Age ergo, qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento: imo vere maxime et principaliter abnega temetipsum, si desideras sequi eum, qui se exinanivit propter temetipsum. *Ibidem.*

23. Zachæus, cujus laus est in Evangelio, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus: sed ego multos Zachæos hic video, qui nihil sibi ex omnibus reliquêre. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zachæis istis, imo de Petris istis, qui fiducialiter loquuntur Domino: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te?* sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ est scriptum, et signatum. *Bern. in ser. c. 5.*

24. Si itaque quis renuntiat omnibus, quæ possidet, et suis non renuntiat moribus, non est Christi discipulus: qui enim renuntiat rebus suis, sua abnegat: qui vero renuntiat suis moribus, seipsum videlicet abnegat. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

25. Nihil proderit pecunias non habere, si voluntas fuerit in nobis possidendi. Miserabile autem est paupertatis ac nuditatis æstus tolerasse: fructus vero earum pravæ voluntatis vitio perdidisse. *Joan. Cass. de institutione monach. lib. 7. c. 21. et 22.*

26. Nemo est, qui non habeat, quod dimittat. Universis renuntiavit facultatibus mundi, quicumque affectum possidendi eas radicitus amputavit. *Ibidem. c. 27.*

27. Nonnullos hujus mundi maximas facultates, et non solum multa auri et argenti talenta, verum etiam et prædiorum magnificentiam contemnentes: post hæc vidimus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoveri, qui si utique contemplationem cordis mundi fixam tenerent, nunquam utique pro parvis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, eadem penitus abjicere maluerunt: nam plerumque tanto zelo codicem servant, ut eum ne leviter quidem legi, vel contingi ab aliquo patiantur, et inde furoris occasiones et impatientiæ ac mortis incurrant: inde monentur stipendia patientiæ et charitatis acquirere. Cumque omnes divitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus parvis et minimis relentantes, et pro ipsis nonnunquam mobiliter irascentes, veluti qui non habeant Apostolicam charitatem ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur. *Ibidem. in 1. coll. abb. Moysi, c. 6.*

28. Prima abrenuntiatio, qua corporaliter universas divitias mundi facultatesque contemnimus. Secunda qua mores ac vitia affectusque pristinos animi carnisque respuimus. Tertia qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea, quæ sunt invisibilia, concupiscimus. *Ibid. in 3. coll. Abb. Pas. nutii. c. 6.*

29. Prima renuntiatio rerum alienarum est ideoque per se solam perfectionem renuntianti conferre non sufficit: nisi pervenerit ad secundam, quæ vere abrenunciatio rerum nostrarum est, quam adepti expulsione omnium vitiorum, tertiæ quoque abrenuntiationis fastigia conscendemus, ut ita demum illud supremum mereamus audire, quod dicitur ad Abraham: Veni in terram, quam tibi demonstravero, quia perfecte renuntianti tribuitur, ut terram promissionis intrare mereatur. *Ibid. c. 10.*

30. Pudet dicere, ita plerosque abrenuntiasse conspicimus, ut nihil amplius immutasse de interioribus vitiis ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantum atque habitum secularem. Nam et acquirere pecunias gestiunt, quas nec ante possederunt, quod famulos suos exinde, vel fratres alere se debere, justum esse contendunt, quibus profecto non proderit majores opes ac substantias contempsisse: quia affectus earum, ob quos illæ contemptæ sunt, in res parvas atque exiguas transtulerunt. Nam vitium cupiditatis atque avaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes non abscidisse, sed immutasse se probant pristinam passionem. Nam nimia devicti diligentia erga curam psiathii, sportellæ, sagelli, codicis mattæ, aliorumque similium rerum quamvis vilissimarum: eadem tamen, qua ante libidine delinent, et ab aliorum contrectatione defendunt, quæ universis fratribus debent esse communia. *Ibid. in collat. 4. Dan. c. 20. et 21.*

31. Quid differt, utrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species, nisi quod in eo reprehensibilior judicandus est: quod qui maxima spreverit, in minimis oblongetur? Ideoque perfectionem cordis abrenunciatio ista non obtinet, quia cum sensum habeat pauperis, non abjecit divitis voluntatem. *Ibidem.*

32. Hoc distat inter renunciare omnibus, et relinquere omnia: quia renunciare convenit omnibus qui ita licite utuntur mundanis, quæ possident, ut tamen mente tendant ad æterna. Relinquere, est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, et solis æternis inhiant. *Beda in glo. super Luc. 14. Qui non renunciaverit.*

33. Non sufficit ad perfectionem omnia relinquere, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur, id est, relictis malis, faciat bona. Facilius sacculus contemnitur, quam voluntas. Multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur. *Rab. in glo. super Matth. 19. Veni, etc.*

34. Quemadmodum qui amorem exuere conatur, evitanda est omnis admonitio corporis dilecti: nihil enim facilius, quam amor putrescit: ita qui deponere vult desiderium rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, et aures et oculos ab his, quæ reliquit, avertat. *Sen. 70. epist.*

35. Sunt quidam, qui quæstum contempserunt, nulli alii rei, quam quæstui vacantes. Excute illos qui quæ cupiere, deplorant, et de earum rerum loquuntur fuga, quibus vacare non possunt. *Sen. 12. epist.*

36. Veni, dixit: non tam incessu pedum, quam renovatione morum, quod est, non ambire terrena, non caduca lucra sectari, fugere honores infimos, contemptum omnium mundique, et cœlestia libenter amplecti, cunctis prodesse, amare, injurias nulli inferre, ac illatas patienter sufferre, sed et inferentibus veniam á Domino postulare: non suam, sed conditoris sui gloriam quærere, quidquid valet ad amorem supernorum, eligere: hæc et hujusmodi gerere, est vestigia sequi Domini. *Rab. in glo. sup. Matth. Veni et seq.*

Vide etiam in tit. Abusio, núm. 3. in tit. Apostoli, núm. 12. in tit. Avaritia, núm. 1. 9. in tit. Christus, núm. 14. in tit. Contemplatio, núm. 3, 4, 29. in tit. Contemptus, núm. 4. in tit. Gloria vana, núm. 9, 17. in tit. Honor, núm. 18. in tit. Liberalitas, núm. 6. in tit. Perfectio, núm. 4. in tit. Pietas, núm. 4. in tit. Virtus, núm. 9.

REMUNERATIO.

1. Manet spectator desuper cunctorum præscius Deus, bonis præmia, malis supplicia dispensans: nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque: quæ cum rectæ sint, ineficaces esse non possunt. Aversamini igitur vitia, virtutes colite, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelso porrigite: magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, quum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis. *Boët. de cons. lib. 5.*

2. Nutriunt præmiorum exempla virtutes: nec quisquam est, qui non ad munerum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur. *Cass. lib. 2. epist.*

3. Grave nimis est ut fructu laboris sui fraudetur industrius: et cui debet pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur injustum: et malorum omnium probatur extremum, ut inde quis cogatur detrimenta suscipere, unde credebat auxilia provenire, molestiam pati sine causa, pœnam sine culpa, damna sine delictis. *Ibidem.*

4. Tribuenda est justis laboribus compensatio meritorum, quia exprobata malitia creditur, si irremunerata transitur. Athletam populis palma designat esse victorem: sudores bellicos cincta corona testatur. Expectant equos etiam præmia sua, et tanta justitiæ vis est, ut nec illis tardius detur laboris pretium: qui sentire non poterant denegatum. Quod si ita est, dignum est hæc hujusmodi reddere, qui per honesta cognoscitur obsequia placuisse. *Ibidem.*

5. Æquum est enim ut unicuique proficiat labor suus, et sicut expendendo cognoscit incommoda, ita rebus perfectis consequatur augmenta. *Ibidem. lib. 3.*

6. Gloriosum quippe est honores passim impendere, sed laudabilius bene meritis digna præstare: quidquid enim talibus tribuitur, pro generali potius utilitate largitur. *Cass. lib. 4. epist.*

7. In lucrum cedunt, quæ bene meritis conferuntur, et de ipso munere magis acquiritur quum optimis digna præstantur. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Favor, núm. 5. in tit. Gloria æterna, núm. 14. in tit. Labor, núm. 4. in tit. Mandatum, núm. 10. in tit. Meritum et Mirabile, núm. 6. in tit. Otiositas, núm. 10. in tit. Opus, núm. 4. in tit. Peccatum, núm. 39. in tit. Sacerdos, núm. 35. in tit. Tentatio, núm. 2. in tit. Tribulatio, núm. 32.

RECIDIVATIÓ.

1. Nullum scelus coram Deo tam abominabile fit, quam præterita peccata unicuique nostrum dimissa, reminiscendo gaudere, et inde exultare. *Aug. in ep. ad quemdam comitem.*

2. Qui post lavacrum, mundi esse negligunt, qui post lachrymas vitæ innocentiam non custodiunt, lavantur quidem, sed mundi non sunt: quia commissa flere desinunt, et iterum flenda committunt. *Aug. in gl. super illud Eccles. 34. qui baptizat. etc.*

3. Post fletum non committas, quod iterum necesse sit flere, nec defendas quod male locutus es, et quod malitiosa mente concepisti, pessima facta ne replices. *Glo. super ill. Eccles. 19. Non iteres verbum ducis.*

4. Venisti per viam fornicationis, ambula per viam castitatis: venisti per viam avaritiæ, ambula per viam eleemosynæ: si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis Herodis. *Chry. super Matth. 2. Per aliam viam.*

5. Cogita, ô homo, graviorem esse culpam post veniam: renovatum vulnus pejus dolere post curam: molestius hominem sordidari post gratiam, quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat. Sanitatis indignus est, qui semetipsum postquam sanatus est, vulnerat, nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. *Chry. in ho. quad.*

6. Qui gaudet in bonis, quæ invenit, et recordatur mala, quæ evasit, difficile redit ad malum. *Ibid. super Matth.*

7. Plerumque utile est arrogantibus deseri à Deo, quatenus suæ infirmitatis conscii ad humilitatem redeant, ut humiles post casum existant. *Ibidem.*

8. Uniuscujusque casus tanto majoris est criminis, quanto priusquam caderet, majoris erat virtutis. *Isid. Ibidem.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 2. 23. in tit. Peccatum, núm. 7, 23, 27, 28. in tit. Pœnitentia, núm. 11. in tit. Verecundia, núm. 11.

RESTITUTIO.

1. Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti, quia non plus potuisti, ideo non plus fecisti. Qui alienum negat, si potuit, tollit. *August. de ver. Apo.*

2. Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem non veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed ut dixi, quum restitui potest. *Ad Mac.*

3. Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, et dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse, simile rapinæ, si quid inventum, non reddant. *Oriy. super Lev.*

RESURRECTIO.

1. Resurgent sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, sine difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erat. *August. in Enchir.*

2. Surrexit Christus, exultet universus mundus. Par etenim est, ut sicut omnis creatura lugubri doluit ploratu in morte Creatoris sui: et quæ funere noctis obscuro prosecuta est exequias in cruce morientis, nunc triumphalem ab inferis reditum læta suscipiat resurgentis. *August. in quod. serm. de Pasch.*

3. Ecce surrexit ab antro sepulchri redivina caro Phœnicis, quam cinnamomum decoxerat pietatis: granum frumenti quod solum in terra morbificatum est in passione, multum fructum attulit in resurrectione, solus enim mortuus est, sed solus minime resurrexit: quorum enim sepulchra in ejus passione sunt patefacta, horum corpora Christo resurgente sunt de pulvere suscitata: et sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur. *Ibidem.*

4. Tres mortuos invenimus á Domino resuscitatos

visibiliter, multos invisibiliter: quos autem mortuos invisibiliter suscitaverit, quis novit? Non enim scripta sunt omnia signa, quæ fecit, quæ si scripta essent, arbitror totum mundum non posse libros capere. *Ibid.*

5. Tres, scilicet filiam archisynagogi adhuc in domo jacentem, juvenem filium viduæ extra portam elatum, et Lazarum quatriduanum sepultum. Sunt tria genera peccatorum quos hodie suscitat Christus, delectationis, operis, consuetudinis. *August. de ver. Do.*

6. In hac die peccator de indulgentia desperare non debet. Si enim latro paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus? et si illi Dominus, quum crucifigitur, miseretur: multo magis miserebitur, quum resurgit. Nam si passionis humilitas tantum præstitit confitenti, resurrectionis gloria quantum tribuet deprecanti? Largior enim solet esse ad præstandum læta victoria, quam addicta captivitas. *Aug. sive Max. in serm. de Pasch.*

7. Raptus est Dei filius ab humanitate ad divinitatem in assumptione, á passibilitate ad immortalitatem in resurrectione, á minoritate ad patris æqualitatem in ascensione: quia quantus fuit descensus á sinu patris ad patibulum crucis, tantus fuit ascensus á patibulo crucis usque ad dexteram patris. *August. in glo. sup. ill. Apo. 12. Raptus est filius ejus ad Deum.*

8. Venit Christus, et completa sunt in ortu ejus, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia præconia prophetarum. *August. in epist. ad Volusian.*

9. *Hæc est dies, quam fecit Dominus, etc.* Quis dies? nempe ille, qui tribuit vivendi principium, lucis exordium, auctor luminis ipse Dominus Jesus Christus, qui de semetipso ait: *Ego sum, inquit, dies: qui per diem ambulat non offendit.* Est enim pascha vere anni principium, primi mensis exordium, novella germinum, reparatio á terræ hyemis nocte discussa, primi veris restituta jucunditas: in quo Deus defixa humo cœli machinam suspendens, diem Solis ardore radiavit, splendorem Lunæ solatio noctis attribuit, pendentem cœli cameram splendentium siderum decoravit ornatu. *Ambr. in epist. de misterio paschæ.*

10. In ipso raptu mors prævenit, et quasi per soporem egressa anima in momento redditur. *Ambr. super ill. Th. Repiemur cum illis.*

11. Cerne manus Judææ, quas fixeras, cerne latus Romane quod foderas: videte corpus, an idem sit, quod dicebatis clam tulisse discipulos. *Hier. in epist. ad Heliod.*

12. Redemptor noster suscepit mortem, ne morti timeremus: ostendit resurrectionem, ut nos posse resurgere confidamus. *Gregor. in Mor. super Job. Scio quod, etc.*

13. Non casu factum est, ut discipulis Dominum videntibus post resurrectionem, electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet. Non casu gestum est, sed videndo et palpando factus est testis veræ resurrectionis. *Greg. in ho. tract. ill. Jo. 20. Quia vidisti me.*

14. Quod discipuli tarde crediderunt, non tam infirmitas illorum, quam nostra firmitas fuit: nam illis dubitantibus, resurrectio multis argumentis monstratur: quia et comedit, et se oculis videndum, et manibus palpandum, et contrectandum præbuit, quod de solo spiritu esse non potest. Minus Maria Magdalene præstitit, quæ statim credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. *Greg. super ill. Matth. ult. Quidam autem.*

15. Sunt nonnulli considerantes, quod spiritus á carne solvitur, quod caro in pultredinem vertitur, quod putredo in pulverem redigitur, quod pulvis in elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur: resurrectionem fieri posse desperant, et dum arida ossa respiciunt, hæc vestiri carnibus rursum quoque ad vitam viridescere posse diffidunt: qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Nam per momenta temporum cer-

nimus arbusta viriditatem foliorum amittere, á fructuum prolatione post largitionem cessare, et ecce subito, quasi ex arescenti ligno, velut quadam resurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructus grandescere, et totam arborem redivivo decore vestiri. *Gregor. in moral.*

16. Consideremus parvum cujuslibet arboris semen, quod in terra jacitur, ut arbor ex illo producatur: et comprehendamus si possumus, ubi in illa tanta parvitate seminis tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit, ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum. Numquid non in semine tale aliquid videbatur, cum in terra jaceretur? Quid ergo mirum, si tenuissimum pulverem á nostris oculis in elementa redactum, quum vult Deus in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat. *Ibidem.*

17. In omni re aut actu, virtus agendi spes est futuri. Qui enim arat, arat ut metat, qui pugnat, pugnat ut vincat, et post pauca: tolle ergo spem resurrectionis, et resoluta est observantia omnis pietatis. *Chrys. super ill. Matth. 2ª. Qui dicunt.*

18. Si igitur resurrectio non est, neque Deus est, neque providentia est: tunc casu omnia feruntur et aguntur. Videmus enim plurimos justos esurientes et injuriam patientes: peccatores autem et injustos in divitiis et in omni voluptate abundantes, sed quis unquam hoc justi judicii, vel sapientis providentiæ opus bene sentiens suspicabitur? Erit ergo resurrectio: justus enim Deus est, et his, qui confidunt in eum, mercedis retributor. *Damasc. lib. 4.*

19. Proh dolor! tempus peccandi, terminus recidivandi, facta est resurrectio Salvatoris. *Bern. in serm.*

20. Resurget justus, ut judicet: peccator, ut judicetur: impius, ut sine judicio puniatur. *Cass. super ill. psalm. Non resurgent.*

21. Affligimur in ejus passione, gaudeamus in ejus resurrectione: sic enim possumus pii dici, si ejus dispensationibus meremur aptari. *Cass. super psalm.*

22. Est in Christo homine uniuscujusque nostrum caro, sanguis et portio: ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo: ubi dominatur sanguis meus, dominari me sentio: ubi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. *Ma. in se. in pa.*

23. Quia in paradiso mulier propinavit viro mortem, á sepulchro mulier viris annunliat vitam: et sicut occasione sexus muliebris fuit introductio mortis, ita hic ex pietate sexus muliebris nuntiatio vitæ, ut quæ viro transfundat culpam, transfundat et gratiam. *Rab. super illud Matth. ult. Ite renunc.*

24. Quod Apostoli resurrexisse Dominum mulieribus nuntiantibus, aut non credunt, aut deliramentum judicasse referuntur, graviter nemo arguat. Alte dubitat, qui altius credit: decipi non potest qui non est facilis audire. Ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus: rudis miles ad aciem concurrit, qui causam belli nescit, vim bellatoris ignorat: peritia autem est, non segnities, quum sensim miles veteranus accedit. *Pet. Chr. serm. 70.*

25. Desinunt ista non pereunt: etiam mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in luce reponet, dies æquo animo debet rediturus exire: observa orbem rerum in se remeantium. Æstas abiit, sed alter illam annus adducit: hyems occidit, referent illam sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. *Sen. 36. epi.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 30, 31. in tit. Ascensio, núm 3, 4, 8, 11, 22.

REVERENTIA.

1. Cham nuditatem patris irrisit, et semen suum in servitutem perpetuam damnavit. Absalon quoque David de regno expulit, et concubinas ejus infestavit, sed morte condignas pœnas luit. Elisæi calvitium pueri Bethel irriserunt, et duo ursi de saltu ex eis quadraginta duos laceraverunt: et puerilis stultitia Ju-

dæorum in Calvariæ loco Christum crucifixum irrisit, sed quadragesimo secundo anno post ascensionem ejus duo ursi, Vespasianus et Titus de saltu gentium egressi, illusores sævissime laniaverunt. *Glo. Eccl. 3. sup. ill. Honora patrem tuum, etc.*

2. Boni reverendi sunt, ne offendantur: ne fortasse per eos ille provocetur ad iram, qui eorum corda semper inhabitat. *Greg. super Ezech.*

3. Dignitas, est alicujus cultu et honore et verecundia digna auctoritas. *Tullius in Rhet.*

4. Observantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam et honore veneramur. *Ibidem.*

5. Reverentia est virtus aliqua prælatione sublimitatis debitæ honorificationis cultum exibens. *Ibidem.*

6. Veneratio, est virtus, qua reverentiam exhibemus majoribus in corporis humiliatione, gestu, nutu, et verborum emissione. *Ibidem.*

7. Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est, ut quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas putarent. Qui etiam interpellati ad reddendam causam, hoc solum respondebant, ipsum dixisse, magnus honor, sed scholasticus. *Val. Max. lib. 8. de memor. doct.*

8. Non possumus ob honores reverentia judicare dignos, quos ipsis honoribus judicamus indignos. *Boët. de consolat. lib. 3.*

9. Bonus vir sine Deo nemo est. Ille dat consilia magnifica et recta. Magnorum fluminum capita veneramur: coluntur aquarum calentium fontes et stagna, quæ vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit. *Sen. 40. epist.*

10. Si hominem videtis intrepidum, et inexpugnabilem periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, non subjicit te veneratio ejus? vis istuc divina descendit. *Ibidem.*

11. Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: suscipiendi tamen sunt et ritu deorum co-

lendi: quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, á quibus tanti boni initia fluxerunt. Si Consulem video aut Prætorem, omnia quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. Quomodo ergo Marcum Catonem, et Lelium sapientem, et Socratem cum Platone in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego illos veneror, et tantis nobilibus assurgo. *Sen. 65. epist.*

Vide etiam in lit. Angelus, núm. 12, 19. in lit. Contemptus, núm. 9. in lit. Ecclesia, núm. 28. in lit. Honor et Martyrum, núm. 1.

SACERDOS.

1. Nemo in Ecclesia amplius nocet quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis vel sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit: et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. *Greg. in pa.*

2. Contemplamini, quid sit populo sancto præesse, et considerate, quale sit divinis sacramentis insistere. Altari vacare debent, qui de altari vivunt: et talis convenit cura synceritatis sacramentis, qualia sunt sacramenta ipsa, quibus exhibent officia servitutis, ne contra Deum offendant, ipsa quæ tractant, aut contra populum incipiant impedire, quod prædicant. *August. de sing. cler.*

3. Non despecta, non vetula absque affinitate peculiariter suscipienda est ad domesticum obsequium: quia magis cito delinquitur, ubi sine suspicione, securum potest esse delictum: maxime quia libidini nulla deformitas, nulla despectio obsistit, cui diabolus pingens speciosum facit, quidquid fœdum vel horridum fuerit. *Ibidem.*

4. Presbyteri, qui bene præsunt vita et doctrina, digni habentur á subditis duplici honore, scilicet ut spiritualiter eis obediant, et exteriora bona ministrent.

Boni enim dispensatores et fideles non solum honore sublimi præmiari debent, sed terreno: ut non contristentur indigentia sumptuum et gaudeant obedientia spiritualium: instantior enim fit, si non humilietur inopia, et crescit in illo auctoritas, quum videt se etiam in præsenti laboris fructum percipere, non ut abundet, sed ut non deficiat. *Glo. Aug. sup. 1. Tim. 5. Qui bene præsu.*

5. Qui animarum curam pro domino suscipit, ut errantes doceat, vel consoletur mœstos, vel temporalibus sustentet, vel renitentes ad remedia salutis protrahat, vel pastore destitutos gubernet, ut secum plures ad dominum perducat, sapiens est, quia sibi, ut sublimius cum domino regnet, procurat. *Glo. sup. illud Proverb. 1. Qui suscipit animas sapiens est.*

6. Pastori ecclesiæ dicitur: Diligenter adhibe curam eis, quibus de præesse contigerit: agnosce animos et actus singulorum, si quid vitii in eis inveneris citius castigare memento. *Glo. super Prov. 27. Diligenter agnosce.*

7. Non enim tu semper pascendi dominicas oves potestatem habebis, sed æternam percipies coronam, si tuo tempore bene paveris.

8. Sobriam á turbis gravitatem, severam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat sacerdotalis. *Ambr. epist. 6.*

9. Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat veritatem non libere pronunciare. *Ambr. in epistol. ad Theo. Imp.*

10. Ex inordinata et indisciplinata multitudine sacerdotum hodie datur contemptui redemptoris nostri venerabile sacramentum: nam qui debuerant esse vicarii Apostolorum et filii Petri, facti sunt socii Judæ, et præamboli Antichristi. *Ambr. in quod. serm.*

11. Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos etiam nos christiani sumus, qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo

ante diem judicii judicant. *Hieron. in quad. epist.*

12. Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse: nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem sed pro omnium quorum abutimur donis, et nequaquam sumus de eorum salute soliciti. *Hier. super Ezech. li. 2.*

13. Considera sacerdotum esse officium, de lege interrogatos respondere: si sacerdos est, sciat legem Domini: si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse sacerdotem Domini: sacerdotis enim est scire legem, et ad interrogationem respondere de lege. *Hier. super Aug. pro.*

14. Convivia tibi vitanda sunt secularium, et maxime eorum qui honoribus tument. Turpe est enim ante fores sacerdotis Domini et pauperis crucifixi, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum judicemque provinciæ et milites excubare. Melius est apud te prandere, quam in palatio. *Hier. in epist. ad Nepot.*

15. Infirmorum corda de mali presbyteri vita perculiuntur: securiores existentes, prolabuntur licentius in peccatum. *Hieron. in quad. epist.*

16. Penset ergo sacerdos, quia ad satisfaciendum districto judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, et quot regendis subditis præest reddendæ apud Deum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. *Gregor. in moral.*

17. Nihil tam onerosum ordini sacerdotum video quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare. *Greg. ho. 6. super Ezech.*

18. Nos, qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro suis peccatis obluerunt, si comedimus et tacemus, eorum proculdubio peccata manducamus. *Greg. in ho.*

19. Pensate fratres quantæ damnationis est, sine labore percipere mercedem laboris, quanti criminis,

pretia peccatorum accipere, et nihil contra peccata prædicando dicere. *Greg. in ho. Dignus est merc.*

20. Semper in sacerdotali pectore cum terrore severitatis custodiri debet virtus mansuetudinis, ut et iram mansuetudo custodiat, et mansuetudinem (ne forte dissoluta sit) zelus discretionis accendat. *Greg. in hom.*

21. Multi dum plus vitam sacerdotum, quam suam discutiunt, in erroris foveam dilabuntur, minus considerantes, quod non eos vita sacerdotum læderet, si ipsi humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent, sed hypocritarum more magna trabe vulneratos habentes oculos eamque negligentes, festucam tenuem in aliorum oculis conspiciunt. *Ibidem.*

22. Causa sunt ruinæ populi, sacerdotes mali. Quis enim se pro populi peccatis intercessor objiciat, si sacerdos, qui orare debuerat, graviora committat? *Greg. in re.*

23. Nullum ab aliis præjudicium, quam á sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: plerumque, quod est gravius, sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt: plerumque, si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irridenl. *Greg. in ho. 27.*

24. Ingrediuntur electi, sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam, et sacerdotes Christi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis? quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleste mittit, et ipsa in cloacas descendit. *Ibidem.*

25. Nos, qui sacerdotes vocamur, qui supra ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie trepidi et tacentes videmus: et sequitur, tunc subjectus moritur sine te, quando in casu mortis te contradictorem pertulerit: nam morti cui non contradicis, adjungeris. *Greg. in ho. 11. super Ezech.*

26. Quidquid præter necesarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *Bern. in epist. 2.*

27. Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retinent, et in usus suæ superbiæ luxuriæque victum pauperum consumere non verentur duplici profecto iniquitate peccant, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus et turpitudinibus abutuntur. *Bern. in ser. 24. super Cant.*

28. Quid tibi cum fœminis, qui ad altare cum domino familiaris es? Qualiter eisdem labiis oscularis in altari filium Virginis, quibus oscularis in lupanari filiam meretricis. *Ibid. in epist.*

29. Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in percussione tua primi, qui videntur in ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum, arcem Simonis occupaverunt, apprehenderunt munitiones, et universam deinceps libere et potestative tradunt incendio civitatem. Non est jam dicere, ut populus, sic sacerdos, quia nec sic populus ut sacerdos. *Ibidem.*

30. Si talem mihi aliquem adducas monachum, quales, ut exaggerationem dicam, Elias fuit, non tamen illi comparandus est, qui traditus populis et multorum peccata ferre compulsus, immobilis perseverat et fortis. Si quis autem bene administrato sacerdotio illius propositi, scilicet monachalis sudores coneral, tantum eos distare reperiet, quantum inter privatum distat et regem. *Chrys. in suo dial.*

31. Et qui vult alterum ad officium sacerdotale pertrahere, sufficere non judico testimonium quod opinione collegerit, sed cum favore illius bonæ opinionis etiam ipsum animum ejus, qui eligitur noscat diligenter. *Chrys. de dignitate sacerdotali lib. 2.*

32 Sacerdotis aspice dignitatem: agitur in terra, sed officium cœlestibus negotiis continetur. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc

munus instituit, atque adhuc manentes in carne mysterio fungi præstitit angelorum. *Ibidem.*

33. Per ipsos Christum induimus, per ipsos Dei filio conjungimur, per ipsos membra beati ipsius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis, quam reges aut judices, sed etiam nobis magis erunt honorabiles, quam parentes? *Ibidem.*

34. Sapientissimum esse oportet et perspicacem in omnibus sacerdotem, et mille, ut dicitur, ex omni parte oculos habentem: quippe qui non solum sibi, sed etiam populo vivit. *Ibidem.*

35. Qui ordinant indignos, eisdem subjacent pœnis, quibus illi, qui indigni sunt ordinati, et si dicant se eorum vitia ignorasse, unde Apostolus ad Timoth. *Manus cito nemini imposueris, nec communicaveris peccatis alienis*, imo ex hoc gravius crimen efficitur: quoniam absolverunt vel promoverunt eum, quem ignorabant, atque id quod putabatur esse excusatio, fiet accusatio. *Ibidem.*

36. Bene agente populo, unusquisque pro suo merito remuneratur, sacerdos autem pro bonis omnium: habent enim pro propriis lauream, et pro acquisitione aliorum aureolam. *Chry. super Matth. 25. Amen dico vobis, super omnia, etc.*

37. Multi sacerdotes, et pauci sacerdotes: multi in nomine, et pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram: quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa, qui male sederit, injuriam facit cathedræ: In judicio enim sedes, si bene vixeris quidem et bene docueris, et omnium judex eris: si autem bene docueris, et male vixeris, tui solius. Nam bene vivendo, et bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere. Bene autem docendo, et male vivendo instruis Deum, quomodo te debeat condemnare. *Chry. super Matth. ho. 25. tractans illud, Super cathedram Moysi.*

38. Melius est propter bonos etiam malos fovere: quam propter malos etiam bonos contemnere: propter bonos ergo sacerdotes etiam malos honorare, ne propter malos etiam bonos contemnatis. Melius est enim malis injusta præstare, quam bonis subtrahere. *Ibidem.*

39. Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt: Sicut enim peccatorem convenit argui, ita justum non exulcerari. *Isid. 3. de sum. bon.*

40. Sacerdotes si consolentur afflictos, si pascant egenos, si vestiant nudos, si redimant captivos, si suscipiant peregrinos, si desperatis spem veniæ consequendæ promittant, et quidquid ad officium suum pertinet, constanter exerceant: quis sic erit alienus á fide, ut dubitet tales contemplativæ vitæ esse participes, quorum exemplo simul ac verbo plures fiunt regnorum cœlestium cohæredes? isti sunt ministri verbi Dei, adjutores Dei, oraculum Spiritus sancti, per tales Deus placatur in populo, et populus instruitur Deo. *Prosp. lib. 1. de vit. contemplativ.*

41. Considera diligenter vultum pecoris tui. Vultum pecoris considerat, qui quid singuli subjectorum possint, non ignorat: cui per confessionem corda, per circumspectionem opera, per experimentum quid possint, per affectus quid velint, ratio manifestat, et vocem, inquit, meam audiunt. Tres sunt pastoris voces, scilicet suavis, dulcis, et alta. Suavis ad infirmum, ad morientem dulcis, ad surdum pertinet alta. *Hugo de claust. anim. lib. 2.*

42. Accessit ad Jesum Petrus, accessit et Judas, accesserunt et discipuli, acceserunt et milites crucifigentes, accedunt et perversi sacerdotes: quia ea quæ offeruntur in mensa Christi, offerunt in mensa diaboli, ipsa est alea fabeli. In illa Deum invocant, in ista perjurant, legem Dei nec sciunt nec discunt: vacantes otio, comessationibus et ebrietatibus student: terrenis inhiant, terrena sapiunt, assidui in plateis, in Ecclesia rari, tardi ad investigandum culpam peccatoris, parati ad quærendum vestigia leporis, velociores ad congregandos canes, quam ad vocandum pauperes.

Libentius porrigunt panem cani, quam pauperi: plures serviunt ei ad mensam, quam ad missam: famulos aut famulas secum habere volunt, sed clericos habere non possunt, quia nolunt. Hi sunt, quorum thalamus ornatior est Ecclesia sua, mensa paratior altari, cyphus calice pretiosior, equus carior missali, cappa pulchrior casula, camisia delicatior alba. Ecce quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. *Hug. ibi. de 12. abusionibus.*

Vide etiam in tit. Confessio, núm. 5, 18, 20 in tit. Correctio, núm. 69, 70. in tit. Decima, núm. 6. in tit. Ebrietas, núm. 20. in tit. Eleemosyna, núm. 21. in tit. Eucharistia, núm. 10. in tit. Exemplum, núm. 19. in tit. Fama, núm. 5. in tit. Monachus, núm. 11. in tit. Osiositas, núm 10. in tit. Pœnitentia, núm. 37, 38. in tit. Prælatio, núm. 4, 8, 26, 51, 71, 72. in tit. Sacramentum, núm 2, 3.

SACRAMENTUM.

1. Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, á quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Deo liberæ multitudinis continerent: sed quidam ipsam religionem nostram, quamque manifestissimis et paucissimis celebrationum sacramentis Dei misericordia nolunt esse liberam, servilibus premunt oneribus. *August. in lib. de vera. relig.*

2. Scio, quia lapis ex aqua fructum ferre non potest, et per lapideos canales transit aqua ad areolas, et in canali lapideo nihil generatur, sed hortus plurimum fructum affert: spiritualis vero virtus sacramenti ut lux pura ab illuminandis recipitur: sed per immundos transiens, non coinquinatur. *Aug. in lib. cont. Donatistas.*

3. Intra Catholicam Ecclesiam, in ministerium corporis et sanguinis Domini nihil á bono majus, nihil á malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, et virtute Spiritus sancti. Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret: nunc autem sicut Christus ipse est, qui baptizat: ita ipse est, qui per Spiritum sanctum efficit carnem, et transfundit in sanguinem. Credendum enim est, quod in verbis Christi sacramenta conficiantur: cujus prius creantur imperio, ejus utique verbo recreantur ad melius. *August. in lib. de corpore Christi.*

4. Omnia sacramenta, quum obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus. *Aug. cont. epist. Parme. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Baptismus, núm. 1. in tit. Eucharistia, núm. 6, 13, 20. in tit. Excomunicatio, núm. 1. in tit. Misericordia, núm. 12. in tit. Salus núm. 4.

SALUS.

1. Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire, nullum invitatum salutem, nisi Deo auxiliante, operari, nullum nisi orantem auxilium promereri, nullum voluntate Dei perire, sed permissu. *August. in lib. de diffin.*

2. Nullum omnipotenti Deo tale sacrificium, quale est zelus animarum. *Gregor. ho. 22. super Ezechiel.*

3. Monstratur, quod non omnes divites pereunt, nec pauperes salvantur universi: sed ex istis et illis salvantur et pereunt. *Chry. super ill. Matth. 24. Unus assumetur.*

4. Tria sunt, quæ ab initio, et ante adventum Christi, et post, ad salutem obtinendam necesaria fuerunt, scilicet fides, et sacramenta fidei, et opera bona, quæ tria ita cohærent, ut salutis effectum habere non possunt, si simul non fuerint: quia nec fides meritum habet, si dum potest operari, negligitur: nec opus bonum est aliquid, si sine fide sit, et rursus fides operans, hominem sanctificare non sufficit, si eam, quæ in sacramentis Dei constat, sanctificationem concipere contemnit. *Hugo de sacr. lib. 1. part. 10.*

5. * Incredibile est alicui tantam ignaviam esse insitam, ut salutem suam negligat. *Demost. Olynth.*

6. * Homines ad deos nulla re proprius accedunt, quam salutem hominibus dando. *Cicer. de Manil.*

* Vide etiam in tit. Anima, núm. 19, 35. in tit. Error, núm. 8. in tit. Vitium, núm. 17.

SANCTITAS, VEL SANCTUS.

1. Nullus sanctus et justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus, vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *August. de diff. eccl. dogm.*

2. Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est, qui ordinatam habet charitatem, ne aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut amplius diligat, quod minus est diligendum, aut minus diligat, quod amplius est diligendum, aut minus, aut amplius, quod æque diligendum est. *Aug. in lib. doctrin. Christian.*

3. Ista sunt, quæ sanctitatis causa servanda sunt: Pudicitia corporis, castitas animæ, et veritas doctrinæ. *Ibidem.*

4. Quanto est quisque sanctior, et desiderii sancti plenior, tanto est ejus in orando fletus uberior. *August. in lib. de civit. Dei.*

5. Discamus ergo et sanctorum invidiam, ut imitemur patientiam, et cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed observantiæ majoris, nec vitia nescisse, sed emendasse. *Ambr. in lib. de Joseph.*

6. Nec rusticus, nec tantum simplex frater ideo se sanctum putet, si nihil noverit, nec peritus et eloquens in lingua æstimes sanctitatem: multoque melius est de duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quam eloquentiam peccatricem. *Hier. in epi. ad Paul.*

7. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est: quia et Hierosolymis, et de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. *Ibidem.*

8. Ab omni nequitia mundum necesse est esse, et dolo, qui cupit regnare cum Christo. Si vis habere partem cum Christo, Christi exemplo tibi vivendum est. Si sanctorum cupis habere consortium, à malitiæ et nequitiæ cogitatu pectus emunda: quia non nisi sanctos, et justos, simplices, innocentes, et puros cœlestis aula suscipiet. *Hieron. in quad. epist.*

9. Sancti viri, quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat inveniunt. *Gregor. in moral.*

10. Sancti viri nec elatione sunt liberi, nec ex timore submissi: sed cum rectitudo eos ad libertatem non erigit, consideratio infirmitatis ipsa in humilitate custodit. *Ibidem.*

11. Tria sunt, quæ in festivitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus, auxilium sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Auxilium ejus, quia qui potens in terra, potentior est in cœlis ante faciem Domini sui. Si enim dum hic adhuc viveret, misertus est peccatoribus, et oravit pro eis, nunc quanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras? orat pro nobis patrem, quia beata illa patria charitatem ejus non mutavit, sed augmentavit: imo potius movit sibi viscera misericordiæ, quum ante fontem misericordiæ adsistit. Debemus etiam vitam ejus attendere: quia quamdiu in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dicit: *Ego sum via, veritas et vita.* Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo et nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed impossibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit, ut sequamur vestigia ejus? *Bernar. in quodam serm.*

12. In sanctorum festivitatibus, et gaudere, et confundi debemus: gaudere, qui patronos præmisimus: confundi, quia eos sequi non possumus. *Ibidem.*

13. Fidelis quippe sermo et omni acceptione dignus, ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam

consimili conversatione sequamur. Quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus, quorum delectamur præconiis, eorum sublevemur patrociniis. *Ibidem.*

14. Summopere nobis desideranda sunt suffragia sanctorum, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum intercessione donetur. *Ibidem.*

15. Sanctorum virorum est, non inquirere mansionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideliores: nec gaudent, ubi epulæ largæ sunt, sed ubi sanctitas floret. *Chry. super 24. Matt. cap.*

16. Quæ est ista justitia, sanctos colere, et sanctitatem contemnere? Primus gradus pietatis est, sanctitatem diligere, postea sanctos: quia non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante eos. Sine causa ergo justos honorat, qui justitiam spernit. *Ibidem.*

17. Qui sanctorum merita religiosa charitate miratur, quicumque justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos, atque justitiam imitetur: quoniam quem delectat alicujus sancti meritum, delectare decet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat: aut laudare non debet, si imitari detrectat, ut qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. *Chry. ser. de conf.*

18. Qui peccat, de sanctis exit: non enim in locis sancta quærenda sunt, sed in actibus et vitæ moribus: quæ si secundum Deum sint, et secundum præceptum Dei habeantur, etiam si in domo sis, etiam si in foro, et quid dico in foro? etiam si in theatro inveniaris, verbo Dei deserviens, in sanctis te esse non dubites. *Orig. ho. 24. 42. super ill. Levit. De sanctis non exibit, etc.*

19. Joannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina: Joannes major homine, par angelis, legis summa, evangelii satio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi,

officium præconis, præco judicis, Domini testis, totius medius Trinitatis. *Pet. Chr. in ser. de Joan. Bapt. serm. 127.*

20. Plena laudatio est, quæ genus, mores, officium, factum, judiciumque comprehendit; genus in majoribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandato, in justificatione judicium. *Beda super Luc. lib. 1. tractans ill. Erant ambo justi ante Deum.*

21. Nascitur Joannes major homine, par angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum patris, filii nuntius, signifer superni regis, peccatorum venia, judeorum correctio, vocatio Gentium, et, ut proprie dicam, legis et gratiæ fibula. *Pet. Chr. in serm: de Joan. Bapt. serm. 91.*

22. Stephanus, ut nominis sui coronam mereretur accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat, per charitatem Dei sævientibus Judæis non cessit, per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit: per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. *Fulg. in ser. de S. Steph.*

23. Augustinus episcopus, acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in quæstionibus solvendis acutus, in convincendis hæreticis circunspectus, in exposilione fidei nostræ catholicus, in explanandis scripturis canonicis cautus, hæreticorum omnium malleus fortissimus. *Prosp. lib. 3. de vita contemplativa.*

24. O lucerna digne super candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de septiformi ligno pastum, oleo lætitiæ lumen effundens, densas hæreticorum caligines discutis, et lucem veritatis á confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas, Os enim tuum fistulam aquæ vivæ et venam fontis æterni merito dixerim: ac fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam: cujus desiderio sitivit in te anima mea, et ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit. *Paulin. in epist. ad Eugenium.*

25. Augustinus tanta scripsit, ut diebus ac noctibus non solum scribere libros ejus quisquam, sed nec legere quidem valet. *Isid. lib. 7 etymol.*

26. Hieronymus sex millia librorum Origenis legisse fatetur. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Beatitudo, núm 3. in tit. Exemplum, núm. 6, 14. in tit. Militia, núm. 12. in tit. Solemnitas, núm. 1. in tit. Solitudo, núm. 2. in tit. Superbia, núm, 1.

SANITAS.

1. Quid boni habet sanitas, languor ostendit, et in comparatione gravioris morbi sanos nos esse credimus. *Hier. in quadam epist.*

2. Sanitas, est integritas et temperantia naturæ ex calido et humido, quod est sanguinis: unde sanitas dicta est, quasi sanguinis status. *Isi. lib. 4. etymol.*

3. Qui enim est mentis gaudio recreatus, facilius memborum recipit sospitatem. Naturalis siquidem cura est, ægris dare lætitiam: nam fac invalidum gaudere, et sanatus est. *Cas. li. 2. Epist.*

Vide etiam in tit. Confessio, núm, 28. in tit. Infirmitas, et Medicina.

SAPIENTIA, VEL SCIENTIA.

1. Qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam, nec fiet quisque qualis esse cupit, nisi oderit qualis est. *August. de vera relig.*

2. Non aliam putes esse sapientiam nisi veritatem, in qua tenetur et cernitur summum bonum: nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet, dementes in se omnes in melius commutat, á nullo in deterius commutatur: nullus de illa judicat, nullus sine illa bene judicat. *August. de lib. arbitr.*

3. Hæc tota scientia magna hominis, scire, quia ipse nihil est per se, et quoniam quidquid est, ex Deo est, et propter Deum. *Aug. super Psal. 70.*

4. Qui se dicit scire, quod nescit, temerarius est. Qui se negat scire, quod scit, ingratus est. *August. in ser. de ascensione.*

5. Hæc est sapientiæ et scientiæ recta distinctio, ut ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis; ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis. *Aug. in lib. de trin.*

6. Sapienti nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum: quocumque acceserit, sua omnia totus ei mundus possessio est: quoniam toto eo, quasi suo, utitur. *Ambr. epist. 56. ad constantium.*

7. Ubicumque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua intelligitur, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem se judicat. *Ibidem.*

8. Qui thesauros effodit, terram rejicit, foveam in altum facit, sedulus insistit, donec inveniat quod quærit: sic qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, omne pondus terrenum á se rejiciat, in se fossam humilitatis faciat, nec quiescat donec inveniat. *Glo. Hier. super illud. Prov. 2. Si sapientiam quæsi. quasi pec. et sicut Thes. effo. illam.*

9. Nihil magis ad spem percipiendæ sapientiæ mentes erigit, quam quum eos, quos in sapientia clarescere miramur, aliquando parvulos et indoctos fuisse meminimus. *Glo. Hier. super illud Prov. 4. Nam et ego filius fui patris mei tenel.*

10. Non aurum, non divitias, non terrenam gloriam Salomon á Deo petiit: sed ut sciret populum Dei regere et judicare. Si hoc elegit rector corporum, multo magis hoc eligere debent rectores animarum, ut ingressum ad fidem, et ingressum ad spem populo Dei demonstrent. *Glo. super ill. Reg. 2. et Paral 1. cap. Da mihi sap. et intell. ut ingrediar. et regr. etc.*

11. Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare: hæc nimirum prudentia usu á juvenibus scitur: hæc á pueris pretio discitur: hanc qui sciunt cæteros superbiunt despiciendo, hanc qui nesciunt, subjecti et timidi in

aliis mirantur: hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere: quum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, quum virtutis possibilitas deest, quidquid per malitiam explere non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. *Greg. 10. c. 27. mor. exponens illud Job. 12. Deridetur justi. simpl.*

12. Justorum sapientia est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire: vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare: sed hæc justorum simplicitas deridetur, quia et á mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Quid namque stultitius videtur mundo, quàm mentem verbis ostendere; nihil machinatione callida simulare? nullas injurias contumelias reddere? pro maledicentibus orare? paupertatem quærere? possessa relinquere? rapienti non resistere? perculienti maxillam alteram præbere? *Ibidem.*

13. Ad veram sapientiam pervenire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia desipiunt. *Gregor. in moral.*

14. Summa cura providendum est, ne accepta sapientia, cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, et jam sapientia esse nequeat, quæ etsi locutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat. *Ibidem.*

15. Vera scientia afficit, non extollit, nec superbientes quos impleverit, sed lamentantes facit, qua quisque quum repletus fuerit, priori loco, se scire appetit, et jam sui conscius, tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum in illa verius recognoscit. *Ibidem.*

16. Prima sapientia est, vita laudabilis, et apud Deum pura mens, per quam puri puro junguntur, et sancti sancto sociantur. *Greg. Nazianz. in Apolog.*

17. Ille mihi videtur esse sapiens, qui pauca quidem de virtute animi commonet et proloquitur, plura autem in suis actibus atque operibus ostendit, et fidem verbis operum suorum stipulatione confirmat. *Ibidem.*

18. Sapientia illa clara est, non quæ in verbis volat, sed quæ virtutibus constat. *Ibidem.*

19. Sæpe dum quosdam major scientia erigit, á cæterorum societate se disjungunt, et quasi quo plus sapiunt, eo á concordiæ virtute desipiscunt: sed hi audiant, quid per semetipsum, veritas dicat. *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos.* Sal quippe sine pace, non virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit, et idcirco inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudenter si voluisset, potuit vitare peccatum. *Gregor. in pastor.*

20. Ille scire Deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat, quod carnaliter scivit. *Gregor. in moral.*

21. Vides quod non probat multa scientem, si modum sciendi nescierit. Vides quomodo fructum et utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit. Quid ergo dicit, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? quo ordine, ut illud prius, quod maturius movet ad salutem: quo studio, ut illud ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine, ut non ad inanem gloriam, curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad tuam et aliorum ædificationem. *Bern. super Cant. serm. 36. exponens illud Cor. Si quis existimat se scire, etc.*

22. Sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: sic sapientia multos, quos docet quid sit faciendum, non continuo etiam accendit ad faciendum. Aliud est multas divitias scire, aliud est possidere: nec notitia divitem facit, sed possessio. *Bern. super cant. serm. 15.*

23. *O utinam saperes, et intelligeres, ac novissima provideres*: saperes quæ Dei sunt: intelligeres, quæ mundi sunt: provideres quæ inferni sunt: profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt contemneres. *Bernar. in quadam epist.*

24. Sunt qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant: verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est: et sunt qui scire volunt, et sciantur ipsi, et turpis vanitas est: sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, et charitas est: et sunt qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est. *Bern. super Cant. serm. 36.*

25. Præcedit enim scientia virtutis cultum, quia nemo potest fideliter appetere quod ignorat, et malum nisi cognitum sit, non timetur. *Chrys. in polio. l. 5.*

26. Ad majoris culpæ cumulum pertinet, scire quemquam, quid sequi debeat: et sequi nolle, quod sciat. *Isid. lib. 2. de sum. bon.*

27. Plerique accepta scientia literarum, non ad Dei gloriam, sed ad suam laudem utuntur, dum de ipsa extolluntur, et ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt. *Ibidem lib. 5.*

28. Quanto sunt majora literaturæ studia, tanto animus arrogantiæ fastu, et inflatu majore intumescit jactantiæ. *Ibidem.*

29. Frustra in nobis divinæ cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis divinæ dilectionis flammam augescat. *Hug. de vanitate mundi.*

30. Nihil sapientia ardentius diligitur, nihil dulcius possidetur. Hinc est, quod sapientes homines esse volunt, pauci tamen sapientes esse possunt: justi autem omnes esse potuissent, si esse justi perfecte voluissent. Sapientiam et multum diligere potes, et ipsa carere potes: sed quanto amplius justitiam dilexeris, tanto justior eris. *Richar. de contemp. c. 1.*

31. Otium stultitiam, labor scientiam generat. Scientiæ labor in tria dividitur, scilicet in laborem disciplinæ, æxercitii et doctrinæ. In pueritia labor disciplinæ, in juventute exercitii, in senio doctrinæ: ut quæ nescit, in pueritia discat, quæ didicit, in juventute ad usum ducet, quod ad usum duxerit, in senio doceat. *Hugo de claustro animæ, lib. 2.*

32. Si quis familiariter scientiam amare didicerit, et ei sæpius vacare voluerit, jucundam valde reddit vitam, et maximam in tribulatione præstat consolationem. *Hug. in didascalicon. lib. 5.*

33. Scientia litterarum, quod primum est, in homine mores purgat, quod secundum, verborum subministrat gratiam: ita utroque beneficio, et tacitos ornat, et loquentes, cujus est facere de irato benevolum, de suspecto placatum, de austero mitem, de adversante propitium. *Cass. lib. 5. epist.*

34. Scientia violentia non aufertur, antiquitate non corrumpitur, absconsione minuitur, et communicatione multiplicatur. *Cass. in epist.*

35. Nam ad Rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia, hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluere debent. In hac enim excolenda, sita est vitæ honestas, et in negligenda turpitudo. *Tullius in prolog. Rhetor. 1.*

36. Sapientis est nihil admirari quum acciderit, nihil ante, quam evenerit, non evenire posse arbitrari. *Tullius in quadam epist.*

37. * Sapientia est rerum divinarum humanarumque scientia cognitioque: quæ cujusque rei causa sit: ex quo efficitur, ut divina imitetur: humana omnia inferiora virtute ducat. *Ibid. in 4. Tusc.*

38. * Sapientia ars vivendi putanda est, quæ mœstitiam pellit ex animis, quæ exhorrescere metu non sinit, qua præceptrice in tranquillitate vivi potest, cupiditatum ardore restincto. *Ibid. 2. defin.*

39. Totius prudentiæ compendium in litteris continetur. Si respublica regenda est, si prælia committenda sunt, si castra mutanda, si machinæ erigendæ, si renovandi aggeres, si propugnacula facienda, si militiæ cultus, si reverentia legum, si finitimarum gentium amicitiæ sunt servandæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum. Princeps quidem sine litteris, est navis sine remige, et volucris sine pennis. *Pet. Rav. in quadam. epist.*

40. In litteris prudens invenit unde sapientior fiat,

ibi bellator reperit unde animi virtute roboretur, inde princeps accipit, quomodo populos sub æqualitate componat: nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam litterarum non augeat gloriosa notitia. *Ibidem.*

41. Cum sapientia nostris temporibus nullius fructus præmietur stipendiis, nullius famæ eam favoris aura extollat: ipsa vero pecunia honoris titulos, et laudis emat præconia: sola tamen sapientia super omnem possessionem præeminet generosa possessio, quæ sparsa colligitur, erogata revertitur, publicata suscipit incrementum: per quam nobilis conscientiæ thesaurus secretis penetralibus mentis innascitur, fructus internæ delectationis acquiritur, hæc est Sol, per quem mentis lumen diescit in tenebris, cordis oculus, deliciosus animi paradisus: hæc in cœleste terrenum, in immortale caducum, hominem in Deum deilicæ mutationis auctoritate convertit. *Alcanus de complanctu natu.*

42. Hoc scio, neminem posse bene vivere, sed nec tolerabiliter, qui est sine sapientiæ studio, quum omnia habueris, tunc et habere scientiam voles, et sapientiam: hæc erit ultimum vitæ instrumentum. *Sen. 17. epist.*

43. Sapiens ad omnem incursum invictus et intentus est. Non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert, interritus contra illa ibit, et inter illa sapiens plenus est gaudio: hilaris et placidus, etiam inconcussus cum diis ex pari vivit. *Sen. 60. epist.*

44. Considerat cum quibus vivit, quomodo quid acturus, cogitat semper qualis, non quanta sit. *Sen. 71. epist.*

45. An existimem aliquem non futurum sapientem, qui litteras nescit? sapientia res tradit non verba, de divinis humanisque cogitat: de præteritis, de futuris, de caducis, de æternis, de tempore. *Ibidem.*

46. Rem maximam promittit tibi sapientia, ut te reducat tibi: non ex singulis vocibus sapientes spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Apostoli, núm. 6. in tit. Consideratio, núm. 28, 29. in tit. Cor, núm. 15. in tit. Curiositas, núm. 3, 21. in tit. Discere, núm. 6, 13, 14, 15 et 24. in tit. Doctrina, núm. 33, 46, 47. in tit. Eloquentia, núm. 9. in tit. Fortitudo, núm. 6. in tit. Homo, núm. 28, 29, 30, 31. in tit. Ignorantia, núm. 1. in tit. Laus, núm. 1, 10. in tit. Loquacitas, núm. 1, 5. in tit. Miseria, núm. 15. in tit. Oliositas, núm. 11. in tit. Regere, núm. 1, 5. in tit. Sanctitas, núm. 6. in tit. Vilium, núm. 4.

SATISFACTIO.

1. Satisfactio est peccatorum causas excidere, et suggestionibus eorum aditum non indulgere. *August. in soliloq.*

2. De quotidianis, brevibus levibusque peccatis, sine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere, *Pater noster, qui es in cœlis*: qui jam regenerati sunt ex aqua et Spiritu sancto. Delet hæc oratio minima et quotidiana peccata: delet etiam illa, á quibus vita fidelium etiam sceleratè gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit. *August. in Enchir. cap. 71.*

3. Nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, econtrario oppositis lamentis insequamur. *Gregor. in moral.*

4. Oratione propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: simulque per omnia Dei imago in nobis renovatur. *Leo papa in serm. de jejun.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 28. in tit. Eleemosyna, núm. 35. in tit. Humilitas, núm. 30. in tit. Lachryma, núm. 3. in tit. Oratio, núm. 14. in tit. Pœnitentia, núm. 20, 24.

SCANDALUM.

1. Sicut necesse est, ignem calere, et nivem fri-

gere, ita est necesse, ut iniquitas mundi erroribus plena, scandala pariat, perfectorum verò charitas pietatis operibus luceat. *Hier. super ill. Matth. 18. Necesse est ut veniant scandala.*

2. Qui scandalizatur, parvulus est, majores enim scandala non recipiunt. *Hier. super ill. Matth. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, etc.*

3. In quantum possumus, sine peccato, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum oritur, utiliùs scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. *Greg. super Ezech.*

4. Non omnium scandala æqua sunt lance pensanda, aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, et aliter Pharisæorum: illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia descendit. Illi scandalizantur, quia veritatem nesciunt, isti quia oderunt. *Bernar. de præcepto et dispensat.*

5. Constat, ubi veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quodlibet posse committi, nec justè præcipi, nec innoxie consentiri. *Bern. in quadam epist.*

6. Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntiat, quoniam væ homini illi, per quem scandalum venit. *Bern. super Cant. serm. 4.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 10, 37, 55. in tit. Detractio, núm. 23. in tit. Exemplum, núm. 18. in tit. Pax, núm. 13. in tit. Præsumptio, núm. 13. in tit. Veritas, núm. 4.

SCRIPTURA SACRA.

1. Tanta est Christianárum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, in quibus latet altitudo sapientiæ ut annosissimis acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habeat. Quum consummaverit homo, tunc incipit. *August. 2. epist. ad Volusiæ.*

2. Modus ipse dicendi, quo sacra scriptura contexitur, quamvis omnibus accessibilis, paucissimis tamen penetrabilis. Nam quæ aperta continet, ea quasi amicus familiaris, sine succo ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero, quæ in mysteriis occultat, nec eloquio ipso superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, et inerudita, quasi pauper ad divitem: sed invitat omnes humili sermone, quod non solum manifesta sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur, his salubriter et prava corriguntur et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. *Ibidem.*

3. Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet civitatum duobus præceptis sunt comparandæ: ex quibus Christus dicit totam legem, et prophetas pendere hujusmodi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et proximum tuum, sicut te ipsum*? In his enim duobus mandatis lex pendet, et prophetæ. *Ibidem.*

4. Hic philosophia: quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica: quoniam bona vita et honesta non aliunde formatur, quam quum ea, quæ diligenda sunt, et quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus et proximus: Hic Logica: quoniam veritas lumenque animæ rationabilis non nisi Deus est. Hic etiam laudabilius Reipublicæ salus: neque enim optime custoditur civitas, nisi fundamento et vinculo fidei, firmæque concordiæ, quum bonum commune diligitur, summum atque verissimum Deus est. *Ibidem.*

5. Scriptura et creatura ad hoc sunt, ut ipse quæratur, ipse diligatur, et qui ipsam creavit, et illam inspiravit. *Aug. 2. de Trinit.*

6. Hæc scientia nihil præcipit, nisi charitatem, nihil culpat, nisi cupiditatem. Quidquid ergo ad hoc pertinet, proprium ejus est. Quidquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscas. *Aug. 3. de doctrin. Christian.*

7. Sic loquitur scriptura, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. *Aug. 2. super Genesim c. 19.*

8. Quidquid homo extra didicerit, si noxium est, hic damnatur: si utile est, hic invenitur: et quum ibi quisque invenerit omnia, quæ viriliter alibi didicit, multò abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam alibi invenire potuit. *August. de doctrin. Christia. cap. ult.*

9. Civitatem Dei dicimus, cujus scriptura ea testis est, quæ non in fortuitis animorum motibus, sed planè summæ providentiæ dispositione super omnes omnium gentium litteras, omnia sibi genera humanorum ingeniorum divina excellens auctoritate subjecit. *Aug. de civit. Dei. lib. 11. c. 1.*

10. Major est hujus scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas. *Aug. l. 15. super Gen. ad literam.*

11. Si in Scriptura sacra tantum essent, quæ facillime intelligerentur, nec studiose quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas. *Aug. de vera relig.*

12. Ad dignitatem scripturæ pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat: ut sic diversis intellectibus hominum conveniens unusquisque miretur, se in divina scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit: ac per hoc facilius contra infideles defenditur: dum, si aliquid, quod quisque ex sacra scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium sensum recursum possit habere. *Ibidem.*

13. Quilibet lector, qui expositurus sacram Scripturam aggreditur, quum in sacrarum voluminibus litterarum aliqua velut diversum sonante sententia sollicitatur, certa et inconcussa fide tenere debet, nusquam

deesse veritatem, etsi non facile propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit. *August. de prædest. gratiæ in princ.*

14. Sanctarum scripturarum auctoritatibus colla subdenda sunt, ut ad intellectum quisque per fidem veniat. *August. de baptis. patris.*

15. Titubat fides, si divinarum scripturarum vacillet auctoritas. Porro fide titubante, etiam ipsa charitas languescit. *August. de doctrin. Christia.*

16. Cœlestium scripturarum eloquia diù terere ac polire debemus, toto animo ac corde versantes, ut succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat. *Ambr. in lib. de Cain et Abel.*

17. Utere lectione divina vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando, et pulchriora faciendo, scriptura enim speculum est fœda ostendens, et corrigi docens. *Hier. in epist. ad Damas. Papam.*

18. De scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere: nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est rivulus nec aures Quintiliani flosculis et scholari declamatione mulcendæ, sed pedestris et quotidianæ similitudinis, et nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet. *Hier. in epist. ad Demetr. vir.*

19. Si juxta Apostolum Paulum, Christus Dei virtus est, et Dei sapientia. qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem ejusque sapientiam. Ignorantia scripturarum ignorantia Christi est. *Hieron. super Isa. in Proverb.*

20. Meditatio legis est, non solum in legendis scripturis, sed in his etiam, quæ scripta sunt, faciendis. *Hier. super Psalm. 1.*

21. Solent et viri, solent et monachi, solent et mulierculæ hoc inter se habere certamen, ut qui plus ediscunt scripturas, in eis se putent esse meliores, *Ibidem. c. 22.*

22. Ille plus didicit, qui plus facit. Cæterum si quod tu ediscis, ego facio, magis mea opera scrip-

turas teneat, quam tuus sermo, qui vanè resonat. *Ibidem.*

23. Pinguissimus sermo divinus est, omnes in se habens delicias; quidquid volueris, ex sermone divino nascitur, sicut tradunt Judæi: quoniam manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscujusque sic sapiebat in ore. *Hier. super Psal. 147. Et adipe fru. saciat se.*

24. Si quidquam est, quod in hac vita virum sapientem teneat, et inter pressuras et turbines mundi æquo animo manere persuadeat, id esse primum reor, meditationem et scientiam scripturarum. *Hier. super epist. ad Eph. lib. 1.*

25. Non putemus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis. *Ibidem.*

26. Sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium inhærentes firmamento S. scripturæ, non obscurat mundana iniquitas. *Hier. in quadam epist.*

27. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum est ars, quam sibi passim omnes vendicant. *Hier. in prolo. Bibl.*

28. Scribimus indocti doctique poëmata passim: hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt lacerare, docent ante, quam discant. *Hieron. ad Demet. vir.*

29. Litterarum et scripturarum ardor nulla prorsus ætate extinguitur, immo, ut singularis auctoris utar sententia, ipsa magis ætate inflammatur. *Ibidem.*

30. Sint scripturæ divinæ semper in manibus, et jugiter mente volvantur, nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, et operibus oblivisci, sed ideo illa cognosce, ut facias quidquid didiceris. *Non enim auditores legis justi sunt, sed factores, etc. Ibid.*

31. Divinas scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur: in scripturis divinis, per quas solas potes plane Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, suaderi nonnulla, prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. *Gregor. in Moral.*

32. Scriptura sacra mentis oculis quasi speculum quoddam opponitur, ut ibi interna facies nostra videatur: ibi enim fœda, ibi pulchra nostra conspicimus, ibi sentimus quantum proficimus, quantumve á profectu longe distamus. *Gregor. in prolog. mor.*

33. Sacra scriptura omnes scientias locutionis suæ more transcendit: quia in uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium: et sicut mysteriis sapientes exercet, sic superficie simplices refovet, habet enim in publico, unde parvulos nutriat et servet in secreto, unde mentes sublimium admiratione suspendat, quasi quidam fluvius, ut ita dixerim, planus et altus, in quo et agnus ambulet, et elephas natet. Mirabilis fluvius est iste, qui est ita planus, quod ibi agnus, id est, simplex et illitteratus potest siccis pedibus transire, et elephas, id est, magnus et subtilis potest natare, imo potest se submergere. *Greg. in moral.*

34. Omnem scientiam atque doctrinam sacra S. transcendit, ut taceam, quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam invitat, quod à terrenis desideriis cor legentis revocat, quod dictis obscurioribus fortes exercet, et parvulis humili sermone blanditur. Nec igitur clausa est, ut pavesci debeat, nec sic patet, ut vilescat: sed usu fastidium tollit, et tanto plus diligitur, quanto amplius meditatur. *Ibidem.*

35. Scriptura sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus: cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, et manducando glutitur: potus vero est in locis apertioribus: quia ita sorbetur, sicut invenitur. *Ibidem.*

36. De statu suo cadente dicendum. Nemo superbiat: de lapsu etiam suo surgente dicendum. Nemo desperet. Ecce quam mirabiliter scriptura sacra eodem verbo superbos premit, quo verbo humiles elevat. Unam namque rem gestam retulit, et diverso modo.

Superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles vero ad spei fiduciam revocavit. ¡Oh inestimabile novi generis medicamentum, quod uno eodemque ordine positum, et premendo tumentia exsiccat, et sublevando arentia infundit: de malorum nos lapsu terruit, sed de reparatione roboravit! *Ibidem.*

37. Quia scriptura sacra ostendit staturam suam in ædificatione morum: ostendit altitudinem in promissione præmiorum, ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. Recta est enim in præceptis, alta in promissis, horribilis in minis. *Greg. in ho. super Ezech.*

38. Scriptura sacra in utroque testamento et monendo recta est, et promittendo alta, et minando terribilis. *Ibidem.*

39. Quod de scripturis sacris auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *Ibidem.*

40. Divina colloquia cum legente crescunt, nam tanto illa quisque altius intelligit, quanto in eis altius intendit: unde nec elevantur rotæ, si non elevantur animalia: quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, divina dicta velut in imis non intellecta jacent: quum enim legenti cuilibet, scripturæ sacræ sermo, si tepidus divini eloquii sensus videtur; ejus mentem non excitat, et in cogitatione nullo interius lumine emicat tota otiosa, et in terra est, quia animal non elevatur á terra. *Greg. ho. 7. sup. Ezech.*

41. Quo legentis spiritus intendit, illuc divina eloquia levantur: quia si in eis altum quid videndo et consentiendo quæsieris, hæc eadem sacra eloquia tecum crescunt, tecum in altioribus ascendunt. *Ibid.*

42. Vadunt animalia ad utilitatem proximi, stant ad custodiam sui, elevantur ad contemplationem Dei, sed et rotæ pariter vadunt: stant et elevantur: quia quæsita sacra lectio talis invenitur, qualis et sit ipse, á quo quæritur. Ad activam vitam profecisti, ambulat tecum. Ad immobilitatem atque constantiam profecisti, tecum stat. Ad contemplativam vitam per Dei gratiam pervenisti, volat tecum. *Ibidem.*

43. In sacro volumine scriptæ sunt lamentationes, id est, pœnitentiæ peccatorum, carmen vero, quia ibi prænuntiantur gaudia justorum, væ autem, quia illic expressa est damnatio reproborum. *Gregor. ho. 5. super Ezech.*

44. Tanta ac talis est divinæ Scripturæ sublimitas, ut non solum verba, quæ á Sanctis vel ab ipso Domino dicta referuntur, sed etiam circunstantiæ rerum, quæ simpliciter positæ videntur, spiritualibus sunt plenæ mysteriis. *Greg. in ho.*

45. Liber, qui viscera replevit, dulcis in ore, sicut mel factus est: quia ipsi de omnipotente Deo sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare. In ejus quippe ore scriptura sacra dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur: quia ei suavis est ad docendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit. *Greg. ho. 10. Ezech.*

46. Inter mille secularium sermonum talenta vix centum denarios spiritualium poteris invenire verborum, imo nec decem quidem obolos. *Chrys. super Matth. c. 1.*

47. In scripturis enim ignorans invenit quid discat, contumax, quid timeat, laborans præmia, pusillanimis mediocris justitiæ cibos, qui et si pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui autem magni animi est, invenit ibi spirituales escas, quæ perducant eum prope ad angelorum naturam, qui vero est vulneratus á diabolo, invenit ibi cibos medicinales, et salutem per pœnitentiam. *Chrys. super Matth. 22. Omnia parata sunt.*

48. Quidquid terribile est in scripturis, usu vilescit, propterea clericus qui semper meditatur scripturas, aut omnino observaturus est, et erit perfectus, aut si semel cœperit illa contemnere, nunquam excitatur in illis, ut timeat. *Chrys. ho. 25. sup. Matth.*

49. Omnis latitudo scripturarum in oratione Dominica, et symboli brevitate concluditur. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

50. Geminum confert donum lectio sanctarum scrip-

turarum, sive quia mentis intellectum erudit, seu quod á mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit *Ibidem. lib. 3.*

51. Quanto magis quisque in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit. *Ibidem.*

52. Quid prodest in mundanis proficere doctrinis et inanescere in divinis: caduca sequi figmenta, et cœlestia fastidire mysteria? Cavendi igitur tales libri, et propter amorem sanctarum scripturarum vitandi: qui exterius eloquentia verborum nitent, et interius vacui virtutis sapientia manent. Eloquia autem sacra exterius incorrupta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientia fulgent. *Ibid. de li. gent.*

53. Sacra scriptura est liber vitæ, cujus origo æterna, cujus incorporalis essentia, cujus cognitio vita, cujus scriptura indelebilis, cujus inspectus desiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus scientia dulcis, cujus profunditas inscrutabilis, cujus verba innumerabilia, et unum tantum verbum omnia. *Hugo de arc. Noë.*

54. Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat et adjuvat ad omne opus, et ad omnem laborem ac studium sacræ scripturæ. *Hugo de lib. anim.*

55. Ad sacræ scripturæ cognitionem opus est intima compunctione, potius quam profunda investigatione, suspiriis, quam argumentis: crebris gemitibus, quam copiosis argumentationibus, lachrymis, quam sententiis, oratione, quam lectione, gratia lachrymarum, quam scientia litterarum, cœlestium potius contemplatione, quam terrestrium occupatione. *Ibidem.*

56. In refectorio sacræ scripturæ tres mensa, id est, tres intellectus divinæ scripturæ ponuntur, videlicet historialis, misticus et moralis: prima mensæ simplicibus, secunda doctoribus, tertia communis est utrisque, in prima cibus est grossior, in secunda subtilior, in tertia dulcior. Prima continet saporem exemplorum: secunda vim mysteriorum: tertia dulcedinem morum. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis. *Ibid. lib. 30.*

57. In sacra scriptura quidquid docetur, veritas, quidquid præcipitur, bonitas, quidquid promittitur, felicitas est. Nam Deus veritas est sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria. *Ibidem.*

58. Vere coruscus liber psalmorum, sermo lampalis, cura sauciati cordis, favus interioris hominis, occultarum lingua virtutum, quæ superbos humilitati inclinat, reges pauperibus subdit, affabilitate parvulos nutrit. *Cass. super Psalm. 15.*

59. Schola cœlestis, eruditio vitalis, auditorium veritatis, disciplina certissimè singularis, quæ discipulos occupat sensibus fructuosis, non inanium lenocinatione verborum. *Ibidem. 5.*

60. Alleluja, hujus verbi tantus honor est, ut cum sit in Hebræa lingua reconditum, nullo tamen constat alio sermone translatum: hoc tenet cuncta natio terrarum, et quidquid est deditum deitati, dignitatem hujus nominis pia devotione veneratur. *Ibidem. 147.*

61. Cui assimulabantur verba legis et prophetarum antequam venirel? Salomonis puteo, cujus aquæ sunt profundæ et frigidæ, et non poterat homo bibere de illis: sed quid fecit quidam subtilis? conjunxit funem funi, et lineam lineæ, et hausit, et bibit: sic processit Salomon de similitudine ad similitudinem, de parabola ad parabolam, donec stetit super secretis legis. *Rab. Moy. lib. 1. c. 1.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 15. in tit. Detractio, núm. 1. in tit. Devotio, núm. 10. in tit. Doctrina, núm. 1, 13. in tit. Ecclesia, núm. 23. in tit. Excusatio, núm. 7. in tit. Fabula, núm. 1, 2, 7. in tit. Philosophia, núm. 2. in tit. Prædicatio, núm. 10. in tit. Sanctitas, núm. 24, 25.

SECULARIS.

1. Non mediocre periculum est, cum habeas tanta eloquia Dei, et Dei opera quæ fecit, illis prætermissis,

loquaris quæ seculi sunt, audias quæ seculi sunt. Incumbit virtuti seculi, qui desperat de adjutorio Dei. *Ambr. sup. Beati immacula.*

2. Hunc mundus accipit, qui ad desideranda invisibilia non surgit. Seculares enim mentes quanto magis foris per secularia desideria dilatant, tanto magis sinum cordis ab ejus receptione angustant. *Greg. lib. 5. Moral.*

3. Sicut homo graves habens oculos, melius in loco tenebroso, quam in sole positus videt: sic homo terrenus in terrenis est astutus, et in spiritualibus cæcus. *Chrys. super Matth. 6. Si lumen.*

4. Hi sunt martyres seculi, mundi professores, discipuli curiæ, milites eloquii, per multas siquidem tribulationes intrant justi in regnum cœlorum: hi tamen per multas tribulationes promerentur infernum. *Pet. Rav.*

Vide etiam in tit. Martyrium, núm. 2. in tit. Otiositas, núm. 10. in tit. Prædicatio, núm. 2. in tit. Scriptura Sacra, núm. 42.

SECURITAS.

1. Nemo securus debet esse in vita ista, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. *August. lib. 10. conf.*

2. Nemo securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere, veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus. *August. de lib. arbitr. lib. 2.*

3. Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec infra unam cavernam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse voluit penetrari, qui hostem proprium in suas partes induxit, et intestinum sibi gladium ipse supponit, qui locum habitationis suæ adversarii ingressibus reseravit. *Hier. de cohab. cler. et mulierum.*

4. Sæpe mens dum virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario inopinatæ culpæ telo perforatur: et inde à Deo in æternum longe fit, unde ei ad tempus sine cautelæ custodia propinquaverit. *Greg. in moral.*

5. Incassum munita sunt cætera, quum locus unus, de quo hosti patet aditus, non est munitus. *Ibidem.*

6. Væ nobis miseris, qui de electione nostra, nullam adhuc Dei vocem cognovimus, et jam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profecto in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione, ut et illa certantes foveat, et torpentes pungat. *Ibidem.*

7. Sæpe quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas stravit. *Ibidem.*

8. Quælibet occulta loca sine gratia infusa animas servare non possunt: nam Loth in ipsa perversa civitate justus fuit, in monte peccavit. Sed isla cur dicimus, cum majora noverimus? Quid enim paradiso jucundius, quid cœlo securius? et tamen homo de paradisso, et angelus de cœlo peccando cecidit. *Greg. in ho. quad. et ponitur 40. distin.*

9. Quibusdam sæpe magnitudo virtutis occasio fuit perditionis: ut cum de confidentia virium inordinatè securi essent, per negligentiam inordinate morerentur. Mater enim negligentiæ solet esse securitas. Videndo ergo meretricem, id est, Magdalenam, de tua liberatione non desperes, sed etiam Judam cogitando, securus esse non debes. Confidentia stantem evertit: et desperatio post lapsum exsurgere non dimittit. *Greg. in pa.*

10. O vita secura, ubi absque formidine mors expectatur, imo et exoptatur cum dulcedine, et excipitur cum devotione. *Bern. ad mil. templ.*

11. Nusquam est securitas, fratres, nec in cœlo, nec in paradiso: multo minus in mundo. In cœlo enim cecidit angelus sub præsentia divinitatis, in paradyso Adam de loco voluptatis, in mundo Judas de schola salvatoris. *Bern. in ser.*

12. Nihil potest esse securius, quam illi omnia commitere, qui novit suis cultoribus congrue profutura præstare. *Cass. super Psal. 72.*

13. Sic comedo, bibo et dormio securus, quasi jam transierim diem mortis, et evaserim diem judicii, et tormenta inferni. Sic lado et rideo, quasi jam regnem tecum in regno tuo. *Hug. lib. 3. de animæ.*

14. Securitas est, incommoditates imminentes et rei inchoatæ fines non formidare. *Tullius in Rhet.*

15. Securitas magna portio est, nihil inique facere: confusam vitam et perturbatam potentes agunt, tantum metuunt, quantum nocent. *Sen. 16. epist.*

16. In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, et contra injuriam fortunæ inter beneficia firmetur. Qui enim in ipsa re trepidare noluerit, ante rem se exerceat. *Sen. 25. epist.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 31. in tit. Conscientia, núm. 29. in tit. Contemplatio, num. 5. in tit. Divitiæ, núm. 38. in tit. Error, núm. 9. in tit. Fides, núm. 32, 37. in tit. Laus, núm. 2.

SENECTUS.

1. Quum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant, nisi longam infirmitatem? *August. de Catechizandis rudi.*

2. Sit senectus nostra puerilis, et pueritia senilis, id est, ut nec sapientia nostra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia. *Aug. super Psal. 115.*

3. Oportet, ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis. *Aug. in quod. serm.*

4. Infantia nostra innocentia sit, pueritia sit reverentia, adolescentia patientia, juventus virtus, senium meritum, senectus nihil aliud, quam canus sapiensque intellectus. *Ibidem.*

5. Cum cuncta vitia in sene senescant, sola avaritia juvenescit. *Ibidem.*

6. Quid naturam accusas, ô homo? habet illa impedimenta quædam, senectutem et infirmitatem: sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior: in consiliis subtilior, ad constantiam subeundæ mortis potior, ad reprimendas libidines fortior: infirmitas corporis, sobrietas mentis est. *Ambr. in exam. lib. 1.*

7. Pascha, Hebraicè dicitur transitus, scilicet, quia per hoc mysterium de pejoribus ad meliora transitur. Bonus transitus est, de peccato transire ad justitiam, de vitiis ad virtutes, de senectute ad infantiam: ad infantiam autem dico, non ætatis, sed simplicitatis. *Ambr. in serm. de Pascha.*

8. Ætates quædam sunt meritorum: nam et senectus morum, invenitur in pueris, et innocentia infantium invenitur in senibus. *Ibidem.*

9. Nemo enim tam fractis viribus, et decrepitæ senectutis est, ut non se putet unum adhuc annum esse victurum. *Hier. in quadam epist.*

10. Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia, decrescunt cæteræ vires. *Hier. in epist. ad Nepot.*

11. Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate sit doctior, usu certior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum fructus dulcissimos metit. *Ibidem.*

12. Inter abusiones hujus seculi, sola major est senis obstinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret adventum, qui quasi ad ostium hujus mundi positus, foris spectat, nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec futuræ considerat. Audit nuntios mortis, et credere non vult eis. Tres sunt enim nuntii mortis, casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas gravia, senectus certa nuntiat. Casus nuntiat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem: Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis gravitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio, sed afflictio et humilitas sequi deberet. *Hugo. de claustro anim. lib. 2.*

13. Canities tunc est venerabilis, quando ea gerit, quæ canitiem decent: quum vero juveniliter senex conversatur, plus juvenibus ridiculus erit. *Chry. super epist. ad. he. ser. 7.*

14. Plus omnibus religioni operam dare senibus convenit, quos præsentis seculi florida ætas transacta deservit. *Cyprian.*

15. Quid stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat? quando totius corporis habitu senectute confectus homo ad interitum properat, dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suaviter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos et pedes tumor instat? Homo interior, qui senescit, his omnibus aggravatur, et hæc omni ruituram jam domum nostri corporis cito prænuntiant. *Ibidem.*

16. Quid superest, nisi dum hujus vitæ defectus appropinquat, nihil aliud cogitare, quomodo futuræ aditus prosperitatis comprehendatur, quisque senex appetatur? Juvenibus enim incertus hujus vitæ terminus instat: senibus vero cunctis maturior ex hac luce recessus. Cavendæ ergo sunt homini duæ particulæ, quæ in illius carne non veterascunt, et totum hominem ad peccandum trahunt, cor videlicet et lingua. *Ibidem.*

17. Sicut non sunt omnes viventes pari modo, vel ferventes spiritu vel disciplinis ac moribus optimis instituti: ita nec senes quidem cuncti uno modo, vel perfecti possunt, vel probatissimi reperiri. Divitiæ enim senum non sunt canities capitis, sed industria juventutis, ac laborum præteritorum stipendiis meliendæ. *Joan. Cass. colla. abbatis Moysi. secunda ca. 12*

18. Non omnium seniorum, quorum capita canities tegit, quosque vitæ longuævitas sola commendat, nobis sunt imitanda vestigia, vel sectanda, seu traditiones ac monita suscipienda: sed eorum quos laudabiliter vitam suam, ac probatissimè comperimus in juventute signasse, nec præsumptionibus propriis, sed majorum traditionibus institutos. *Ibidem.*

19. Sunt nonnulli, quorum etiam, quod est lugubrius, major pars sine dubio reperitur: qui in tempore suo, quæ ab adolescentia sua conceperunt, atque ignavia senescentes, auctoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt. *Ibid.*

20. Nihil est, quod senectuti magis noceat, ac dies hominis abbreviet, quàm tristitia, languor animi, atque ira. Nihil enim est hilari senectute jucundius. *Cass. in quad. epist.*

21. * Omnium ætatum certus est terminus: senectutis autem nullus certus est. *Cic. in ca. Matth.*

22. * Senibus labores corporis sunt minuendi: exercitationes animi augeri videntur. *Ibid. 1. Offic.*

23. Amplectenda est et amanda senectus: plena est voluptatis, si illâ scias uti. Gravissima sunt poma, quum fugiunt. Deditos vino polio extrema delectat, quod in se jucundissimum hominis voluptas habet, in finem suum differt. *Sen. 12. epist.*

24. Jucundissima est ætas devexa jam, non tamen præceps, quam dulce est cupiditates fatigasse aut reliquisse? *Ibidem.*

25. Molestum est, mortem ante oculos habere. Primum ista tam seni ante oculos debet esse, quam juveni. Deinde nemo tam senex est, ut improbè unum diem non speret. Unus autem dies gradus vitæ est, unus autem dies par omni est. *Ibidem.*

26. Gratias ago, non sentio in animo ætatis injuriam, cum sentiam in corpore tantùm vitia, et vitiorum ministeria: senum ut viget animus, et gaudet non multum sibi esse cum corpore; portus aliquando petendus, nusquam recusandus. *Sen. epist. 10.*

27. Nihil turpius, quam senem vivere insipientem. *Sen. epist. 12.*

28. Numera annos tuos, et pudebit eadem velle, quæ volueras, moriantur ante te vitia. *Ibid. 25.*

29. Turpis et ridicula res est, elementarius senex. Desine eadem velle senex, quæ voluisti puer: hoc opus sit, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. *Ibid. 62.*

30. Monstro similis est avaritia senilis. Quid enim stultius est, ut dici solet, quam via deficiente augere viaticum? *Sen. in lib. de morib.*

31. Honestior est, qui ad otium senectutem retulit, quàm qui in otio invenit, et tunc laborare incipiat. *Ibidem.*

32. Annus quum ludit, morti delicias facit: heu quam miserum est, fieri metuendo senem! frustra ad senectam ventum est, cum repetas adolescentiam. Senectuti familiaris loquacitas, thesaurum in sepulchro ponit, qui senem hæredem facit. *Ibidem.*

33. Senex facile provocatur, et difficile revocatur: cito credit, et tarde discredit, tenax et cupidus, tristis et querulus, velox ad loquendum, et tardus ad audiendum: laudat antiquos, et spernit modernos: vituperat præsentia, et commendat prælerita, suspirat et anxiatur, torpet et infirmatur. Audi Poëtam: Multa senem circumveniunt incommoda. *Innoc. de vilitate cond. human.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 20. in tit. Castitas, núm. 18. in tit. Consilium, núm. 44. in tit. Conversio, núm. 29. in tit. Correctio, núm. 43. in tit. Juventus, núm. 2, 3, 4, 5, 6, 8. in tit. Mors, núm. 57, 76, 77. in tit. Regere, núm. 18.

SERVITUS.

1. Bonus etiam si servit, liber est: malus autem, etsi regnet, servus est, nec est unius hominis: sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum. *August. lib. 4. de Civit. Dei.*

2. Servit quicumque, vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mærore dejicitur, servilis enim est omnis passio. *Ambr. de Jacob, et vita beata lib. 2.*

3. Est sapienti servire, libertas: ex quo colligitur, quod stulto imperare, servitus est: et quod pejus est, cum paucioribus præsit, pluribus dominis et gravioribus servit. Servit enim propriis passionibus, servit suis cupiditatibus, quarum dominatio nec nocte, nec die fugari potest: quia intra se dominos habet, intra se servitium patitur intolerabile. *Hier. in epist. ad Simplic.*

4. O extrema conditio servitutis! natura liberos genuit, sed fortuna servos constituit, servus cogitur pati, et nemo sinitur compati: dolere compellitur, et nemo condolere permittitur. Sic ipse vero servus est, ut nemo sit sibi: miseri, qui castra sequuntur, et miserum est aliena vivere quadra. *Innoc. de vilitate cond. human.*

5. * Servitus est obedientia fracti animi et abjecti arbitrio carentis suo. *Cicer. in Para.*

6. * Cum omnis servitus est misera, tum vero intolerabile servire impuro, impudico et affeminato. *Ibid. Philip. 3.*

7. Qui servitutem contempserit, in qualibet turba dominantium liber est. *Sen. 28. epist.*

8. Servi sunt, imo homines: servi sunt, imo contubernales: servi sunt, imo humiles amici: servi sunt, imo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunæ. Itaque derideo istos, qui turpe existimant, cum servo cœnare. Superbissima enim consuetudo cœnanti domino stantium servorum turbam circumdedit: majestatis suæ diminutionem putant ad eandem mensam cum servo accedere. *Sen. 47. epist.*

9. Infelicibus servis movere labia, ne hoc quidem ut loquantur, licet: sed sic fit, ut isti de Domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet. At illi, quibus non tantùm coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro Domino porrigere cervicem, in conviviis loquebantur, sed in tormentis tacebant. *Ibidem.*

10. Vis tu cogitare illum, quem servum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æque spirare, æque vivere, æque mori? tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te servum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, et aliis intrantibus excludi: Martiana clade multos splendidissime natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. *Ibidem.*

11. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat, veniat in men-

tem, tantundem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum: bona ætas est, forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? *Ibidem.*

12. Erras, si existimas, me quosdam quasi sordidioris operæ rejecturum, utpote illum mulionem, et illum bubulcum: non ministeriis illos æstimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores, ministeria cassus assignat. *Ibidem.*

13. Servus est, sed fortasse liber animo. Servus est, ostende quis non sit: alius libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Nulla servitus turpior est, quam voluntaria. *Ibidem.*

14. Paucos servitus, plures servitutem tenent. *Sen. 22. epist.*

15. Qui in servos suos irascitur, et crudelis est, satis ostendit, potestatem adversus alienos sibi defuisse. *Senec. lib. de morib.*

16. Servis tuis hilarem te præstes, non superbum: superiorem te colant potius, quam timeant. *Senec. 47. epist.*

17. Si quis existimat, servitutem in totum hominem descendere, pars ejus melior est excepta, corpora obnoxia sunt, et adscripta dominis, mens quidem sui juris est. *Senec. 3. de benefic.*

18. Plerique hominum stulti sunt, qui serviles et cibos et servilem fugiunt vestem, serviles mores non fugiunt. *Senec. de morib.*

19. Liberi servique personam veritas separat, servum liberumque mendacium miscet. *Ibidem.*

20. Cum Diogenes ex libertate in servitutem venderetur, et eum quidam emere vellet, quid servitutis sciret, percunctatus est. Respondit, novi, inquit, hominibus liberis imperare: at ille eum manumisit, filiosque ei tradens: *Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. Aul. Gell. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 25, 27. in tit. Divitiæ, núm. 16. in tit. Mors, núm. 3. 11. in tit. Patientia, núm. 26. in tit. Relinquere, núm. 13. in tit. Sacramentum, núm. 1.

SERVITIUM.

1. Vis ut serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua: debes regi: ut possis regere. *Aug. super Joan.*

2. Quum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res, quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. *Aug. lib. 10. Conf.*

3. Prudenter sibi Deus serviri vult, non ut nimietate sua debiles fiant: et postea medicorum suffragia requirant. Temperandum est enim, ut si fieri potest, cœptum obsequium magis provehatur, quam per inconsiderantiam minuatur: intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, ut quum de infirmitate sollicita est, non tantum dedita sit divinis servitiis. Damnum ergo affert improvidentia. Anima enim in tranquillitate posita totum cor extollit ad Deum, integro consilio obsecrans, quæ petenda sunt. *Amb. super epist. ad Timot. sup. ill. Modico vino utere.*

4. Qui accingi in divino servitio properat, quid aliud, quam se contra antiqui adversarii certamen parat? ut liber in certamine ictus suscipiat, quietus sub tyrannide in captivitate serviat. Unde cum Deo pax robustior oritur, nobis ab adversariis durior pugna reservatur. *Gregor. in moral.*

5. Nemo potest in una et eadem re omnipotenti Deo servire, atque ejus hostibus gratus existere. Nam Deo amicum se denegat, qui ejus placet inimico. *Greg. in quad. hom. sup. Ezech.*

6. Nonnulli terreno judici tota die adsistere fortes sunt: in oratione vero coram Domino etiam unius horæ momento lassantur. *Greg. in moral.*

7. Revelatur servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas: Servus dicit: *Vadam ad portas inferi.* Mercenarius, *non videbo Dominum Deum meum*

tem, tantundem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum: bona ætas est, forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? *Ibidem.*

12. Erras, si existimas, me quosdam quasi sordidioris operæ rejecturum, utpote illum mulionem, et illum bubulcum: non ministeriis illos æstimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores, ministeria cassus assignat. *Ibidem.*

13. Servus est, sed fortasse liber animo. Servus est, ostende quis non sit: alius libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Nulla servitus turpior est, quam voluntaria. *Ibidem.*

14. Paucos servitus, plures servitutem tenent. *Sen. 22. epist.*

15. Qui in servos suos irascitur, et crudelis est, satis ostendit, potestatem adversus alienos sibi defuisse. *Senec. lib. de morib.*

16. Servis tuis hilarem te præstes, non superbum: superiorem te colant potius, quam timeant. *Senec. 47. epist.*

17. Si quis existimat, servitutem in totum hominem descendere, pars ejus melior est excepta, corpora obnoxia sunt, et adscripta dominis, mens quidem sui juris est. *Senec. 3. de benefic.*

18. Plerique hominum stulti sunt, qui serviles et cibos et servilem fugiunt vestem, serviles mores non fugiunt. *Senec. de morib.*

19. Liberi servique personam veritas separat, servum liberumque mendacium miscet. *Ibidem.*

20. Cum Diogenes ex libertate in servitutem venderetur, et eum quidam emere vellet, quid servitutis sciret, percunctatus est. Respondit, novi, inquit, hominibus liberis imperare: at ille eum manumisit, filiosque ei tradens: *Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. Aul. Gell. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 25, 27. in tit. Divitiæ, núm. 16. in tit. Mors, núm. 3. 11. in tit. Patientia, núm. 26. in tit. Relinquere, núm. 13. in tit. Sacramentum, núm. 1.

SERVITIUM.

1. Vis ut serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua: debes regi: ut possis regere. *Aug. super Joan.*

2. Quum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res, quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. *Aug. lib. 10. Conf.*

3. Prudenter sibi Deus serviri vult, non ut nimietate sua debiles fiant: et postea medicorum suffragia requirant. Temperandum est enim, ut si fieri potest, cœptum obsequium magis provehatur, quam per inconsiderantiam minuatur: intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, ut quum de infirmitate sollicita est, non tantum dedita sit divinis servitiis. Damnum ergo affert improvidentia. Anima enim in tranquillitate posita totum cor extollit ad Deum, integro consilio obsecrans, quæ petenda sunt. *Amb. super epist. ad Timot. sup. ill. Modico vino utere.*

4. Qui accingi in divino servitio properat, quid aliud, quam se contra antiqui adversarii certamen parat? ut liber in certamine ictus suscipiat, quietus sub tyrannide in captivitate serviat. Unde cum Deo pax robustior oritur, nobis ab adversariis durior pugna reservatur. *Gregor. in moral.*

5. Nemo potest in una et eadem re omnipotenti Deo servire, atque ejus hostibus gratus existere. Nam Deo amicum se denegat, qui ejus placet inimico. *Greg. in quad. hom. sup. Ezech.*

6. Nonnulli terreno judici tota die adsistere fortes sunt: in oratione vero coram Domino etiam unius horæ momento lassantur. *Greg. in moral.*

7. Revelatur servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas: Servus dicit: *Vadam ad portas inferi.* Mercenarius, *non videbo Dominum Deum meum*

in terra viventium. Filius, *psalmos nostros cantabimus, etc. Bernard. in quodam serm.*

8. Decorem domus non dicit, pulchritudinem parietum, aut ministrorum pretiosissimos apparatus, sed ipsorum actuum beatissimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Ecclesia, scilicet in psalmorum jubilatione, in precum sanctitate, in christiani populi devotione subjungens, quia ubicumque habitat Deus, gloria est, gloriosum efficit quidquid inhabitare dignatur, et ab hospitis merito crescit hospitii magnitudo. *Cass. super psalm. 25.*

9. Quamvis hoc nec á laicis videatur exceptum, specialiter tamen sacerdotibus probatur impositum, ut tales ministros habeant, qui divinis regulis non repugnent. *Cass. super psalm. 109.*

10. Deus sustinet ut corrigat, flagellat ut erudiat, probat ut præstet, si fas est, ut cœlum non cooperiat terram, non potest fieri, ut Deus non protegat sibi purissime servientem. *Cass. super psalm. 102.*

11. Justum est, publicis actionibus personas inserere morum perspicuas, ut per obsequia fidelium omnibus crescat utilitatis augmentum. *Cass. l. 3. ep. 25.*

12. Mutat quaslibet largitates malorum servientium manus: quia sicut fontis puritas per limosa corrumpitur; sic affluentia boni principis malis distributoribus immutatur. *Cass. lib. 5. epist. 21.*

13. Hæc est consuetudo vestra ò divites, tamdiù cordi vobis sumus, quamdiu usui, ut injuriam vocetis finem servitutis. *Sen. de sent. orat.*

14. Quamdiu servus præstat, quod à servo exigi solet, ministerium est, ubi plusquam á servo necesse, beneficium est: ubi enim in affectum amici transit, beneficium vocari incipit. *Sen. 3. de benefic.*

Vide etiam in tit. Diabolus, núm. 6. in tit. Fraus, núm. 4. in tit. Homo, núm. 13.

SIMPLICITAS.

1. Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos: et astutiam serpentis, ne aliorum supplanteris insidiis: quia non multum distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse. *Hier. ad rust. monach.*

2. Prudentia absque simplicitate, malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur. *Hier. super Oseam.*

3. Simplex eris, si te mundo non implicaveris, sed explicaveris: explicando enim te á mundo, simplex, implicando, duplex eris. *Aug. ho. 2. sup. Joan.*

4. Nihil divitius viro simplici. Quid enim simplicitate divitius? quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, et sua puritate contenta, non quærit alienum: nec abrodit, nec de cæteris fingit, nec se in artes varias sæpe commutat, sicut astutia: quæ ut sit cauta, timet omnia, nec suis consiliis credit, versat ipsa suas sententias, simplicitas autem timere nihil novit. *Hier. super Oseam.*

5. Utraque bene in admonitione convertit, ut simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, et rursus serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. *Gregor. in mor. tract. ill. Estote prud.*

6. Nihil simplici corde felicius: quia ex quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi artem quamdam simplicitatem suam: nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. At contra mens prava semper in laboribus est: quia aut molitur mala, quæ inferat; aut metuit, ne sibi hæc ab aliis inferantur. *Gregor. in Moral.*

7. Omnibus nobis in conversionis initio, nulla virtus magis necessaria est, quam simplicitas humilis, et gravitas verecunda. *Bern. in quod. serm.*

8. De B. Job dicitur, quod erat vir simplex et rectus. Simplex videlicet per innocentiam mansuetudinis, rectus per cautelam discretionis: simplex quia nullum lædere, imo prodesse desiderabat: rectus, quia se á nullo corrumpi permittebat. *Bed. de templ. Salo. lib. 1.*

9. Simplicitas sine rectitudine dissoluta est, et stulta: rectitudo autem sine simplicitate austera ni-

mium existit et dura: verum utraque virtus conjuncta, perfectum reddit hominem. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 9. in tit. Doctrina, núm. 1, 11. in tit. Hypocrisis, núm. 14. in tit. Meritum, núm. 3. in tit. Sapientia, núm. 12.

SIMONIA.

1. Lepram cum Giezi á sancto suscepisse se credant Elisæo, qui gradum sacerdotalem se æstimant pecuniis comparare. *Ambr. in suo past.*

2. Sicut valdioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari: ita et hi, qui caput habentur ecclesiæ, morbo pestifero fraternum viliant corpus: ita ut vides in ecclesia passim, quos non merita, sed pecuniæ ad Episcopatus ordinem provexerunt. *Ibidem.*

3. Nempe hoc est, quod doleo, quod Archiepiscopus carnaliter episcopum fecit: nam propter pecunias specialiter leprosum ordinavit. Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem: quia donum sancti spiritus gratiæ pretio comparasti, et commercium mirabile in animarum exitium peregisti. *Ibid.*

4. Oculis quidem carnalibus videtur quis Episcopus magnus, et divinis oblutibus inspicitur leprosus magnus, qui per pecuniam acquisivit indebitum ordinem, et apud Deum perdidit interiorem hominem: caro suscepit dignitatem, et anima perdidit honestatem. *Ibidem.*

5. Quod dedit cum Episcopus ordinaretur, aurum fuit, et quod perdidit, anima fuit: cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit, et quod dedit, lepra fuit. *Ibidem.*

6. Sæpe sinistra principia ad felicem perveniunt exitum: ut Jacob per supplantationem pervenit ad benedictionem: ut fruges quæ leprosa manu seritur, munda tamen metitur. Ut ex adulterino concubitu pulchra soboles nascitur: sic et pecunia, quæ per symoniam acquiritur, felicem exitum habet, quum

pauperibus profutura erogatur: sed nihil horum simoniacis patrocinatur. *Hier. in epist.*

7. Sicut episcopum non decet manum, quam imponit, vendere: ita minister vel notarius non debet in ordinatione sui, vocem vel calamum venundare. *Greg. in registr.*

8. Simoniæ hæresis contagium jam olim in Balaam pullulavit: qui divinationis pretio proposito, ad maledicendum populum Dei perrexit: dehinc duo leguntur auctbores emersisse alter sub prophelica, alter sub apostolica doctrina. Primus Giezi magister esse vendentium, deinde Simon videtur emptor Horum autem sectatores sicut non sunt in errore diversi; ita nec in damnatione divisi. *Hug. lib. 2. de sacr. par. 10.*

9. Certe acceptior est apud Deum justitia, quam præbenda: ideo cum in utraque possit simonia committi: damnabilior tamen est omnis venalitas in exhibitione justitiæ, quam in venditione decimæ, aut præbendæ. *Pet. Rav. epist.*

Vide etiam in tit. Munus, núm. 6.

SOBRIETAS.

1. Sobrietas est mentis et sensus, membrorum omnium, corporisque tutela, castitatis pudicitiæque munimentum, pudori proxima, amicitiæ pacisque serva, honestatique semper conjuncta, criminumque et vitiorum omnium profuga. *Aug. lib. ad sacr. virg.*

2. Sobrietas est recti judicii tenax, memoriæ recordationisque inseparabilis sapientiæ, secretorum custos, arcani velamen, lectionum et doctrinæ capax, studiorum et artium bonarum disciplina, pariter et magistra ingeniorum et capiendorum pedissequa, bonæ famæ semper avida, salubria atque utilia creans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum se semper ingerens. *Ibidem.*

3. Sobrietas temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officiis obtemperat, superbiam detes-

tatur, domum familiamque cum moderatione gubernat, fidem sibi committentibus servat. *August.*

4. Sobrietatis perseverentia inæstimabilis est animi fortitudo, omnes eam virtutes et omnes laudum tituli concupiscunt: quia sine ipsa ornari aut placere non possunt. *Ibidem.*

5. Simplicior victus, et mensa mediocris plurimum jucunditatis habet et voluptatis: econtrario vero divitum mensæ execrabiles quidem et horridæ, ac membrorum contaminationis plenæ. *Chrysost.*

6. Sobrietas omnium virtutum mater est, sic econtrario ebrietas, omnium vitiorum origo. *Greg. ho. 87.*

7. Sobrietas felix, satietas salutaris, quæ quantò copiosiùs sumitur, tantò magis sobrietatem mentibus donare dignatur. *Cass. super Psalm. 69.*

8. Recens escæ perceptio tam in vespertinis quam nocturnis orationibus levem tenuemque sensum non sinit inveniri: ideoque satis commodum et utile hora nona refectionis tempus indultum est, in quo reficiens stomachus non solum in nocturnis vigiliis levis ac vacuus, verum etiam in ipsis vespertinis solemnitatibus digesto jam cibo aptissimus invenitur. *Joan. Cass. colla. abbatis. Moysi c. 26.*

9. Si quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas: paucis enim minimisque natura contenta est, cujus satietatem si superfluis velis regere, aut injucundum quod infuderis fiet, aut noxium. *Boet. de cons.*

10. Hanc sanam ac salubrem formam vitæ tenete, ut corpori tantum indulgeatis, quantum bonæ valetudini satis est. Cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis frigus arceat, domus munimentum sit adversus infesta corpori: hanc utrum cespes erexerit, an vanus lapis gentis alienæ, nihil interest. Scitote tam bene hominem culmo, quam auro tegi: Cogitate nihil præter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est. *Sen. 8. epist.*

11. Sine fastidio implendus est venter. Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quidquid acceperit? *Sen. epist. 21.*

12. Sobrietas virtus est appetentis, per quem pravæ voluptates non appetuntur. *Arist. de virt. et vit. divis.*

13. Sobrietas est affectus moderationis contra incentiva crapulæ, et diluvium ebrietatis. *Tullius de Offic.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 37. in tit. Ebrietas, núm. 33. in tit. Gloria vana, núm. 34. Gula, núm. 16. in tit. Sacerdos, núm. 14. in tit. Temperantia, núm. 7.

SOCIETAS.

1. Societas nullo modo fit major accendente sive permanente consorte possessionis bonitatis: imo possessionem bonitatis quantò latiùs, tantò concordiùs individua sociorum possidet charitas. Non habebit denique istam possessionem, qui eam noluerit habere communem: et tantò eam reperiet ampliorem, quantò amplius sibi potuerit amare consortem. *August. de Civ. Dei.*

2. Non turbatur navis, quæ Petrum habebat, sed turbatur illa, quæ Judam habebat: etsi multa illorum discipulorum merita naufragabant: tamen adhuc perfidia proditoris agitabatur in utraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caveamus igitur perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. *Ambr. sup. Luc. lib. 4.*

3. Voluit Christus deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi: ut cum sis desertus à socio, proditus ab ipso, moderate feras, tuum errasse judicium, periisse beneficium. *Ibid. lib. 5.*

4. Erat in navicula Simon Petrus, sed erat pariter et Judas proditor: quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen perfidia eam perturbabat. Tranquillitas est, ubi solus Petrus navigat, tempestas ubi Judas adjungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis: perturbabatur tamen criminibus proditoris: unius igitur delicto cunctorum merita quassantur. *Ambr. in ser. de cathedr. S. Petr.*

5. Tolerandi ubique sunt proximi: quia Abel fieri

non valet, quem Cain malitia non excercet. Unum vero est, potentia, qua vitari societas malorum debeat: ne, si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant, et quum ipsi sua malitia non mutantur, eos, qui sibi conjuncti fuerint, pervertant. *Greg. in ho. 9. super Ezech.*

6. Bonus sic malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut citò ab invicem separentur. Amicitiæ enim pares aut quærunt aut faciunt. *Chrys. super Matth.*

7. Rerum natura sic est, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: diversitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, et multos sollicitat societas nefanda. *Ibidem.*

8. Vitiosus conscientias vitiosorum non refugit, et ubi omnes sordent, onus minimè fortè sentitur. *Bern. lib. de consid.*

9. Ante ignem consistens, etiam si ferreus sis, aliquando dissolveris, proximus periculo diu tutus non erit. Per assiduitatem citò peccat homo. Sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit, sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superavit. *Isid. lib. 2. Soliloq.*

10. Melius est habere malorum odium quam consortium. Sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum. *Ibid.*

11. Amabilis socius omnibus est officiosus, et nulli onerosus, quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, Domini servus, proximi socius, mundi dominus, superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium. *Hug. lib. 3. de anim.*

12. Remedium enim est, quem converti velle non videris, vitare, si possis. *Cass. super ill. psalm. Declinate à me mali.*

13. Ipsi quoque homini duplices manus, socias aures, oculos geminos Divina tribuerunt, ut robustius perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum. *Cass. lib. 2. epist.*

14. Melior est societas simplicis inter sapientes nutriti, quam prudentis cum peccatoribus educati. Dulcior est sapientis aspera vita inter sapientes, quam dulcis inter insipientes. *Pet. Chris.*

15. Si quis in cœlum ascendisset, naturamque mundi et pulchritudinem syderum prospexisset, suavem illam admirationem sibi fore, quæ jucundissima fuisset, si alium, cui narrasset, haberet: sic natura solitarium nihil amat. *Tullius de amici.*

16. * Socii putandi sunt, quos inter res communicata est. *Ibid. act. 5. in Ver.*

17. * In rebus humanis socium fallere turpissimum est propterea quod se putat auxilium sibi adjunxisse, qui cum altero rem communicaverit. *Ibid. pro Rosc.*

18. * Æque perfidiosum est et nefarium, fidem frangere, quæ continet vitam, et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit, et socium fallere, qui se in negotio adjunxit. *Ibidem.*

19. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatori testis adsistit. Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate secretum suum sanctius faciat, juxta illud: Ut vitium vites, vitiique suspicionem, semper eos tecum, quos verearis, habe. *Sen. epist. 11.*

20. O felicem illum, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus, se componat atque ordinet! qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus, ubi ad regulam prava corriget. *Ibidem.*

21. Humanitas vetat superbum esse apud socios, vetat avarum: verbis, rebus, affectibus communem se, facilemque omnibus præstat, nullum alienum malum putat: bonum autem suum ideo maximè, quod alicujus bonum futurum esse amat. *Ibidem.*

22. Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior est, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. *Ibidem.*

23. Nulla res magis animos inhonestos et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, et vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri. *Ibidem.*

24. Convictor delicatus paulatim enervat, et emollit: necesse est, aut imiteris, aut oderis: utrumque autem devitandum est, ne aut similis malis fias, quia multi sunt: ne vel inimicus multis, quia dissimiles sunt. Cum his conversare, qui te meliorem facturi sunt, illos admitte, quos tu potes facere meliores. *Ibidem.*

25. Nullius rei sine socio jucunda est possessio. Non magis utilitati est ager cum reditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis. Sit tibi erga singulos salsi libra sermonis, ut te blandum pueri, comem juvenes, gravem senes metiantur. *Sen. 17. ep.*

26. Ante circumspiciendum est, cum quibus edas et bibas, quam quid edas et bibas. *Ibidem.*

27. Comes facundus in via pro vehiculo est. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 2, 25. in tit. Consolatio, núm. 20. in tit. Conversatio, núm. 7, 10, 38, 39, 41, 45, 47, 48. in tit. Discere, núm. 13. in tit. Excusatio, núm. 6. in tit. Fraternitas, Pax, núm. 1, 3.

SOLEMNITAS.

1. Toties enim dies natalitios sanctorum celebremus, quoties virtutes eorum recolimus, quibus claruerunt in terris; ut ad gloriam illius, à quo totum habuimus, referamus. *August. in quod. serm.*

2. Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam in theatro seditiosus existeret: et melius fœminæ eorum die sabbati lanam nerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltarent. *August. in lib. de decem chordis.*

3. Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ precibus expietur. *Gregor. in registro.*

4. Quid prodest interesse festis hominum, si contingat deesse festis angelorum? *Greg. ho. 33. sup. Evangel.*

5. Valde absurdum est nimia saturitate velle honorare martyrem, quem sciamus Deo placuisse jejuniis. *Hier. in epi. ad Eusto.*

6. Si desinas ab omnibus secularibus operibus, et nihil mundanum geras sed spiritualibus operibus vaces, ad ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia et visibilia, sed ad invisibilia et futura: hæc est observatio sabbati Christiano. *Orig. super Exod. ho. 69.*

Vide etiam in tit. Sanctitas, núm. 10, 11, 12, 15, 16.

SOLLICITUDO SIVE OCCUPATIO.

1. Amant perversi homines pro hujus mundi gloria tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter serviunt, et gravium laborum jugo devotissimè colla submittunt, quod bene sub Effraim specie Osee prophetante describitur, qui ait: Effraim vitula docta diligens triturare. Vitula enim trituræ laboribus assueta, relaxata, plerumque ad eundem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitio dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat. *Gregor. in moral.*

2. Cessationem Dominus á mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet, et tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter, quam tenere blanda spiritualiter gaudet: plus acerbitate fatigationis, quam quiete dulcedinis pascitur. *Ibidem.*

3. Quid per porros et cæpas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lachrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ á dilectoribus suis, etsi non sine luctu agitur, tamen cum lachrymis agatur? Manna sibi deferentes cum peponibus ac carnibus, porros cæpasque quæsierunt, quia videlicet perversæ

mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus mundi itinera etiam lachrymis plena concupiscunt, contemnunt habere, ubi spiritualiter gaudeant, et desideranter appetunt, ubi carnaliter gemant. *Ibidem.*

4. Plus in hoc mundo honor, quam despectio occupat, et magis prosperitatis sublimitas, quam necessitatis adversitas gravat. Mens dum pro blanda occupatione premitur, libens ad exteriora derivatur, *Ibidem.*

5. Qui rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, quum sollicitè ad interiora refugiunt, quum nequaquam perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. *Ibidem.*

6. Nonnumquam qui quietus alicujus esse meriti creditur, positus in qualibet actione dividitur. *Ibidem.*

7. Sæpè, qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt, et sæpe, qui occupati bene usibus humanis viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. Nonnulli hominum ita oliosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant. *Ibidem.*

8. In istis visibilibus, quæ intuemur, cor nostrum extra se spargitur, et quidquid de se intrinsecùs agatur, obliviscitur, dum extrinsecùs occupatur. *Ibidem.*

9. Occupatio secularium dignitatum tantò facilioribus vitiis premitur, quantò majoribus curis gravatur. *Ibidem.*

10. Sæpè misericors Deus, quos suos tenere diligit, eos sollicitè ab exterioribus actionibus custodit. Nam et plerumque pater familias ad eum laborem servos dirigit, á quo subtiles filios suspendit. *Ibidem.*

11. Præoccupatum quippe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, ælerna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis: ut pariter sapiat, quæ sursum sunt, et quæ super terram. *Bernar. in quodam serm.*

12. Cor meum, quando futurum non curat gaudium, implicatur amore terrestrium, quumque illis involvitur, vanitas recipit, curiositas deducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, torquet invidia, cruciat tristitia, turbat iracundia, sicque miser casibus, vitiis omnibus, et quasi per multa mens dispergitur: quærit, nec invenit, ubi requiescere possit. *Ibidem.*

13. Nequaquam ulterioris cura diei te conterat: cujus enim diei spatium te visurum nescis, quam ob causam illius solliciludine torqueris? *Chry. super Matth. 6. Da nobis hodie.*

14. O infelix anima, quid sollicita es erga plurima? porro cum unum sit necessarium, dilige unum, in quo sunt omnia, et ibi fige cor tuum, et desiderium. Nam felices illius civitatis cives, cujus participes in idipsum: mundus enim transit, et concupiscentia ejus. *Richar. de sant. Vict.*

15. Sollicitus dicitur, quasi solers citus: in quantum scilicet aliquis ex quadam solertia animi velox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda. *Isid. lib. 2. Etymol.*

16. Nam sicut homo nunquam invitus bene servit: ita nec occupatus bene commendata custodit. *Max. episcop. in quodam serm.*

17. Non invenio, cum quo te malim esse, quam tecum si potes; obduc te, et occupationibus istis nec jactare debes, nec abscondere. Id age, ut otium tuum non emineat, sed appareat: si latebras times, te satis priora monstrabunt. Tenebras habere non potes, sequetur quocumque fugeris multum pristinæ lucis: quietem potes vendicare sine illius odio. *Sen. epi. 19.*

18. Ubicumque mecum sum; rebus enim me non trado, sed commodo. *Sen. epi. 55.*

19. Numquid non succedent occupationes novæ? serimus illas, ex una exeunt plures. *Senec. 78.*

20. Cum Diogeni fur de nocte sacculum cum nummis subtrahere conaretur, et ille sentiret: tolle, inquit, infelix, ut facias utrosque dormire. *In Prov. philosoph.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 7. in tit. Caro,

núm. 16. in tit. Contemplatio, núm. 6, 12, 31. in tit. Cupiditas, núm. 18. in tit. Devotio, núm. 2. in tit. Divitiæ, núm. 37, 63, 64. in tit. Gratia, núm. 13, 18. in tit. Judex, núm 7, 15. in tit. Labor, núm. 5. in tit. Mundus, núm. 7. in tit. Prælatio, núm. 65. in tit. Prosperitas, núm. 18. in tit. Regimen, 8. in tit. Simplicitas, núm. 2. in tit. Solitudo, núm. 1, 11, 18, 19, 22, 28.

SOLITUDO, ET TUMULTUS.

1. Minus voluptatibus stimulatur, qui non est ubi frequentia voluptatum, et minus avaritiæ molestias patitur, qui divitias non videt. *August. in lib. de singul. cler.*

2. Sapiens nunquam solus esse potest; habet enim secum omnes, qui sunt, et qui fuerunt boni, et animum liberum, et quocumque vult, profert et transfert, et quod corpore non potest, cogitatione complectitur: et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo: nunquam bonus solus erit. *Hier. contra Jovinian.*

3. Infinita eremi vastitas te terret, sed tu paradysum mente deambula: quotiescumque cogitatione ac mente illuc conscenderis, toties in eremo non eris, scabra sine balneo contrahitur cutis: sed qui in Christo semel lotus est, non illi necesse est iterum lavari. *Hier. in epist. ad Heliod.*

4. Solitariam vitam numquid reprehendimus? minimè, quippe quam sæpe laudavimus, sed de monasteriis his nolumus egredi. Milites quoque eremi dura rudimenta non terreant, qui speciem conversationis multo tempore dederunt, qui omnium fuerunt minimi, ut primi omnium fierent: quos nec esuries, nec satietas aliquando superavit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, incessus, vultus, doctrina virtutum est. *Hier. in epist. ad Rusti.*

5. Si carni, quod licet, abscindimus mox in spiritu, quod delectat, invenimus. Intentioni quippe animæ si exterior evagatio clauditur, interior accessus

aperitur; nam quò extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eò super se intendere per provectum potest: quia et in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur: et quum rivos fontis obstruimus, fluenta surgere ad superiora provocamus. *Greg. lib. 30. Moral.*

6. Qui corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se infert, non est in solitudine; si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos secularium curarum tumultus in corde patiatur, non est in urbe. *Greg. ibid. sup. ill. Job. Cui dedi in solitudine domum.*

7. Malum, quod nemo videt, nemo arguit, ubi autem non timetur reprehensor, securus accedit tentator, licentiùs perpetratur iniquitas. In conventu verò, siqua bona agis, nemo prohibet. Malum autem facere si vis, non licet: si ergo de fatuis virginibus es, congregatio tibi necessaria est, si de prudentibus, tu congregationi. *Bernar. ad Sophiam virg.*

8. Quamdiu quis permistus est turbis, et in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus. *Orig. ho. 8. super Levi.*

9. Solitudo sicut novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, et intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam revelare: ita eorum, qui minus emendati sunt, vitia non solum servare, sed etiam exaggerare consuevit. Tamdiu patiens sibi quisque videtur et humilis, donec nullius hominum commiscetur consortio; ad naturam pristinam reversurus, quum interpellaverit cujuslibet occasionis commotio. *Joan. Cass. de instit. mon. lib. 8.*

10. Crates cum vidisset secreto ambulantem adolescentulum, interrogavit, quid illic solus faceret? mecum inquit, loquor; cui Crates: cave, inquit, rogo, et diligenter attende, ne cum homine malo loquaris. *Val. Max. et Sen.*

11. Projice quæcumque cor tuum laniant, quæ

si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat. *Sen. l. 2. epist.*

12. Quidam adeo in latebras refugiunt, ut putent in turbido esse, quidquid in luce est. *Sen. epist. 2.*

13. Lugentem timentemque custodire solemus, ne solitudine malè utatur. Nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat. Illud enim quod solitudo habet commodum, est non timere judicem. *Ibid. 10.*

14. Quid autem prodest recondere se, et ante oculos hominum, auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat, mala et solitudine anxia est, atque sollicita. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! *Ibidem 91.*

15. Qui res et homines fugit, ille est, quem cupiditatum suarum infelicitas relegavit: qui alios feliciores videre non potuit, qui se velut timidum atque iners animal, metu occultavit: ille sibi non vivit, sed quod turpissimum est, ventri, somno, libidini; non sibi vivit, qui nemini. *Ibidem 56.*

16. Vivit is, qui multis usui est: vivit is, qui se utitur. qui vero latitant et torpent, mortem suam antecesserunt. *Ibidem 61.*

17. Omnia nobis mala solitudo persuadet: nemo est, cui non sanctius sit cum quolibet esse, quam secum. *Ibidem.*

18. Licet foris resonent omnia, dum intus tumultus non sit, dum inter se non rixentur cupiditas et timor, dum avaritia luxuriaque non dissideant, nec altera alteram vexet, benè est animo. Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt? *Ibidem.*

19. Quid tibi præcipuè vitandum existimes, quæris; turbam. Numquam illi tu te commiseris, nunquam á turba mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur, aliquid ex his, quæ fugavi redit, inimica est multorum conversatio: nam aut aliquid vitii nobis ingerit, aut commodat, aut imprimit: quò major est populus, cui miscetur, hinc periculi plus est. *Sen. 7 epist.*

20. Nihil tam damnosum bonis moribus, quam in spectaculo residere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia subrepunt. *Ibidem.*

21. Secessi non tantum ab hominibus, sed á rebus, et in primis á rebus meis. Qui nihil videntur agere, majora agunt. *Sen. epist. 1.*

22. Tumultuosam probantes vitam, quotidie cum difficultatibus rerum magno animo colluctantur. Sapiens feret ista, non eliget, et mallet esse in pace, quam in pugna. *Sen. 22. epist.*

23. Jucundum est esse secum, quum quis se dignum diutissimè, quo fruatur, efficit. *Sen. 5. epist.*

24. Animalia quædam, ne inveniri possint, sua circa ipsum cubile confundunt. Idem tibi faciendum est, alioquin non deerunt, qui persequantur. Multi aperta transeunt, condita et obstrusa rimantur, furem signata sollicitant, vile videtur quidquid patet. *Sen. epist. 10.*

25. Amplectendum est otium, quod inter Deos agitur, quod Deos facit, sed fortè conquereris, virtutem abscondi. Nulla virtus latet, et latuisse, non ipsius est damnum. *Sen. 74. epist.*

26. Solitudinem quærit, qui vult cum innocentibus vivere. Optimus animus et pulcherrimus Dei cultor est. *Sen. lib. de morib.*

27. Non vivas aliter in solitudine, aliter in foro. *Ibidem.*

28. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge et unum. Unus pro populo mihi est, et populus pro uno. Mihi satis est unus, satis est nullus. *Sen. in quad. ep.*

29. Omnes vocant cui volunt, neminem res sequuntur, ipsi illas amplexantur, et argumentum felicitatis occupationem esse putant. *Sen. in ep.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 10. in tit. Detractio, núm. 15. in tit. Prælatio, núm. 56, 57. in tit. Societas, núm. 14. in tit. Taciturnitas, núm. 20.

SORTILEGIUM ET DIVINATIO.

1. Varro dixit, quator esse divinationis genera,

terram, aquam, aëra, et ignem: hinc Geomantiam, hydromantiam, aëromantiam, pyromantiam, dictam constat. Divini dicti sunt, quasi Deo pleni, divinitate enim se plenos simulant, et astutia quadam fraudulenta hominibus futura conjectant. Duo sunt autem genera divinationis, ars et furor. Incantatores dicti sunt qui peragunt verbis artem: sunt arioli, sunt aruspices, sunt augures: qui et auspices et sortilegi, auspicia et auguria: sunt pythones, genethliaci, sunt salisatores, sunt et præstigia. Cuncta autem hæc sunt á Christiano vitanda, et omni penitus execratione repudianda atque damnanda, nam in his omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum, et malorum angelorum exorta. *Isid. lib. 8. c. 9. ubi plenius de omnibus agitur et ex Aug. in dec. q. 26.*

2. Divinatio est earum rerum prædictio, et præsensio, quæ sunt fortuitæ. *Tull. in 2. de divin.*

3. Qui sine salvatore salutem vult habere, et sine vera sapientia æstimat, se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, et in cæcitate noxia stultus, et demens permanebit; ac proinde omnis inquisitio, et omnis curatio, quæ á divinis, et magis, vel ab ipsis dæmoniis in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda, quam vita. *August. in lib. de Civ. Dei.*

4. Illos planetarios, quos mathematicos vocant, plane consulere non desistebam, quòd quasi nullum eis sacrificium et nullæ preces ad aliquem spiritum ob divinationem dirigeretur, quod tamen Christiana et vera pietas consequenter expellit et damnat. *Aug. lib. 3. conf.*

5. Hujusmodi artes nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum, quasi peccata infidelis et dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudiandæ et fugiendæ Christiano. *Aug. lib. 1. de Doctrin. Christia.*

6. Non est absurdum credere, aliquâ dispensatione permissum fuisse, ut non dominante arte magica, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam et Saulem

latebat, se ostenderet spiritus justi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus: vel non vere spiritus Samuelis á requie sua excitatus est, sed aliquod phantasma et illusio imaginaria diaboli machinationibus facta, quam Scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari. *August. in epist. ad Simplic.*

7. Non debemus sub exemplo Jonæ sortibus credere, vel illud de actibus Apostolorum hujus testimonio copulare, ubi sorte Matthias in apostolatum eligitur. *Hier. super Jonam.*

8. Siquis ariolos, aruspices vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usui fuerit, anathema sit. *Gregor. et ponitur. 26. q. 5. si quis.*

9. Non exemplo Matthiæ, vel quod Jonas prophela sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum communem legem omnino facere non posunt. Siqui tamen necesitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus Apostolorum exemplo esse consulendum, videant hoc ipsos apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, et precibus ad Deum fusis egisse. *Beda super Acta Apo.*

10. Sortilegium est quoddam genus culturæ idolorum ex dæmonum consultationibus futura prædicando. *Isid. de etymolog.*

SPES.

1. Mihi magis videtur fidei filius, qui novit, à quo speret, quod nondum habet, quam qui sibi tribuit, quod habet. *August. de spi. et li.*

2. Vita vitæ mortalis spes est vitæ immortalis. *Aug. super Psal. c. 3.*

3. Qui gaudet in spe, tenebit et rem; qui autem spem non habet, ad rem non poterit pervenire: spes et charitas erunt idem. *August. de charita.*

4. Fides credit: spes et charitas orant, sed sine fide esse non possunt: at per hæc et fides orat. *Aug. in Enchirit.*

5. De divina miseratione tunc sperandum amplius est, quum præsidia humana defecerint. *Amb. in hexam.*

6. Spes commodi furatur labores, et metum abscondit periculi. *Ibid. super Psalm. 12.*

7. Omne opus leve fieri solet, quum ejus pretium cogitatur, et spes præmii solatium fit laboris. *Hier. in epist.*

8. Spes in æternitatem animum erigit, et idcirco nulla mala exteriùs, quæ tolerat, sentit. *Greg. lib. 6. Moral.*

9. De spe incassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. *Greg. lib. Moral.*

10. De creatore desperare est, spem in creatura ponere. *Greg. in Moral.*

11. *Tu es Domine spes mea*: Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea, hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis: prælendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et æstus, jejunare bis in Sabbato se dicat, postremò non esse sicut cæteros, omnino glorietur. Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. *Bern. ser. 9. sup. Qui habitat.*

12. Si mihi præmia promittuntur per te obtinenda, sperabo: si insurgant adversum me prelia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. *Ibidem.*

13. Ut quid cunctamur omnino abjicere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, et huic uni tam solidæ, quam perfectæ, tam beatæ spei tota devotione animi, toto fervore spe inhærere? *Ibidem.*

14. Dicit fides: parata sunt magna et inexcogitabilia bona á Deo fidelibus suis: dicit spes: mihi illa servantur; nam fertia quidem charitas: curro ego, ait ad illa. *Ibid. serm. 10. super Qui hab.*

15. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Non est via ad regnum sine

præmiis regni, nec sperare potest cœleste regnum, cui nec super propria regnare membra adhuc donatur. *Bernard.*

16. Tu es patientia mea: si tribulatio infertur, per te superabo: tu es spes mea: si præmia promittantur, per te obtinebo: si insurgat hostis, non nisi in te sperabo. *Ibidem.*

17. Futurorum spes laborantibus requiem parit, sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ. *Orig. super Ex. ho. 9.*

18. Spes est virtus, quâ speramus præmium vitæ æternæ justorum meritis reddendum. *Cass. super Psalm.*

19. * O fallacem hominum spem fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpè franguntur et corruunt, et ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerint. *Cicer. 1. de Orat.*

20. * Sola spes hominem in miseriis consolari solet. *Ibidem. in Cantil.*

21. Spes est ultimum adversarum rerum solatium, memoriæ minimum tribuit quisque, spei plurimum. *Senec. in quadam epist.*

22. Spe bonorum, quidquid indignitatis imponitur, ferre convenit: remedium bonorum futura spes est, nec innocentem debilitat conscientiam quum in adversis solatium est, non meruisse, quæ patitur. Fortuna innocentem deserit sæpe, at bona spes nunquam. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Desperatio, num. 8. in tit. Resurrectio, núm. 17. in tit. Tribulatio, núm. 11, 33.

SPIRITUS SANCTUS.

1. Sanctum semper opus in me spira, ut cogitem: compelle, ut faciam: suade, ut te diligam: confirma me, ut te teneam: custodi me, ne te perdam. *Aug. in epist. ad quendam comit.*

2. Spiritus sapientiæ negligentiam impigrè repellit,

spiritus intellectus diligentiam rationabiliter quærit, spiritus consilii divinam providentiam prudenter invenit, spiritus virtutis insligationes fortiter recondit, spiritus scientiæ oblivionem lubricam diu esse integrè non sinit, spiritus pietatis humanam fragilitatem clementer indulget, spiritus timoris Dei improvidam ignorantiam ardenter decoquit, et benè replet. *Hier. super Marc.*

3. Sapientia domum ædificat, intellectus gubernacula invenit, consilium bona discreta facit, virtus in patientia animam possidet: scientiâ divitiæ Dei et salutis acquiruntur, pietate prosperitas præsentis vitæ et futuræ consistit, timore humanitas conservatur, et omne peccatum expellitur. *Ibidem.*

4. Porrò ad faciendum bonum, quid in nobis bonus spiritus operatur? profectò monet, movet et docet: monet memoriam, movet voluntatem, et docet rationem: nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis et compunctionis exurit spiritus dulcis et suavis. *Greg. lib. Moral.*

5. Habitare in corpore animam, probant vitales sensus corporis; habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis. Illud ex usu et auditu dignoscitur, istud ex charitate et humilitate, cæterisque virtutibus. *Ibidem.*

6. Septem graduum erat ascensus civitatis. Sunt enim multi, qui jam per septem gradus, id est, per sancti spiritus septiformem gratiam, aditum vitæ cœlestis inveniunt: per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi. *Greg. super Ezech.*

7. Spiritus sanctus in columba et igne apparuit: quia omne cor, quod ejus gratia tangitur, et mansuetudinis lenitate tranquillum, et zelo justitiæ fit accensum. *Greg. in ho.*

8. Spiritus sanctus contra singula tentamenta erudit: et in septem virtutibus temperat, ut contra stultitiam sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra duritiam pietatem, contra superbiam del timorem. Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, quia omnes quos replevit, ardentes pariter et loquentes fecit. *Greg. in ho. si quis.*

9. Quia Dominus discipulos et zelo succensos, et verbo eruditos intùs reddit, foris linguas igneas ostendit: in significatione admota sunt elementa, ut ignem et sonitum sentirent corpora, igne verò invisibili, et voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo ruit ignis, qui apparuit, sed intùs, qui scientiam dedit. *Gregor. in Moral.*

10. Idcirco Spiritus sanctus in igne et columba nobis monstratus est, quia videlicet omnes, quos implet, et columbæ simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Spiritu sancto plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursus in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. *Gregor.*

11. In terra datur spiritus, ut diligatur proximus; è cœlo datur spiritus, ut diligatur Deus. Sicut ergo una est charitas, et duo præcepta: ita unus spiritus, et duo dona. *Greg. ho. 29.*

12. Considero patres novi et veteris testamenti, David, Danielem, Amos, Petrum, Paulum, et Matthæum, et apertis oculis fide intueor: implet namque Spiritus sanctus puerum citharœdum et psalmistam facit: implet abstinentem puerum, et judicem senum facit: implet pastorem armentarium, et prophetam facit, implet piscatorem, et principem Apostolorum facit, implet persecutorem, et doctorem Gentium facit, implet publicanum, et Evangelistam facit. Quam ergo insani sumus, qui hunc spiritum non quærimus! *Greg. super Ezech.*

13. Absque ulla dubitatione convenienter accipitur, ut á Spiritu sancto ductus credatur, ut illuc eum

suus spiritus duceret, ubi eum ad tentandum spiritus malignus inveniret. *Greg. super ill. Matth. 4. Ductus.*

14. Cum absque corporis adminiculo nec bestialis spiritus servilis conditionis debitum solvere, nec spiritualis cœlestisque creatura implere ministerium pietatis, nec rationalis anima tam proximo, quam etiam sibi sufficiat consulere ad salutem; liquet, omnem creatum spiritum, sive ut juvet, sive ut juvetur, sive simul ut juvet et juvetur, corporeo prorsus indigere solatio. *Bern. super Cant. ser. 5.*

15. Spiritus paracletus dat pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen, pignus salutis, ut ipse reddat testimonium spiritui tuo, quòd filius Dei sis. Robur vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed etiam facile fiat: lumen scientiæ, ut cum omnia benefeceris, te servum inutilem putes, et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, á quo omne bonum est: in tribus istis Spiritus sanctus docebit te omnia, quæ pertinent ad salutem. *Bern. in ser. 2. Pent.*

16. Spiritus sanctus multiplex dicitur, quia multipliciter filiis inspiratur: conceditur enim ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad servitutem. Ad usum vitæ, bonis et malis communia bona abundantissimè tribuens. Ad miraculum, in signis et prodigiis. Ad salutem, quum toto corde revertitur ad Dominum Deum. Ad auxilium, quum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. Ad solatium, quum testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Ad fervorem, quum in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliæ gloriam reportantes. *Bern. ser. 5. Pentec.*

17. Spiritus Jesu, spiritus bonus, spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans, quidquid in hoc seculo nequam videtur difficile et angustum, leve facit, et hic illatum opprobrium gaudium judicat,

et despectionem exaltationem esse persuadet. *Bernard.*

18. O quam velox est sermo sapientiæ! et ubi Deus magister est, citò discitur, quod docetur. Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium, sed spirante, ubi voluit, spiritu veritatis, propriæ singularum gentium voces factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ predicationis intonuit, ab hoc igitur die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum et universam aridam rigaverunt. *Leo papa in serm. de Pent.*

19. Nulla in discendo mora est, ubi Spiritus sanctus doctor est. *Beda ho. 91. super illud Luc. Exurgens.*

Vide etiam in tit. Baptismus, núm. 5. in tit. Peccatum, núm. 19. in tit. Prædicatio, núm. 24. in tit. Superbia, núm. 24.

STUDIUM.

1. Sedulò monendi sunt scholastici, ut humilitate induti Christiana discant non contemnere, quos cognoscunt; morum vitia, quam verborum ampliùs devitare, sed casto cordi linguam exercitatam non conferre audeant, quam etiam præferre consuevérant; his enim maxime est utile nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores, quam discretiores invenire sermones, sicut malle debent prudentiores, quam formosiores habere amicos. *August. in lib. de catec. rud.*

2. Quid est invenire, nisi in id venire quod quæritur? quæ autem ultrò occurrunt menti, non dicuntur inventa quamvis dicantur cognita: quia non tendebat anima ad illa quærenda. *August. lib. 9. de Trin.*

3. Legimus aliqua, ne negligantur, legimus, ne ignoremus: legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus. *Ambr. super Luc. lib. 1.*

4. Sit ipsa lectio temperata, cui finem consilium, non lassitudo imponat: nam ut immoderata jejunia,

et ardor abstinentiæ, et inordinatæ vigiliæ intemperantiæ coarguuntur, et nimietate sua pereunt, ut hæc ipsa post ea quidem nec mediocriter fieri possint: ita studium intemperans lectionis in reprehensionem cadit, et quod laudabile est in genere suo, fit nimietate sui culpabile. *Hieron. ad Demetr. virg.*

5. Ideirco et desidiosus ingenium sæpè accipit, ut de negligentia justiùs puniatur, quia quod sine labore assequi potuit, scire contempsit: et ideo nonnunquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eò majora præmia retributionis inveniat, quò magis in studio inventionis elaborat. Nihil ergo est in terra sine causa, quando et studioso tarditas ad præmium proficit, et desidioso velocitas ad supplicium crescit. *Gregor. in moral.*

6. Omninò iniquum est, nobiliora ingenia studiis dehonestari minoribus, et eos, quos ardua et graviora expectant officia, voluptatis, et vanitatis occupationibus agitari. *Chrys. de cur. nug. vest. phi. lib. 1.*

7. Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit: quæ enim nescimus, lectione discimus; quæ didicimus, meditationibus conservamus. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

8. Punge, et dabit lachrymam, stringe mentem, et dabit intellectum. Nihil enim tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. *Orig. super Exod.*

9. Tria sunt studentibus necessaria, natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur, ut facile audita percipiat, et precepta firmiter retineat. In exercitio, ut labore et sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, ut laudabiliter vivens, mores cum scientia componat. *Hug. lib. 3. didasc.*

10. Tria sunt quæ præcipuè studiis legentium obesse solent: negligentia, imprudentia, fortuna: negligentia est, quando ea, quæ discenda sunt, vel prorsus prætermittimus, vel minus studiosè discimus: imprudentia est, quando congruum ordinem in his, quæ discimus, non servamus: fortuna est in eventu casuum, sive naturaliter contingente: quando vel pauperiate,

vel infirmitate, vel naturali tarditate, sive etiam doctorum raritate á proposito nostro retrahimur. In his autem tribus: de primo, id est, negligentia lector admonendus est, de secundo vero, id est, prudentia instruendus, de tertio, id est, fortuna adjuvandus. *Ibidem. lib. 1.*

11. Noli contemnere minima, quia paulatim defluit, qui minima contemnit. Si primo alphabetum discere contempsisses, nunc inter grammaticos tantum nomen non haberes. Scio quosdam esse, qui statim philosophari volunt: quorum scientia formæ asini similis est, noli hujusmodi imitari. Parvis imbutus, tentabis grandia tutus. *Hug. lib. 6. didasc.*

12. Sapiens ille vir Greciæ Demosthenes cum expletis 107 annis se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod egrederetur vita quando sapere cœpisset. Plato octuagesimo anno, scribens, mortuus est. Socrates nonagesimum octavum in docendi et scribendi labore complevit: Refert Homerus quod de lingua Nestoris jam veluti et penè decrepiti dulcior melle oratio fluxerit. *Ibidem lib. 3.*

13. Prudens lector vel auditor omnes libenter audit, omnia legit: non scripturam, non personam, non doctrinam spernit: ab omnibus indifferenter quod sibi deesse videt, quærit non quantum sciat, sed quantum ignorat, consideret. *Ibidem.*

14. Studium est assidua ac sagax retractatio cogitationis, aliquid involutum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. *Ibidem.*

15. Meditatio, est frequens cogitatio, modum et causam et rationem uniuscujusque rei investigans. *Ibidem.*

16. Studium est animi assidua et vehemens applicatio ad aliquid agendum, cum summa voluntate occupati. *Hugo.*

17. Quia pauci studia non honorant, simul et naturali judicio fixum est, et radicatum pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices. *Si. l. 5. epist.*

et ardor abstinentiæ, et inordinatæ vigiliæ intemperantiæ coarguuntur, et nimietate sua pereunt, ut hæc ipsa post ea quidem nec mediocriter fieri possint: ita studium intemperans lectionis in reprehensionem cadit, et quod laudabile est in genere suo, fit nimietate sui culpabile. *Hieron. ad Demetr. virg.*

5. Ideirco et desidiosus ingenium sæpè accipit, ut de negligentia justiùs puniatur, quia quod sine labore assequi potuit, scire contempsit: et ideo nonnunquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eò majora præmia retributionis inveniat, quò magis in studio inventionis elaborat. Nihil ergo est in terra sine causa, quando et studioso tarditas ad præmium proficit, et desidioso velocitas ad supplicium crescit. *Gregor. in moral.*

6. Omninò iniquum est, nobiliora ingenia studiis dehonestari minoribus, et eos, quos ardua et graviora expectant officia, voluptatis, et vanitatis occupationibus agitari. *Chrys. de cur. nug. vest. phi. lib. 1.*

7. Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit: quæ enim nescimus, lectione discimus; quæ didicimus, meditationibus conservamus. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

8. Punge, et dabit lachrymam, stringe mentem, et dabit intellectum. Nihil enim tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. *Orig. super Exod.*

9. Tria sunt studentibus necessaria, natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur, ut facile audita percipiat, et precepta firmiter retineat. In exercitio, ut labore et sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, ut laudabiliter vivens, mores cum scientia componat. *Hug. lib. 3. didasc.*

10. Tria sunt quæ præcipuè studiis legentium obesse solent: negligentia, imprudentia, fortuna: negligentia est, quando ea, quæ discenda sunt, vel prorsus prætermittimus, vel minus studiosè discimus: imprudentia est, quando congruum ordinem in his, quæ discimus, non servamus: fortuna est in eventu casuum, sive naturaliter contingente: quando vel pauperiate,

vel infirmitate, vel naturali tarditate, sive etiam doctorum raritate á proposito nostro retrahimur. In his autem tribus: de primo, id est, negligentia lector admonendus est, de secundo vero, id est, prudentia instruendus, de tertio, id est, fortuna adjuvandus. *Ibidem. lib. 1.*

11. Noli contemnere minima, quia paulatim defluit, qui minima contemnit. Si primo alphabetum discere contempsisses, nunc inter grammaticos tantum nomen non haberes. Scio quosdam esse, qui statim philosophari volunt: quorum scientia formæ asini similis est, noli hujusmodi imitari. Parvis imbutus, tentabis grandia tutus. *Hug. lib. 6. didasc.*

12. Sapiens ille vir Greciæ Demosthenes cum expletis 107 annis se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod egrederetur vita quando sapere cœpisset. Plato octuagesimo anno, scribens, mortuus est. Socrates nonagesimum octavum in docendi et scribendi labore complevit: Refert Homerus quod de lingua Nestoris jam veluti et penè decrepiti dulcior melle oratio fluxerit. *Ibidem lib. 3.*

13. Prudens lector vel auditor omnes libenter audit, omnia legit: non scripturam, non personam, non doctrinam spernit: ab omnibus indifferenter quod sibi deesse videt, quærit non quantum sciat, sed quantum ignorat, consideret. *Ibidem.*

14. Studium est assidua ac sagax retractatio cogitationis, aliquid involutum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. *Ibidem.*

15. Meditatio, est frequens cogitatio, modum et causam et rationem uniuscujusque rei investigans. *Ibidem.*

16. Studium est animi assidua et vehemens applicatio ad aliquid agendum, cum summa voluntate occupati. *Hugo.*

17. Quia pauci studia non honorant, simul et naturali judicio fixum est, et radicatum pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices. *Si. l. 5. epist.*

18. Tu quoque si vis lumine claro cernere verum: Tramite recto carpere callem. Gaudia pelle, pelle timorem, Spemque fugato, nec dolor adsit. Nubila mens est vinclaque frænis, hæc ubi regnant. *Boët. lib. 1. de consol.*

19. Studia te clarum et nobilem efficient, sine studio æger est animus: Si gula, inquit Epicurus, tangeris, noliorem te epistolæ meæ faciunt, quam omnia ista quæ colis, et propter quæ coleris, studiis ingeniorum crescit dignatio, nec ipsis tantum honor habetur, sed quidquid illorum memoriæ adhæsit, excipitur. *Sen. 21. epist.*

20. Studio me dabo, omnia alia negligenda sunt: ut huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est: etiamsi á pueritia usque ad longissimos ætatis terminos vita perducatur, resistendum est occupationibus. *Sen. 23. epist.*

21. Omne quidem tempus idoneum est studio salutari: multi vero inter illa non student propter quæ studendum est. *Ibidem.*

22. Studia etiam saluti corporis prosunt. In remedium enim cedunt honesta solatia: et quidquid animum erexerit, etiam corpori prodest. Cogita, quam multi corpora exerceant, ingenia quam pauci: quantus ad spectaculum lusorum vel luctatorum fiat concursus, quanta sit mentis bona solitudo, quam imbecilli animo sunt quorum lacertos humerosque mirantur. *Sen. 84. epist.*

23. Otium sine litteris, mors est, et vivi hominis sepultura. Alit lectio ingenium, et studio fatigatum, non sine studio tamen reficit nec scribere tantum, nec legere debemus: altera res consternabit vires, et exhauriet, de stylo dico: altera solvet ac diluet: invicem hoc et illo commutandum est, et alterum altero temperandum, ut quidquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus. *Sen. 87. epist.*

24. Apes debemus imitari, quæ ut vagantur, et flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulêre, disponunt, ac per favos digerunt:

illa debemus quæcumque ex diversa lectione congessimus, separare: melius enim distincta servantur: deinde ad debitam facultatem ingenii in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut etiam si apparuerit unde sumptum est, aliud tamen esse, quam unde sumptum est, appearat. *Ibidem.*

25. Quod in corpore nostro videmus operari naturam, alimenta quæ accepimus quamdiu in sua qualitate perdurant, et solida innatant stomacho, oneri sunt: at cum ex eo quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et sanguinem transeunt. Idem in illis quibus aluntur ingenia, præstemus, ut quæcumque hausimus, non patiamur integra esse: ne aliena sint, coquamus illa: alioquin in memoriam non ibunt, non in ingenium. Nostra illa facimus. Unum quidem fiet, ex multis, hæc faciat animus noster, omnia quibus est aditus, abscondat, ipsum tamen ostendat, quod efficit. *Ibidem.*

26. Quidquid facies, redi á corpore ad animum: illum diebus ac noctibus exerce: labore modico colitur ille: hanc exercitationem non frigus, non æstus impediet: nec senectus quidem. Neque ego te jubeo semper imminere libro aut pugillaribus, dandum est aliquod intervallum animo: ita tamen ut non resolvatur, sed mutetur. *Sen. 51. epist.*

27. Solet plus prodesse, si pauca sapientiæ præcepta teneas, sed illa in promptu, ut in usu tibi sint, quam si multa quidem didiceris, et illa ad manus non habeas. *Sen. lib. 1. de benefic.*

28. Non refert quam multa sciat luctator, si scit quantum victoriæ satis est. Sic in studio multa delectant, pauca vincunt licet nescias: quæ ratio Oceanum effundat, et revocet: quid sit, quod geminorum conceptum separet: partum tamen jungat, utrum unos concubitus spargatur in duos, an toties concubuerit: cur pariter natis fata non tibi nocebit transire, quæ nec licet scire, nec prodest: quidquid enim nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit. *Ibidem.*

29. Certis ingeniis innutriri et immorari oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. *Sen. 1. epist.*

30. Vitam in peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias: idem accidit his, qui nullius ingenio se familiariter applicant, sed omnia cursim et properanter transeunt. Non prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Nihil ita sanitatem impedit, sicut remediorum crebra mutatio. Non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil ita utile est, quod in transitu prosit: sed modo inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum: fastidientis stomachi est, multa degustare, quæ ubi varia sunt et diversa, inquinant non alunt. Quum igitur multa percurreris, unum excerpe, quod illa die concoquas. *Ibidem.*

31. Labor scholasticus, otium est, sed negotiosum, et quod animum reddit ad honesta solicitum. *Senec. in epist.*

32. Studiis et divitiis pariter vacare non potes: nec animam illam dignatur habitare sapientia, quam videt infectam desideriis, et curis temporalibus involutam. *Senec. 17. epist.*

33. Si vis vacare animo, aut pauper sis, aut pauperi similis. Multis enim ad philosophandum obstitêre divitiæ, paupertas autem expedita est secura. *Ibidem.*

34. Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare: excitatur enim otio vigor, et omnis tristitia, quæ continuatione studii pertinacis adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Studia enim leniter tacta delectant, contacta et propius admota, fastidio sunt. *Senec. 1. Rhet.*

35. * Studium, unicum doloris levamentum est. *Plin. Junier. lib. 8.*

36. * Ut in vita, sic in studiis pulcherrimum et humanissimum existimo severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam procedat. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 1. in tit. Curiositas, núm. 15, 17, 24. in tit. Discere, Discretio, núm. 1. in tit. Doctrina, núm 26, 38, 39. in tit. Exercitatio et Honestas, núm. 4. in tit. Ingenium, núm. 1. in tit. Otiositas, núm 18. in tit. Perfectio, núm. 14. in tit. Philosophia, núm. 22. in tit. Sapientia, núm. 8, 9, 28, 31. in tit. Sobrietas, núm. 2. in tit. Taciturnitas, núm. 13, 14.

STULTITIA.

1. Rescindenda insipienti potestas est, non adjicienda libertas. Insipientis in libertate ruina vehementior est. *Ambros.*

2. Stulti tanto insensius de alieno judicant, quanto sua profundius ignorant. *Gregor. in Moral.*

3. Stultus, viator est, qui in via amœna prata conspiciens, obliviscitur, quo tendebat. *Ibidem.*

4. Tanto quisque intus amplius stultior sit, quanto conatur exterius sapiens videri. *Gregor. lib. Moral.*

5. Stultus est, qui per ignorantiam non commovetur ad dolorem, et qui non movetur ad injuriam. *Isidor.*

6. * Stulti desiderant absentia: præsentia vero etsi meliora præteritis, negligunt. *Democ. apud Stob.*

7. * Stultus dives, mancipium aureum. *Soc. ap. Stob.*

8. * Omnium malorum stultitia est mater. *Cicer. de Pet. cons.*

9. * Multa sunt incommoda, quæ sapientes commodorum compensatione leniunt: stulti nec vitare venientia possunt, nec ferre præsentia. *Ibidem. 2. de Nat. deor.*

10. Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia: semper incipit vivere. *Sen. 12. epist.*

11. Stulto nulla re opus est, nulla enim uti scit, sed omnibus eget: omnis stultitia laborat fastidio sui. Nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat. *Sen. 10. epist.*

12. Humilis est stultitia, res abjecta, sordida, servilis, multis affectibus et sævissimis subdita. *Sen. 56. epist.*

13. Si quanto fatuo delectari volo, non est mihi longe quærendum, me video. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Fortitudo, núm. 6. in tit. Sapientia, núm. 1. in tit. Servitus, núm. 3. in tit. Simplicitas, núm. 4.

SUBJECTIO.

1. Tales sese, qui præsunt, exhibeant, ut quibus subjecti occulta quoque sua prodere non erubescant: et quum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad pastoris mentem, quasi ad patris sinum recurrant. *Greg. in pastoral.*

2. Curandum est, ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina: atque inter hæc solicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. *Ibidem.*

3. Sit erga subditos solicitudo laudabilis: exhibeatur cum mansuetudine disciplina: sit cum discretione correctio: iram benignitas mitiget: benignitatem zelus exacuet: et ita alterum conducatur ex altero, ut nec immoderata ultio, plusquam oportet affligat: nec iterum frangat rectitudinem disciplinæ remissio. *Greg. in regist.*

4. Non erit caro subjecta animæ: nec vitia rationi, si animus non est subditus Creatori. Tunc autem recte nobis subjiciuntur omnia, quæ sub nobis sunt, si non subjicimur ei, á quo nobis illa subjecta sunt. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

5. Talis vicissitudo recipitur, ut qui amanti domino servire noluerunt, odientibus inimicis justo judicio probarentur esse subjecti. *Cass. super Psal. 104.*

Vide etiam in tit. Doctrina, núm. 15. in tit. Exactio, núm. 1. in tit. Excusatio, núm. 4. in tit. Prælatio, núm. 10, 12, 20, 24.

SUFRAGIUM.

1. Sunt, quos nihil adjuvant ista, quæ sunt pro mortuis, seu pro eis fiant, quorum tam mala sunt

merita, ut neque talibus digni sint adjuvari: sive pro eis, quorum tam bona sunt merita, ut talibus non indigeant adjumentis: genere igitur vitæ quod gessit quisque per corpus efficitur, ut possint quæcumque pro illo fiunt piè, quum reliquerit corpus. Nam meritum, si nullum per quod ista prosunt, comparatum est in hac vita, frustra post hanc vitam quæritur. *August. in lib. de cura pro mortuis agen.*

2. Non æstimemus ad mortuos, quorum curam agimus, pervenire, nisi, quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive ecclesiarum sacrificiis solemniter supplicamus, quamvis, non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed his tantum, à quibus, dum vivunt, comparatur ut prosint. Sed quia non dicernimus qui sint, oportet pro regeneratis omnibus facere, ut nullus prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint, et debeant pervenire. Melius enim supererunt eis ista, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt, quibus prosunt. *Ibidem.*

3. Tempus, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem positum est, animas abditis receptaculis continet: sicut unaquæque digna est vel requie, vel ærumna: pro eo quod sortita est in carne, dum viveret: neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, quum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia sunt: sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, hæc sibi ut postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem: nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut hæc non requirat: et rursus talis in malo, ut nec his valeat, quem hæc vita transierit, adjuvari. *August. lib. 8. quæst.*

4. Quum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qualescumque sunt consolationes vivorum. *Ibidem.*

5. Monumenta non ob aliud dicuntur, nisi quod hi, qui viventium oculis morte subtracti sunt, nec oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocentur, et admonendo faciant cogitari: Unde monumentum, eo quod moneat mentem, nuncupatur. Ad hoc ergo sunt adjuventa mortuorum, ut dum homines recolunt eorum, quos diligunt, corpora, eisdem sanctis illos tanquam patronis, susceptos apud Dominum adjuvando et orando commendent. *Ibidem.*

6. Quum igitur recolit animus, ubi repositum sit charisimi corpus, et occurrit, animam dilectam commendat recordantis affectus. Quod igitur ad sepulchrum fidelis mater recurrit, et filium precibus magisque commendat, adjuvat defuncti spiritum non mortui corporis locus, sed ex loci memoria vivus matris affectus. *August. de cura pro mortuis agenda.*

SUPERBIA.

1. Magna est miseria, superbus homo, sed major misericordia humilis Deus. *August. de Catech. rudibus.*

2. Cætera vitia in male factis valent, sola superbia etiam in recte factis est cavenda. *August. lib. de nat. et gratia.*

3. Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum et manifestum peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit: hoc dicit sacer Psal. *Imple facies eorum ignominia, etc. Aug. in lib. 14. de Civ. Dei.*

4. Quoniam delicto alio nisi superbiæ? non est enim majus peccatum, quam apostatare Deo: quod est initium superbiæ hominis. Et vere iste immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret: quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. *Aug. super ill. Psalm. Et emundabor.*

5. Vitia quippe cætera in peccatis, superbia vero in recte factis timenda est: ne illa, quæ laudabiliter

facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. *Aug. in epist. ad Dioscor.*

6. Si vix toleratur dives superbus, pauperem superbum quis ferat? *August. in serm. 29.*

7. Vermis divitiarum est superbia. Difficile est, ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, et divitiæ non nocebunt. *Ibidem. 31.*

8. Quid prodest dispergendo dare pauperibus, pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? *Aug. in lib. de vit. cleric.*

9. Humilitas homines sanctis angelis similes facit, et superbia ex angelis dæmones facit: et ut evidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, et finis, et causa: quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. *Aug. lib. ad sacr.*

10. Præcipe divitibus hujus seculi ante omnia non superbe sapere. Nihil est enim quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam: omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum, et alius vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici. Vermis divitiarum superbia: ergo præcipe divitibus hujus mundi non superbe sapere, excludit vitium, docet usum. *August. in serm. de ver. Domi.*

11. Superbia et cupiditas in tantum est unum malum, ut nec superbia sine cupiditate, nec sine superbia possit cupiditas inveniri. *Bern. serm. 37. Soror.*

12. Superbia dicit: Ecce multis, imo penè omnibus melior es verbo, scientia, divitiis, honoribus et cunctis, quæ carnalibus vel spiritualibus suppetunt charismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis semetipsum superiorem attende. *Arist. de conflictu vit.*

13. Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: superbia vero in bonis operibus insidiatur, ut pereant. *August. in regist.*

14. Fit miris modis in anima hominis, ut de falsa humilitate magis infletur, quam si apertius superbiret, et nonnunquam dejicit Deus occultam mentis

superbiam per carnis manifestam luxuriam. *August. in quad. epist.*

15. Superbia natione cœlestis, sublimum appetit mentes, et quasi ad proprios revolans ortus, appetit gloriam, et potestatem hominum irrumpere, quæ de gloria et puritate angelorum erupit, ut quos invenit, participes naturæ, facit consortes ruinæ. *Hieronym.*

16. Quid tam superbum, quid tam ingratum videri potest, quam adversus ejus vivere voluntatem à quo ipsum vivere acceperis: quam illius præcepta despicere, qui ideo aliquid imperat, ut causam habeat remunerandi? *Hier. in epist.*

17. Multo illa deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpia sunt vitia, quum virtutum specie celantur. *Hier. super March.*

18. Aliquando minus est in corruptionem cadere, quam cogitatione tacita deliberata elatione peccare, sed quum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eò magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem noverint, unde fit plerumque ut nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpæ latentis erubescant, et tunc etiam majora corrigant, quum prostrati in minimis gravius confunduntur. *Gregor. in moral.*

19. Plerumque latet superbia et castitas innotescit, atque ideo tanta diu castitas circa finem vitæ perditur: quia cooperte superbia, usque ad finem incorrecta retinetur. *Ibidem.*

20. Superborum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad Lacessentes alios importuna: ad ea, quæ facere debet, et prævalet, ignava: ad ea autem, quæ nec facere debet, nec prævalet, parata: hoc in eo quod sponte non appetit, nullis exhortationibus flectitur. Ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit ut cogatur: quia dum meruit ex desiderio suo vilescere, optat vim in sua voluntate tolerare. *Ibidem.*

21. Omnis superbia eo ipso in imo latet, quo in alto se erigit, ut inde magis supposita cunctis sit, unde cunctis appetit superesse. *Ibidem.*

22. Vitium superbiæ ab ipsa radice secandum est, ut quum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne provectu vigeat, nec usu roboretur. *Ibidem.*

23. Radix quippe cuncti mali, et regina omnium vitiorum superbia est: de qua scriptura attestante dicitur. *Initium omnis peccati superbia.* Septem principalia vitia de superbiæ virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, et luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos diabolus tenuit, idcirco redemptor noster ad spirituale liberationis bellum septiformis gratiæ plenus venit. *Ibidem.*

24. Plerumque mali eò magis contra Deum superbiunt, quò ab ejus largitate et contra meritum ditantur: et qui provocari bonis ad meliora debuerunt, donis pejores fiunt. *Ibidem.*

25. Vicina esse potentibus solet superbia, et penè semper tebus affluentibus elatio sociatori quia et sæpe honoris abundantia duritiam dat tumoris. *Ibidem.*

26. Quum is, qui de terrena prius gratia superbiebat, postmodum de sanctitate extollitur, nequaquam elatio corpus ejus deseruit, sed ad eum consuela veniens, ut cognosci nesciat, vestem mutavit. *Ibidem.*

27. Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, quum bonum aut á semetipsis habere se æstimant: aut sibi datum desuper credunt, et pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certe quum jactant se habere, quod non habent: aut despectis cæteris, singulariter videri habere appetunt, quod habent. *Ibidem.*

28. Quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei. *Bernar. in ser. 2. in resur. Domini.*

29. Magna superbia, et delictum maximum est, ut datis tanquam innatis, et in acceptis beneficiis gloriam usurpare beneficii. *Bern. de diligendo Deo.*

30. Septempliciter occupavit nos lepra superbiæ, in proprietate possessionem, in gloria vestium, in voluptate corporum. In ore quoque dupliciter, similiter et corde, in ore, quum in adversis murmuramus, et in prosperis arroganter commendamus: in corde propria voluntas, et proprium consilium. *Bern. in serm. lib. 3. de resur. Domini.*

31. Superbia de superis cœlestibus ad ima præcipitat: humilitas ab imis ad alta levat. Angelus in cœlo ad tartara corruit: homo in mundo ad cœlum ascendit. *Bern. in quadam serm.*

32. Trabs in oculo grandis, et grossa in mente superbia est: quæ quasi corpulentia sui vana non sanat, tumida non solidat, oculum mentis obscurat, et veritatem obumbrat. *Bernar.*

33. Videas plerosque in ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos subito intumescere, pristinæ oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere, et infimos dedignari parentes. Videas et homines pecuniosos ad honores quoque ecclesiasticos pervolare, et mox sibi applaudere sanctitatem vestium mutatione, non mentium: et dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt, quodque (non audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuêre meritis. *Bern. super Missus est circa finem.*

34. Quosdam superbos divites rerum copia facit elatos, quorum non sunt opes in vitio sed voluntas, nam crimen in rebus non est, sed in usu agentis, et est elatio pauperum, quos non divitiæ elevant, sed voluntas sola in eis superbia est. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

35. Superbus dictus est, quia supra vult videri, quam est: qui enim vult supergredi superbus est. *Isid. lib. etymolog.*

36. Omni vitio deterior est superbia, seu quia á summis personis assumitur, seu quod de opere justitiæ et virtutis exoritur, minusque culpa ejus sentitur. Luxuria vero carnis ideo omnibus notabilis est, quoniam statim per se turpis est, et tamen, pensante

Deo, superbia minor est. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

37. Arrogantia, est animi motus, quo quis movetur ad jactandum se habere, quod non habet? *Isid. lib. etymolog.*

38. Quid superbit terra et cinis? ut homo arrogantia subblevetur, oblitus quid erit, et quam fragili vasculo contineatur, et quibus stercoribus immersus sit, et qualia semper purgamenta de sua carne projicial? *Greg. super Ezech.*

39. Jactantia est, fastu mentis, id agente, majora quam sunt de se promittere. *Hugo.*

40. Superbia est elatio vitiosa, quæ inferiorem despiciens, superioribus et paribus satagit dominari. *Ibidem.*

41. Superbia in cœlo nata est, sed velut immemor qua via inde cecidit, illuc postea redire non potuit. *Hug. lib. 1. de anim.*

42. Cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur: ut luxuria pudicitiam, ira patientiam: sola vero superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, et quasi generalis et pestifer morbus omnes corrumpit. Signa autem superbiæ hæc sunt: clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, honestas in imagine, inhonestas in actione, rancor in reprehensione. *Ibidem. lib. 2.*

43. Quatuor enim sunt, quæ trahunt elationis currum: amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus, et inobedientia. Rotæ vero sunt: jactantia mentis et arrogantia, verbositas et levitas: auriga in hoc curru est spiritus superbiæ: amatores mundi sunt, qui feruntur in hoc curru: infrænes sunt equi, volubiles rotæ, auriga perversus, et qui portatur, infirmus. *Hugo. de clau. animæ lib. 1.*

44. Superbia de angelo diabolum fecit, et homini mortem intulit, et concessa beatitudine vacuavit, omnium malorum mater, scelerum fons, vena nequitiæ. *Cass. super Psal. c. 18.*

45. Mansueti suscipiuntur in cœlum, superbi de-

jiciuntur in terram, ut permutatione vicaria unde humilis levatus est, ibi superbus corruat, et unde Satanas elevatus cecidit, fidelis homo sublevatus ascendat. *Cass. super ill. Psalm. Suscipiens mansuetos Dom.*

46. Familiare est hominibus extolli, quum bene de se cognoverint æstimari. *Cass. in quadam epist.*

47. Superbia turrim evertit, linguam confudit, prostravit Goliam, suspendit Aman: interfecit Nichanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, et Sennacherib interemit, sedes ducum superborum destruxit Deus, et radices gentium superborum arefecit. *Innoc. de vilitate cond. human.*

48. Omnis fere vitiosus diligit sibi similem, solus superbus odit elatum, unde inter superbos semper sunt jurgia. *Ibidem.*

49. Heu! hominum unde iste factus, ista superbia? cujus ævum nostra necessitas, cujus vitam laboriosa devolvit pœnalitas, cujus pœnalitatem pœnalior mortis concludit necessitas? cui esse momentum, vita naufragium, mundus exilium, cui vita aut abest, aut spondet absentiam, mors aut instat, aut minatur instantiam. *Alcianus lib. de complactu naturæ.*

50. Superbia commune nobilitatis malum. *Sallust. in bell. Iug.*

51. Superbiæ et crudelitati si seræ, non tamen lenes veniunt pœnæ. *Liv. 1. Dec. lib. 3.*

52. Nunquam in solido stetit superba felicitas et ingenium, imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt. *Sen. de sent. orat.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 50. in tit. Charitas, núm. 8. in tit. Contemplatio, núm. 7. in tit. Cor, núm. 6. in tit. Cupiditas, núm. 2. in tit. Curiositas, núm. 6. in tit. Divitiæ, núm. 3, 4. in tit. Doctrina, núm. 20. in tit. Eleemosyna, núm. 33. in tit. Gratitudo, núm. 2. in tit. Homo, núm. 20. in tit. Humilitas, Jactantia et Invidia, núm. 1. in tit. Laus, núm. 22. in tit. Paupertas, núm. 9. in tit. Potestas, núm. 4. in tit. Prælatio, núm. 3, 4. in tit. Sapientia, núm. 14. 19. 27.

SUPERFLUITAS.

1. Nihil tam necessarium, quam cognoscere, quid sibi sit necessarium. *Amb. ad Vercell.*

2. Simplex vestimentum dicitur, quidquid necessarium est alicui secundùm qualitatem loci, vel temporis. Duplex autem quod extra necessitatem est, non enim duas dicit, ut quis in locis Scotiæ glaciali nive rigentibus unica tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore servemus. *Hier. super Matth. 10. Neq. duas tunic. etc.*

3. Quidquid corpora nostra defendere potes, et humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hæc una apellanda est tunica, et quidquid in præsentibus alimentis est necessarium, hoc unius dici victus appellatur. *Hier. 23. ad Fabiolam.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 26. in tit. Caro, núm. 13. in tit. Clericus, núm. 13, 15. in tit. Divitiæ, núm. 27. in tit. Ebrietas et Ornatus, núm. 29. in tit. Sobrietas et Studium, núm. 4.

SUSPICIO.

1. Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui bonus est: sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse malus est. *Chrys. super Matth.*

2. Omnis homo ex se æstimat alterum: fornicarius neminem putat castum, castus de fornicario non facile suspicatur, superbus neminem putat humilem, humilis neminem putat esse superbum: sic, qui non est ex Deo sacerdos, neminem putat sacerdotem ex Deo. *Ibid. c. 21.*

3. Facilius vitia uniuscujusque, quam virtutis intendimus: nec quid boni quisque gesserit, agnoscere, sed quid mali egerit, perscrutamur. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

4. Fidelem si putaveris, facies quidem fallere: docuerunt, dum timent falli, et illius peccati occasionem suspicando fecerunt. *Sen. epist. 2.*

5. Hoc habet omnis affectus, ut in quod ipse in-

sanit, in idem putet cæteros insanire. *Senec. in lib. de moribus.*

Vide etiam in tit. Charitas, núm. 24. in tit. Consolatio, núm. 12, 15. in tit. Detraccio, núm. 22. in tit. Excusatio, núm. 9. in tit. Fama, núm. 1. in tit. Mulier, núm. 8. in tit. Testimonium, núm. 7. in tit. Tristitia, núm. 6.

TACITURNITAS.

1. Quam plures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quemdam tacendo. Ideòque tacere nosse difficilius est, quam loqui. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit: sapiens est ergo, qui novit tacere. *Ambr. lib. 2. de Offic.*

2. Silendi patientia, opportunitas loquendi, et contemptus divitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. *Ibidem.*

3. Diu considera quid loquendum sit, et adhuc tacens provide, ne quid dixisse pœniteat; sapiens ut loquatur, multa prius considerat: quid, aut cui, quo loco, vel tempore dicat. *Hier. in quadam epist.*

4. Ille scit recte dicere, qui et ordinate novit tacere. *Gregor. in Moral.*

5. Plerumque nimis taciti, quum injuste aliqua patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, vulnera quippe clausa plus cruciant: quia quum putredo, quæ intus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. *Gregor. in pastoral.*

6. Sancti viri, quum prodesse audientibus nequeunt, etiam despici tacentes volunt. *Greg. in quadam ho.*

7. Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentii: et recte quandoque excrescentiam sermonis accipit, qui prius ordinate per humilitatem tacet. *Greg. super Ezech.*

8. Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore reliquit. *Gregor. in pastoral.*

9. Utinam recedendo vel tacendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia non docetur sermonibus, sed excitatur; unde malum hominem tacendo meliùs, quam respondendo vincere potes. *Chry. super Matth. c. 21.*

10. Et loqui, et tacere, perfectio est. Est autem utriusque partis causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut et verborum nimietas ad furorem refertur, secundum illud sapientis: Est tacens non habens sensum loquelæ, et est tacens sciens tempus apti temporis: de qua re si nostri sententiam requiras arbitrii, jam malo aliquis in tacendo stultus, quàm nimium loquendo judicetur insanus. *Cass. lib. 5. epist.*

11. Hæc regalis proculdubio virtus celeriùs necessaria sentire, et tardiùs in verbo prorumpere: nescit enim pœnitenda loqui, qui proferendo suo prius tradit examini. *Sid. lib. 2. epist.*

12. Natura compertum est, ut omnibus artibus hæc sit scientiæ pretiosior pompa, quó rarior. *Ibidem.*

13. Pythagoras discipulis advenientibus, prius legitur tacendi patientiam, quam loquendi monstrasse doctrinam; et sic incipientem quemque inter disputantium cœtaneorum cathedras multum sustinuisse quinquennium, ut etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quam deberent agnosci: quia donec scientiam non combiberis, non major est gloria dixisse quod noveris, quam siluisse quod nescias. *Sid. lib. 7. epist.*

14. Pythagoras hanc in studiis suis consuetudinem servasse legitur, ut usque ad septennium juxta numerum septem liberalium artium nullus discipulorum suorum de his, quæ ab ipso dicebantur, rationem poscere auderet, sed fidem dare verbis magistri, quousque omnia audivisset. Scholares verò nostri, aut nolunt, aut nesciunt modum congruum in discendo servare, et idcirco multos studentes, paucos sapientes invenimus. *Hug. in didasc. lib. 3.*

15. Numquam me pœnituit tacuisse quod loquutus

sim sæpe. *Simonides apud Plut. de tuen. bo. val.*

16. * Magna est sapientia tempestivum silentium, et omni certè sermone præstantius. *Ibid. de edu. liber.*

17. * Quid Xenocratis responsum? quam laudabile? cum maledico sermoni quorundam summo silentio interesset, uno ex his quærente, cur solus linguam cohiberet? quia, inquit, dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Et illud: Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse loculum. *Val. Max. lib. 7. de sapien. dictis.*

18. Loqui ignorabit, qui tacere nescit; sapienti expedit tacere pro se, quam loqui contra se. *Senec. de sen. orat.*

19. Xenocrates loquaci cuidam: audi, inquit, melius: os unum á natura, aures duas accepimus. *Ibid.*

20. Nihil æque proderit quam quiescere, et minimum cum aliis loqui, et plurimum secum. *Sen. 16. epist.*

21. In hoc incumbe, ut libentiùs audias, quam loquaris: quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus frequentius, quam lingua utere. Quidquid dicturus es, ante, quam aliis, tibi dixeris. *Sen. in lib. de mor.*

22. Taciturnitas stulto homini pro sapientia est: tacere qui nescit, nescit loqui. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Loquacitas, núm. 1, 15. in tit. Solitudo, núm. 18.

TEMPERANTIA.

1. Munus temperantiæ est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus contrariamus in ea, quæ nos avertunt á legibus Dei, et á fructu bonitatis ejus, cujus officium est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem. *August. in lib. de morib. Eccl.*

2. Vir temperatus in rebus hujus vitæ habet regulam utroque Testamento confirmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet. *Ibidem.*

3. Intemperantia maxime honesti cura, decoris consideratio spectatur et quæritur. *Ambr. de Offic.*

4. Qui acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus possidet, quod accepit; sed hoc indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam necessitas petit, scit saliari. Qui autem alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, unde anima laqueum peccati incurrat, scit esurire: quem ergo nec in abundantia superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. *Greg. ho. 1. sup. Ezech. sup. illud, Scio et abundare et penu. pa.*

5. Temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, et tacitum, et verecundum: hæc virtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, cogitationes pravas removet, scientias inserit, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, mentem placida tranquillitate componit, et totam ab omni semper tempestate viliorum defendit. *Prosp. de vita contemplat.*

6. * Temperantia est, quæ in rebus aut fugiendis aut expetendis, ut rationem sequamur monet: quæ animis pacem affert, et eos quasi quadam concordia lenit ac placat. *Cicer. de fini.*

7. Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atque abigit, alias dispensat, et ad sanum modum dirigit, nec unquam ad illas propter ipsas venit, scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere. *Senec. ult. epist.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 17. in tit. Fortitudo, núm. 18. in tit. Prosperitas, núm. 32, 33. in tit. Sobrietas et Studium, núm. 4. in tit. Virtus, núm. 7.

TENTATIO.

1. Justus ex fide vivit, fides tua, justitia tua,

quia utique si credis, caves: si autem caves, conaris, et conatum tuum novit Deus, et voluntatem tuam inspicit, et luctam cum carne considerat, et hortatur, ut pugnes, et adjuvat, ut vincas, et certantem spectat, et deficientem sublevat, et vincentem coronat. *Aug. super psalm. 31.*

2. Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere, nisi certaverit, nec potest certare, nisi inimicum et tentationes habuerit. *Ibid. Psalm. 60.*

3. Tamdiu diabolus sopitum ignem sine ullis flammis occultat, donec duas faculas jungens simul ambas accendat, et tamdiu cessat sævitiæ suæ tela supponere, donec sicut peritus venator quod occisurus est, laquei vinculis alliget. *Aug. de sing. cler.*

4. Tantum admittitur diabolus tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut qui te nesciebas, á teipso inveniaris. *Aug. super psalm. 61.*

5. Duplicem aciem producit mundus contra milites Christi: blanditur enim, ut decipiat: terret ut frangat, non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, et victus est mundus: ad utrosque aditus occurrit Christus et non vincitur Christianus. *August. in serm. S. Vincentii.*

6. Bonus si fuerit, qui tibi præest, nutritor tuus est: malus si fuerit, tentator tuus est: et nutrimenta libenter accipe, et in tentatione approbate. *Aug. de verb. Dom. serm. 6.*

7. Nulla mens est, nulla anima, quæ non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum. *Ambr. in lib. de Noë.*

8. Tentamenta tua, si ad te respicias, grandia sunt; si ad bellatorem fortissimum, ludus et umbra certaminis. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. *Amb. in quadam epist.*

9. Deus ipse omnium rector ac dominus, cum omni

angelorum militia certamen tuum expectat, tibique contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. *Ibidem.*

10. Dum parvus est hostis, interfice, ut nequitia elidatur in semine. *Hier. in epist.*

11. Præceps anima, dum ante non prævidet, ne incautè videat quod concupiscat, cæca postea incipit desiderare quod vidit: sanctus vir, ut cogitationes caste desiderare posset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè respiceret, quod postmodum invitus amaret. *Greg. in mor. tractans ill. Pepigi fœdus cum oculis meis.*

12. Valde namque est, quod caro deorsum trahit, et semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis luctu solvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versentur, providendum nobis est, quia intueri non debet, quod concupisci non licet. *Ibidem.*

13. Ad Judæam Dominus per Jeremiam dicit: Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ? neque enim reprehendit cur veniunt, sed cur morantur: in bonis enim cordibus cogitationes illicitæ veniunt, sed tamen morari prohibentur: quia recti quique ne captivandam domum conscientiæ præbeant, ab ipso cordis limine hostem fugant, qui etsi quando repentinis suggestionibus usque ad primum vestibulum subrepit, ad consensus tamen januam non pertingit. *Ibidem.*

14. Multos sua pejus felicitas stravit, multos diuturna pax victos reddidit, eòque illos inopinatos hostes gravius pertulit, quò longo quietis usu negligentes invenit. Unde sancti viri, quum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam supernæ dispensationis moderamine exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tantò robustiùs acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humilius agnoscunt. *Ibid.*

15. Plerumque, qui plus in contemplatione rapitur, contingit ut amplius in tentatione fatigetur: sicut quibusdam sæpe contingere bene proficientibus solet,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia utique si credis, caves: si autem caves, conaris, et conatum tuum novit Deus, et voluntatem tuam inspicit, et luctam cum carne considerat, et hortatur, ut pugnes, et adjuvat, ut vincas, et certantem spectat, et deficientem sublevat, et vincentem coronat. *Aug. super psalm. 31.*

2. Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere, nisi certaverit, nec potest certare, nisi inimicum et tentationes habuerit. *Ibid. Psalm. 60.*

3. Tamdiu diabolus sopitum ignem sine ullis flammis occultat, donec duas faculas jungens simul ambas accendat, et tamdiu cessat sævitiæ suæ tela supponere, donec sicut peritus venator quod occisurus est, laquei vinculis alliget. *Aug. de sing. cler.*

4. Tantum admittitur diabolus tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut qui te nesciebas, á teipso inveniaris. *Aug. super psalm. 61.*

5. Duplicem aciem producit mundus contra milites Christi: blanditur enim, ut decipiat: terret ut frangat, non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, et victus est mundus: ad utrosque aditus occurrit Christus et non vincitur Christianus. *August. in serm. S. Vincentii.*

6. Bonus si fuerit, qui tibi præest, nutritor tuus est: malus si fuerit, tentator tuus est: et nutrimenta libenter accipe, et in tentatione approbate. *Aug. de verb. Dom. serm. 6.*

7. Nulla mens est, nulla anima, quæ non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum. *Ambr. in lib. de Noë.*

8. Tentamenta tua, si ad te respicias, grandia sunt; si ad bellatorem fortissimum, ludus et umbra certaminis. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. *Amb. in quadam epist.*

9. Deus ipse omnium rector ac dominus, cum omni

angelorum militia certamen tuum expectat, tibique contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. *Ibidem.*

10. Dum parvus est hostis, interfice, ut nequitia elidatur in semine. *Hier. in epist.*

11. Præceps anima, dum ante non prævidet, ne incautè videat quod concupiscat, cæca postea incipit desiderare quod vidit: sanctus vir, ut cogitationes caste desiderare posset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè respiceret, quod postmodum invitus amaret. *Greg. in mor. tractans ill. Pepigi fœdus cum oculis meis.*

12. Valde namque est, quod caro deorsum trahit, et semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis luctu solvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versentur, providendum nobis est, quia intueri non debet, quod concupisci non licet. *Ibidem.*

13. Ad Judæam Dominus per Jeremiam dicit: Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ? neque enim reprehendit cur veniunt, sed cur morantur: in bonis enim cordibus cogitationes illicitæ veniunt, sed tamen morari prohibentur: quia recti quique ne captivandam domum conscientiæ præbeant, ab ipso cordis limine hostem fugant, qui etsi quando repentinis suggestionibus usque ad primum vestibulum subrepit, ad consensus tamen januam non pertingit. *Ibidem.*

14. Multos sua pejus felicitas stravit, multos diuturna pax victos reddidit, eòque illos inopinatos hostes gravius pertulit, quò longo quietis usu negligentes invenit. Unde sancti viri, quum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam supernæ dispensationis moderamine exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tantò robustiùs acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humilius agnoscunt. *Ibid.*

15. Plerumque, qui plus in contemplatione rapitur, contingit ut amplius in tentatione fatigetur: sicut quibusdam sæpe contingere bene proficientibus solet,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quorum mentem dum aut compunctio mentis afficit, aut contemplatio super semetipsam rapit, statim etiam tentatio sequitur: ne de his, ad quæ rapta est, extollatur. *Greg. ho. 2.*

16. Hostis noster quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit: eos enim pulsare negligit, quos quieto jure se possidere sentit. *Ibidem.*

17. Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur, eadem, qua nutritur, hora roboratur; et existens foris in operibus vix prævalet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem, captivam tenet. *Greg. in pa.*

18. Humanum est in corde tentationem perpeti: dæmoniacum vero est, in tentationis certamine, et in operatione superari. *Ibidem.*

19. Ibi inimicus disciplinam ponit, ubi semitam mentis esse conspicit: quia illic periculum deceptionis inserit, ubi viam esse propinquæ invenerit cogitationis. *Greg. in moral.*

20. Hostis nostri malitia tanta arte se palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos, culpas virtutes fingat, ut inde quisque quasi expectet præmia, unde æterna dignus est invenire tormenta. *Ibidem.*

21. Sicut sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta intrinsecus compellit sibi extrinsecus oculos deservire. *Ibidem.*

22. Quis sit spiritus, qui loquitur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnalis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. *Ibidem.*

23. Antiquus hostis ex proprio certamine dum se succumbere considerat, ad alia tentationum bella restaurat: intuetur humani generis uniuscujusque mores, cui vitio sint propinqui, et illa opponit ante faciem ad quæ facilius novit inclinare mentem. *Ibidem.*

24. Fratres, si modò præsentes videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor ejus, et coarctari inter precem uxoris, et præceptum Creatoris, nonne clamaremus adversus eum

dicentes; Cave tibi miser: vide, ne feceris; seducta est mulier: non acquiescas ei, ut quid ergo quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobisipsis? *Bern. in serm. omnium san.*

25. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est, si volueris dare seu negare consensum. *Bern. serm. 39.*

26. Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, dictorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus tuis. In tribulatione clama ad eum, et dic, Domine, salva nos, perimus: non dormitat, neque dormit, etsi quando ad tempus dissimulet. *Bern. in serm. 17. in Psalm. Qui habitat.*

27. Exire de carne, est in corpore commorantes vitia nostra cum fragili carne acculeis non sentire. *Joan. Cass. de insti. mon.*

28. In primis gravis et insufferibilis est impetus diaboli. Quòd si quis forti animo sustinuerit eum, quum serò venerit, inveniet diabolum infirmiorem: quantò enim plus percussus fuerit, magis refrigescit et deficit. *Chrys. super Matth.*

29. Non impulit, non tetigit, sed tantum dixit: *Mitte te deorsum*, ut intelligamus, quod qui obedit diabolo, ipse se deponit: diabolus enim suggerere potest, cogere non potest. *Chrys. super ill. Matth. 4. Mitte te deorsum.*

30. Sicut caro, si sale non aspergatur, quamvis sit magna et præcipua, corrumpitur: ita et anima nisi tentationibus assiduis saliatur, continuò resolvitur et relaxatur. *Orig. super lib. num.*

31. Non desinit antiquus hostis tentationum laqueos ubivis prætendere, ut quoquo modo fidem credentium valeat corrumpere. Novit enim cui illecebras carnis ingeral, cui virus invidiæ infundat, cui incitamenta luxuriæ apponat: novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat omnium disculit mores, omnium ventilat causas, omnium scrutatur affectus, et

ibi quærit causas nocendi, ubi viderit quemquam diligentius occupari. *Leo papa in serm.*

32. Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutis, nulla sine perturbationibus fides: nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. *Leo. serm. 55.*

33. Fili accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Vir sapientia Dei plenus, sciens studium religionis laborem habere certaminis, cum prævideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum, ne forsitan, si ad ignorantem tentator accederet, imparatum citius vulneraret. *Ibidem.*

34. Sæpe antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen infixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit: non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddidit, repente rediens facilius inopinate irrumpat. *Beda super Luc.*

35. Ad magnam utilitatem fidelium materia est reservata certantium, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. *Prosp. de vocatione gentium lib. 1.*

36. Diabolus quando decipere quemquam tentat, prius naturam uniuscujusque intendit, et inde se applicat, unde aptum hominem ad peccandum aspicit: blandis et lenibus moribus sæpe luxuriam, aut vanam gloriam proponit, asperis vero mentibus, iram et superbiam cum crudelitate. *Hug. lib. 2.*

37. Quatuor sunt causæ tentationum. Prima est loci amœnitas, ut civitates et oppida, quæ non tantùm ex situ loci amœnitatem recipiunt, sed ex inhabitantium gratia. Secunda vero causa est, locus divitiarum: ubi enim divitiæ, ibi periculum. Tertia vero causa est pretiosus ornatus: ut est equorum cura pinguium, et vestimentorum exquisitæ varietates. Quarta autem mulierum species, quarum vox blanditur auribus, et facies oculis. *Hugo. de clau. animæ. lib. 1.*

38. Audiant igitur hæc, ut sibi caveant illi, qui loculos portant, qui pecunias servant, qui nundinas et fora pro necessitatibus fratrum frequentant, qui

secularium domos et curias perlustrant: devitent igitur hujusmodi fratres solatium Bersabeæ, bivium Thamar, thalamum Amon: devitent personas infames, hospitia suspecta, munus clam dare, et accipere, pecuniam plurimam congregare, ne in ipsa laqueus lateat, in quo cum alio, scilicet Juda pereant. *Ibidem.*

39. Bellum grave, quia occultum, quia cum fortiore, quia hostis: hostis insidiæ non videntur: adversarius nec labore deficit, nec victus aliquando discedit: sed tantò atrocior redditur, quantò eum per divinam gratiam debellari posse contigerit. *Cass. super Psalm. 51. Tota die bellans tribulavis me.*

40. *Fili accedens ad servitutem Dei. sta, etc.* Mundus adversus desertores suos fortius pugnat: et egredientes vitæ secularis illecebras, gravior congressus expectat. Nam et in exitu Israel de Ægipto Pharao vehementius excandescit: et Satanas egrediens ab homine, quem ad infantia tenuerat, ipsum gravius in egressu discerpit. Communis cursus vitæ præsentis, est tentationibus apprehendi, nam ad virtutis exercitium Hierosolymis relictus est Helisæus, vel Yebusen, et apostolo spiritus Satanæ datus est, ne revelationibus extollatur. Arenam pugnæ ancipitis ingressus es, in qua non apprehendes bravium, nisi curras; non coronaberis nisi pugnes. *Petr. Chrys. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Angelus, núm. 18. in tit. Caro, núm. 13, 29. in tit. Cogitatio, núm. 2, 3, 4, 16. in tit. Conjugium, núm. 10. in tit. Consuetudo, núm. 20. in tit. Conversio, núm. 13, 14, 22, 24. in tit. Crux, núm. 4. in tit. Devotio, núm. 6, 7. in tit. Humilitas, núm. 22. in tit. Jejunium, núm. 14. in tit. Regimen, núm. 7. in tit. Securitas, núm. 5, 7. in tit. Servitium, núm. 4. in tit. Tribulatio, núm. 22. in Tit. Vitium, núm. 11.

TEMPUS SIVE TEMPORALE.

1. Inter temporalia et æterna hoc interest, quod temporale plus diligitur ante, quam habeatur: viles-

cit autem cum advenerit; non enim satiant animam, cui verax et certa sedes æternitas: æternum autem ardentius diligitur adeptum, quàm desideratum: nulli enim desideranti conceditur plus de illo æstimare, quàm se habet, ut ei vilescat, quum minus invenerit: sed quantum quisque veniens æstimare potuerit, plus perveniens inventurus est. *Aug. lib. 1. de doct. christia.*

2. Discernendum est quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine, æternitate, sicut Deus omnia: tempore, sicut flos fructum: electione, sicut fructus florem: origine, sicut sonus cantum. *Aug. in quodam serm.*

3. Fallax in temporalibus bonis suavitas labor et perpetuus timor, et periculosa jucunditas: initium sine providentia, et finis cum pœnitentia. *Ibidem.*

4. Nihil longum quod finem habet: æternitati comparatum omne tempus breve est. *Hier. super Hie. lib. 1.*

5. Ne dicas priora tempora meliora fuêre, quam nunc sunt: virtutes faciunt dies bonos, vitia malos. *Hier. super ill. Eccl. 41. Non est dicere.*

6. Nemo vestrum parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat nec advertit insipiens quid amittat: tempus irremediabile, licet fabulari, dicunt, donec hora prætereat: ô donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio conditoris indulget, donec transeat tempus, quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. *Bern. ser. ad schol.*

7. Nihil pretiosius tempore, et heu nihil hodie eo vilius invenitur: transivit dies salutis, et nemo recogitat: nemo sibi perire diem, et nunquam redilurum causatur, sed sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. *Ibidem.*

8. * Nihil est quod longinquitas temporis efficere non possit. *Cicer. 2. de Divin.*

9. * Tempori cedere, id est, necessitati parere semper sapientis est habitum. *Ibidem. Mar. Marc.*

10. * Horæ cedunt dies, et menses, et anni: nec præteritum tempus unquam revertitur: nec quod sequatur sciri potest. *Ibidem.*

11. Nihil horum temporalium stabile neque solidum est: nos tamen cupimus tanquam aut semper futura, aut semper habituri. *Sen. 69. epist.*

12. Fluunt omnia, et in assidua diminutione sunt corpora nostra, rapiuntur fluminum more. Quidquid vides, currit cum tempore: homo fluida est materia et caduca, et omnibus obnoxia casibus. *Sen. 67. epist.*

13. Nemo se judicat quidquam debere, qui tempus accepit, quum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere. *Sen. epist.*

14. Omnia aliena sunt, tempus tantùm nostrum est, quotidie deterior posterior dies. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 2, 5. in tit. Cupiditas, núm. 13. in tit. Delitiæ, núm. 7. in tit. Gaudium, núm. 2. in tit. Sollicitudo, núm. 3. in tit. Vita núm. 1, 2.

TESTIMONIUM.

1. Tres testes unum sunt, sicut Joannes dixit: aqua, sanguis, et spiritus. Unum in mysterio, non in natura. Aqua igitur testis est sepulturæ, sanguis vero testis est mortis, spiritus testis est vitæ. Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura aquæ, sed ex præsentia spiritus est. *Ambr. de spiritu sancto lib. 1.*

2. Duobus aut tribus testibus stat omne verbum, sed illius testibus, qui ante diem hesternum, aut nudius tertius non fuerunt inimici, ne irati nocere cupiant; ne læsi ulcisci se velint: inoffensus igitur affectus testium quæritur: ita tamen ut accusator proprius in medium procedat. *Ambr. epist. 66.*

3. Testibus falsis conjunctis, tardè mendacii falsitas reperitur, quòd si separati fuerint, examine judicis citò manifestantur: nam sicut in unitate pravorum grandis est fortitudo, ita in separatione major infirmitas. *Isid. de sum. bon. lib. 2.*

4. Testis falsidicus tribus est personis obnoxius, primo Deo, quem perjurando contemnit: consequenter judici, quem mentiendo fallit: postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. *Ibidem.*

5. Nihil est puero teste certius utique quinquenni: nam et ad eos pervenit, ut intelligat, et ad eos, quibus fingere non valet. *Ibidem.*

6. Si quis ea, quæ videt in proximi sui delicto, vel non indicat, vel in testimonium vocatus non quæ vera sunt, dixerit, peccatum quod commisit ille qui celat, ipse suscipiet, et pœna commissi revertitur ad conscium. *Orig. super Levit.*

7. Sæpe enim pro malis bonum testimonium dicimus, et de bonis mala dicimus nescientes, et necesse est, ut verecundiam incurrat, qui ignorans aliquid asseverat. Sæpe enim profertur incerta suspicio, quæ viro non convenit Christiano. *Cass. super Beati immaculati.*

8. Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem: qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane sciunt. *Plaut. in Trucul.*

9. In ferendo testimonio, quantacumque alicui sit auctoritas, propter conjunctionem affinitatis minor putanda est. *Tullius.*

10. Nullum putaveris esse locum sine teste. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Societas, núm. 19.

TIMOR.

1. Quando timore pœnæ non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè. *Aug. cont. Pel. lib. 2.*

2. Quid timet hominem homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. *August. de verb. dom.*

3. Timor præsens securitatem generat sempiternam.

Time Deum, qui super omnes est, et hominem non formidabis. *Aug. super Psalm.*

4. Timor Dei corrigit, timor hominum differt actionem, sed voluntatem non aufert: sed avidiores reddit ad crimen, quod aliquando suspendit á crimine. *Hier. super Matth.*

5. Qui timet Deum nihil negligit: timere Deum est, nulla, quæ facienda sunt, bona prætterire. *Greg. in Moral.*

6. In via Dei à timore Dei incipitur, ut ad fortitudinem veniatur: nam sicut in via seculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem, parit. Et sicut in via seculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit. *Ibidem.*

7. Quum quis timore adhuc bona agit, á malo penitus non recessit, quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset. *Ibidem.*

8. Nullum genus mortis bono et recte viventi metuendum est. *Ibidem.*

9. Si adhuc á prava actione formidata pœna prohibet, profecto formidantis animum nulla spiritus libertas tenet: nam et si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. *Greg. in pa.*

10. Ignorat itaque gratiam libertatis, quem ligat servitus timoris. *Ibidem.*

11. Quum ex peccato præsens pœna metuitur, et annexa Dei facies non amatur, timor ex timore est, non ex humilitate. *Greg. super ill. Job. 3. Quare non in.*

12. Noveris te, ut Deum timeas, noveris ipsum, ut æque ipsum diligas: in altero initiaris ad sapientiam, in altero consummaris, quia initium salutis, timor domini, et plenitudo legis est charitas, quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia, Dei itidem amor: sic econtrario, de ignorantia tui, superbia, et de Dei ignorantia venit desperatio. *Bern. super Cant. serm. 37.*

13. Deum time, et mandata ejus observa: hoc est omnis homo: ergo si hoc est omnis homo: absque hoc nihil est homo. *Ibid. serm. 20.*

14. Fugit ovis tremebunda veniente lupo, abs-

condit se columba tremens, accipitre viso: de caverna mus exire non audet esuriens, ambiente catto: et tu videns furem, currebas cum eo? *Bern. in quad. epist.*

15. Facile deviat á justitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit: hic timor peccandi facultatem differre potest, voluntatem auferre non potest: solus est Dei timor, qui metens colligit, fugat crimina, innocentiam servat, et omnis boni tribuit facultatem. *Chrys. in serm. de Joan. Bapt.*

16. Principium nostræ salutis sapientiæque secundum scripturas, timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris. De compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas et contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. De voluntatum mortificatione extirpantur atque marcescunt universa vitia. Vitiorum expulsione virtutes fructificant atque succrescunt. Virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur: per cordis puritatem apostolicæ charitatis perfectio possidetur. Vera est Beati Antonii sententia. *Joan. Cass. de instit. mon. lib. 4.*

17. Si amor Dei te tenere non potest, saltem teneat et terreat timor judicis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulphur fœtens, flamma tartarea, et omnia mala. *Hug. lib. 3. de anim.*

18. Brevis et plena commonitio, quæ domino amabili de timore servitur. Nam sicut remissa securitas culpas admittit, ita timor desiderabilis delicta semper excludit. *Cass. super psalm. Servite Domini.*

19. Humanus timor diffidentiam tribuit, divinus autem, spei firmamenta concedit. *Cass. super psalm. 14. Firmamentum est.*

20. Qui Deum bene timet et amat, qui bene amat et timet, res illæ in cœlesti devotione socialæ sunt. *Ibid. super psalm. 32.*

21. Quum audis quod Dominus tuus dulcis est, attende quid diligas: quum audis, quod rectus, attende quid timeas, ut amore et timore Dei excitatus legem

ejus custodias. *Cass. super illud psalm. Dulcis et rectus.*

22. Nos et futuro torquemur et preterito, multa bona nostra nobis nocent: timoris tormentum memoria reducit, providentia anticipat: nemo tantum præsentibus miser est. *Sen. epist. 13.*

23. Plura sunt quæ nos terrent, quæ premunt, et sæpe opinione amplius laboramus, quàm re. Citò accedimus opinioni, et sic vertimus terga, quemadmodum aliquos pulvis motus fuga pecorum exuit castris: aut quos aliqua fabula sine auctore conterruit: nescio quomodo vana perturbant. Vera enim modum suum habent. Verisimile est, aliquid futurum mali; non statim verum est, quàm multa inexpectata venerunt: quàm multa expectata nunquam comparuerunt. *Ibidem.*

24. Quid enim prodest mala accrescere, et præsens tempus futuri metu perdere? Stultum est, quasi ante futurus miser, esse jam miserum: quidquid vereris ne eveniat, eventum utique propone, et quodcumque est illud malum, totum ipse metire: actorem tuum taxa. Intelliges aut non magnum, aut non longum esse, quod metuis. *Sen. 24. epist.*

25. Stultitia est, timore mortis mori. Venit qui occidat, expecta quod occupet. Cur suscipis alienæ crudelitatis procurationem? Utrum invides carnifici tuo, an parcis? *Sen. 71. epist.*

26. Quemadmodum aves inanis fundæ sonus territat, ita nos non ad ictum tantum excitamur, sed ad strepitum: inter suspecta male vivitur. Infirmus animus antequam malis opprimatur, quæritur, præsumit illa, et ante tempus cadit. Quid autem dementius, quam angi futuris, nec se tormento reservare, sed accersire sibi miserias? *Sen. 75. epist.*

27. Nemo tam timidus est, ut malit semper pendere, quam semel cadere. *Sen. 22. epist.*

28. Quod nimis volunt miseri, hoc facile credunt: imo quod metuunt nimis, nunquam amoveri nec tolli putant. *Sen. in epist.*

29. Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus,

sic omne fortuitum incommodum magis instat timenti et averso. *Sen. 79. epist.*

30. Qui insidias timet, in nullas incidet, nec cito perit ruina, qui ruinam timet. Semper enim metuendo sapiens vitat malum. Nam inimicum quamvis humilem, docti est metuere, juxta illud: parva necat morsu spatiosum vipera taurum. A cane non magno sæpe tenetur aper. Causa pusilla nocet, sapiens nocentia vitat. *Ibid. de sent. orat.*

31. Multos in summa pericula misit venturi timor ipse mali, fortissimus ille est, qui promptus metuenda pati. *Ibidem.*

32. Quæ dementia est fugere, cum retroire non possis? Quotidie damnatur, qui semper timet. Res vera est, quod qui à multis timetur, multos timet. Pejus est regibus, quam servientibus revera: quia isti singulos, illi universos timent. *Senec. in Prov.*

33. Stultum est timere quod vitari non potest. Turpissima res est, nihil timere præter Deum. Timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia mala. *Ibidem.*

34. Timor sicut modestiæ cognatus est, ita familiaris est sapienti: quia mentem componit et humiliat. *Tullius in Tusc.*

35. Malus custos diuturnitatis est metus, contraque benevolentia fidelis ad perpetuitatem: id igitur amplectamur, ut metus absit, charitas retineatur. *Ibidem. 1. Offic.*

Vide etiam in tit. Avaritia, num. 29, 30, 31. in tit. Confidentia, núm. 2. in tit. Consideratio, núm. 13. in tit. Consolatio, núm. 11, 12, 13, in tit. Correctio, núm. 18. in tit. Cupiditas, núm. 25. in tit. Damnum, núm. 4. in tit. Fortitudo, núm. 11. in tit. Gratia, núm. 19. in tit. Intentio, núm. 7. in tit. Magnanimitas, núm. 7. in tit. Mors, núm, 82, 91. 94. in tit. Potestas, núm. 10, 12, 20. in tit. Spes, núm. 9. in tit. Tribulatio, num. 17, 19. in tit. Voluptas núm. 6.

TRIBULATIO.

1. Intelligat homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem: sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. *Aug. super Psal. 21.*

2. In fornace ardet palea, et purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur, et illud sordibus exuritur: fornax mundus, aurum justi, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod vult ergo artifex, facio: ubi ponit me artifex, tolero. Jubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et ad consumendum me, illa quasi in cinerem vertitur, ut ego sordibus caream. *Aug. super psalm. 60.*

3. Nullus servus Christi sine tribulatione est. Si putas te non habere persecutiones, nondum cæpisti esse Christianus. *Aug. in quodam serm.*

4. Si non promissa patris bene agnovisti, non timeas flagellari, sed exhæredari. *Aug. super psalm.*

5. Flagellum interius et exterius glorificat. Creatorem compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit virtutem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viventem. *Ibidem.*

6. Quod te Dominus permisit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hæreditatem sempiternam erudimur, et flagellari dedignamur. *Aug. super Joan.*

7. Sicut sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat: et sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, et frumenta purgantur, et uno motu exagitatur fœnum, et suaviter fragrat unguentum: ita una tribulatio irruens bonos probat, purgat et eligit: malos reprobat, exterminat et annihilat. *Aug. super. Psal.*

8. Non facile inveniuntur in adversitate præsidia, quæ non fuerunt in pace. *August. in epist.*

9. Quantò in hoc seculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, vel morborum crudelitate

fuerimus afflicti, tantò post resurrectionem in futuro majora præmia consequemur. *Hier. in epist. ad Cypr.*

10. Plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere quod volumus, postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur, tunc mentem ad Deum reducimus, tum placere incipit, quod displicebat: et quæ nobis amara fuerant, præcepta repente dulcescunt in memoria: peccatrix anima, quæ adultera conata esse non potuit, decernit esse fideliter conjux. Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque á præsentis vitæ desideriis corriguntur: quid isti fratres charissimi, nisi ut intrent, compelluntur. *Greg. in ho. Homo quidam.*

11. Tantò spes in Deo solidior surgit, quantò pro illo quisque graviora pertulerit: quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. *Greg. in Moral.*

12. Omnipotens electorum suorum adversarios temporaliter permittit excrescere, ut per malorum sæviliam purgetur vita bonorum. Nunquam quippe Dominus adversarios bonis permittet, nisi in quantum prodesse viderit. Nam dum injusti sæviunt, justi purgantur, et utilitati innocentium militat vita pravorum dum hanc et premendo humiliat, et humiliando semper ad melius format: quia mala reproborum bonos, dum cruciant, purgant. Utilitati justorum militat etiam potestas pravorum. *Ibidem.*

13. Nulla adversitas dejicit, quem prosperitas nulla corrumpit. Qui enim veritati inhæret, vanitati nullo modo succumbit: quia dum forti pede cogitationis intus in tentationem fixerit, omne quod fortis mutabiliter agitur, ad arcem mentis minime pertingit. *Ibidem.*

14. Carmen in nocte, est lætitia in tribulatione. *Ibidem.*

15. Aurem cordis tribulatio aperit, quam sæpe prosperitas hujus mundi claudit. *Ibidem.*

16. Quisquis adversitate et tribulatione frangitur, á quo factus est, minime contemplatur: nam qui, quod

non erat, fecit, factum sine gubernatione non deserit: et qui benigne hominem condidit, nequaquam injuste cruciari permittit, nec sinit neglectè perire quod est qui hoc etiam quod non fuit, creavit, ut esset. *Ibidem.*

17. Tanto quisque adversitate minus vincitur, quanto contra illam præsciendo paratus invenitur. *Ibidem.*

18. Quisquis in solo desiderio æternitatis figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate cassatur, dum nihil habet in mundo, quod appetat, nihil est, quod de mundo pertimescat. *Ibidem.*

19. Si iniquus quisque in hac vita permittitur prosperari, necese est, ut electus Dei debeat sub flagelli fræno retineri. *Ibidem.*

20. Non exterret exterius numerus hominum, quem non devastat interius turba vitiorum. In hac vita, qui nulla prospera appetit, nulla adversa pertimescit. *Ibidem.*

21. Electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie quasi vitæ amœnitate pascitur, magis eum diu pergere, quam citius pervenire delegit: ne dum oblectatur in via, obliviscatur, quod desiderabat in patria. *Ibidem.*

22. Nemo quantum profecerit, nisi inter adversa, cognoscit: quia unusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantum percepe-rit, in adversitate perturbationis ostendit. *Ibidem.*

23. Sanctorum mentes æternitatis præmia præstolantes, vires ex adversitatibus sumunt: quia crescente pugna gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Electorum desideria dum premuntur, adversitate proficiunt: sicut ignis flatu premitur, ut crescat, et unde quasi extingui cernitur, inde roboratur. *Ibid.*

24. Adversitas, quæ bonis vobis aut viris objicitur, probatio virtutis est, non indicium reprobationis. Quis enim nesciat quam prosperum fuit, quod B. Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat: et tamen veniens naufragium pertulit: sed tamen cordis in fluctibus integer stetit. *Greg. Ibid. et ponitur 7. q. Adversitas.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

25. Quum recognosco Job in sterquilinio, Joannem esurientem in eremo, Petrum extensum in patibulo, Jacobum decollatum ab Herodis gladio, cogito, qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat: qui ita dure affligit, quos amat. *Gregor. in quadam ho.*

26. Afflicti terrena perdimus, sed afflictionem humiliter sustinentes cœlestia multiplicamus. *Gregor. in moral.*

27. Tantò major fiducia mentem roborat, quantò hanc fortior pro veritate angustat afflictio. *Ibidem.*

28. Virtus per quietem se exercuit, scilicet in Job, sed virtutis opinio commota per flagella fragavit: sicut aromata fragantiam suam, non nisi quum incenduntur, expandunt: ita sancti viri omne, quod virtutibus redolet, in tribulationibus innotescit. *Ibidem.*

29. Mala Lazari purgavit ignis inopiæ, et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ, illum paupertas afflixit et torsit, istum abundantia remuneravit et repulit. *Greg. ho. 40.*

30. Tribus modis nos conditor interrogare consuevit: quum aut flagelli districtione nos percutit, et quanta nobis insit vel desit patientia, ostendit: aut quædam quæ nolumus nobis præcepit et nostram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit: aut aliqua nobis occulta aperit, et aliqua abscondit, et mensuram nobis nostræ humilitatis ostendit, et innotescit. *Greg. lib. 20. Moral.*

31. Quomodo stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, in adversis eminet: illud sanè cautelæ est, hoc necessitatis. *Bern. super Cant.*

32. Fratres in hoc mundo quasi in campo certaminis positi sumus, et qui hìc dolores, aut plagas, aut tribulationes non susceperit, in futuro inglorius apparebit. *Bern. in quodam serm.*

33. Si quis viam laboriosam æstimat, suæ desidiæ est accusatio. Si enim minaces nautis pelagi fluctus, si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera, cædesque militibus, si gravissimi ictus, plagæque pu-

gilibus leves videntur et tolerabiles sunt propter spem temporalium, ac pereuntium commodorum, multo magis, quum cœlum præparatur in premium, nihil ex præsentibus asperitatibus debet sentiri: maxime labores mitigat in benignum finem venire promissum, nec aspicias, quòd via est aspera, sed quò ducit, nec aliam, quæ lata est, sed ubi desinit. *Chrys. sup. Matth.*

34. Ne indignemini, si mali in hoc mundo floreant, et vos patimini: quia non est Christianæ religionis in mundo exaltari, sed deprimi: mali nihil habent in cælo, vos nihil in mundo, sed spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contigerit, gaudere debetis. *Beda, et est glo. sup. ill.*

35. Forsitan temporaliter te punit, ut æternæ mortis ardores pœna redimat temporalis: in ædificatione enim templi omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur; nec in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis aut triturantium pedibus sit excussum: sic et vivi lapides, qui ponendi sunt in illa cœlesti Hierusalem, quæ ædificatur, ut civitas, variis infortuniorum concussionibus poliuntur prius quam in ædificio cœlestis habitaculi collocentur. *Pet. Chr. in quad. ep.*

36. Hæc omnia fortasse operatur Dominus, ut det nobis vexatio intellectum: triturtur granum, ut reponatur in horreo: quadratur lapis, ut sine sonitu mallei in ædificio templi collocetur. Movetur turbo, ut Elias rapiatur in cœlum. Maximum est remedium interioris hominis, si in hac area mundi variis passionum flagellis trituretur exterior. *Ibidem.*

37. Omnis cordis aut corporis afflictio, citra meritum et fructum salutis est, sine patientiæ condimento. *Ibidem.*

38. O quanta mortales angit anxietas, affligit cura, solicitudo molestat, dolor affligit, conturbat tristitia, contristat turbatio: pauper et dives servus et dominus, denique bonus et malus omnes mundanis cruciatibus affliguntur, et mundanis afflictionibus cruciantur, experto crede magistro. *Inno. de vilitate condi. human.*

39. Parva toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cœlum. *Cass. super Psalm.*

40. Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit: virtutem non dedit, ideo non detrahit: itaque sapiens nihil perdit: in unius possessione virtutis est, ex qua depelli nunquam potest. *Senec. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 10. in tit. Compassio, núm. 12. in tit. Fides, núm. 19. in tit. Fortitudo, núm. 31. in tit. Gaudium, núm 12. in tit. Humilitas, núm. 15. in tit. Infirmitas, núm. 2. in tit. Justitia, núm. 17. in tit. Mundus, núm. 2. in tit. Patientia, núm. 4, 10, 25. in tit. Pœna, núm. 7, 10, 18. in tit. Pœnitentia, núm. 2. in tit. Profectus, núm. 1. in tit. Prosperitas et Solicitudo, núm. 1. in tit. Veritas, núm. 16. in tit. Vita, núm. 11, 12, 13.

TRINITAS.

1. Ubi quæritur unitas Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Non pigebit me sicubi hæsito, quærere: nec pudebit sicubi erro, discere. Quisquis ergo hoc audit, vel legit, ubi pariter certus est, pereat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo scriptum est: *Quærite faciem ejus semper. Aug. lib. 1. de Trinit.*

2. Qui hoc, id est Trinitatis mysterium, vel ex parte vel per speculum et in ænigmate videt: gaudeat cognoscens Deum, et gratias agat, qui vero non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum: quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas. *Ibid. lib. 6.*

3. In summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul sunt, et nec plus aliquid sunt duæ quam una res, et in se infinita sunt: ita et singula sunt

in singulis, et etiam omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. *Ibid.*

4. Videmus Solem in cœlo currentem, fulgentem, calentem. Similiter ignis tria habet, hoc est, motum, lucem et fervorem. Divide ergo, si potes, Arriane, Solem vel ignem, et tunc demum divide Trinitatem. *August. de verbis Domini.*

5. Aperte tunc videbimus quomodo, et unum divisibiliter tria sunt, et indivisibiliter tria unum. *Greg. in Moral.*

6. O veritas, charitas, æternitas. O beata et beatificans Trinitas: ad te mea misera Trinitas miserabiliter suspirat, quoniam á te infeliciter exulat: discedens á te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus? Ratio sæpissime in judiciis fallitur, voluntas quadruplici perturbatione jactatur, et memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subjecta est, non volens in spe tamen: heu qualem pro te commutavimus Trinitatem, cor meum conturbatum est, et inde dolor, dereliquit me virtus mea, et inde pavor, et lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error: En, quàm dissimilem Trinitatem! ô animæ meæ Trinitas exules offendisti. Veruntamen quare tristis es anima mea? et quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, quum videlicet á ratione error, á voluntate dolor, atque á memoria timor omnis recesserit: et succeserit illa, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in nobis ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem, consequente memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente. *Bern. serm. 11. sup. cant.*

7. Est Trinitas creatrix, Pater et Filius et Spiritus sanctus, ex qua cecidit creata Trinitas, memoria, ratio et voluntas. Et est Trinitas, per quam cecidit, videlicet per suggestionem, delectationem et consensum. Et est Trinitas, in quam cecidit, videlicet, impotentia,

cæcitas, immunditia. Rursus Trinitas, quæ cecidit, id est memoria, ratio, voluntas. Singulæ cujusque tripartitus excidit casus. Memoria cecidit in tres species cogitationum: affectuosas, onerosas, otiosas. Ratio in triplicem ignorantiam, boni et mali, veri et falsi, commodi et incommodi. Voluntas in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, ambitionem seculi. Est Trinitas, per quam resurgit fides, spes, charitas. Quæ trimembres habent subdivisiones. Est enim fides præceptorum, signorum, promissorum. Est et spes veniæ, gratiæ, gloriæ. Et est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. *Bern. in ser. parv. ser. 1. quem totum lege.*

8. Inquirere de Trinitate, perversa curiositas est, et credere, et tenere sicut sancta Ecclesia tenet, fides et securitas est. Videre autem eam sicuti est, perfecta et summa felicitas est. *Ibidem.*

9. Summum proprium divinitatis est verbum, quod tempore non mutatur, sed semper adest et ibi aliud sacramentum, quod una syllaba tribus litteris continetur, ut sancta Trinitas in cœlis unus Deus esse docet. *Cass. super Psalm. 49.*

TRISTITIA.

1. Memoria quasi venter est animi, lætitia vero atque tristitia quasi cibus dulcis et amarus. *August. in lib. Cofess.*

2. Nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio, id est, tristitia, quæ ducit hominem ad mortem: hæc abominanda ebrietas est. *Hier. super Joan.*

3. Vis nunquam esse tristis, bene vive: bona vita semper gaudium habet. *Hug. l. 3. de anim.*

4. Tristitiam si potes, non admiseris, sed nec omnibus ostenderis. *Sen. in lib. de morib.*

5. Nunquam tristis sis, si tibi ipsi incommodo vixeris. *Ibidem.*

6. Ad tristem partem strenua suspitio. *Ibidem.*

7. Socrates virtutem sic coluit, ut nunquam vultum ejus lætitiæ blanda vanitas exhilararet, nec tristitia ulla contraheret. *Senec. in sen. orat.*

Vide etiam in tit. Compassio, nùm. 13. in tit. Conscientia, núm. 16. in tit. Consolatio, nùm. 1, 2, 5. in tit. Gaudium, núm. 6, 9, 21. in tit. Misericordia, nùm. 18. in tit. Senectus, núm. 20.

VENIA.

1. Debet Ecclesia Catholica correctis et firmatis filiis libenter ignoscere: cum ipsi Petro personam ejus gestanti, et cum in mari titubasset, et cum Deum carnaliter á passione revocasset, et cum aurem servi gladio præcidisset, et cum ipsum Dominum etiam negasset, et cum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eumque correctum atque firmatum usque ad dominicæ passionis gloriam pervenisse. *Aug. de agone Christ.*

2. Nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque etsi longe minorem quàm debeat, solverit pœnam. *August. de vita cleric. lib. 10.*

3. Audistis formam, si septuagies septies Christus peccata tibi donavit, si hucusque ignovit, et ultra negavit: pone et tu limitem, et ulterius noli ignoscere. *August. de ver. Dom. tract. ill. Apost. Donantes vobismetips.*

4. Dicit Dominus, dimitte, et dimittetur tibi. Si ergo prior dimisi, dimitte illis postea, nam si non dimiseris, revocabo te, et quidquid dimiseram, replicabo tibi. *Ibidem.*

5. *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Ne dicas in lingua, ignosco, et corde differas: novit enim cum dicas. Vocem tuam audit homo, conscientiam tuam Deus inspicit. Melius est enim, dum non clamas ore, et dimittis in corde, quam blandus ore, crudelis in corde. *August. de ver. Dom. serm. 45.*

6. Negligens inimicitias finire obliviscitur, pertinax veniam non vult concedere, sed dedignatur, his tribus

inimicis vivunt homines, sed animas, in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilat contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. *Aug. in serm. de 40.*

7. In hac petitione si mentitur, totius orationis nullus est fructus, pecuniam aliquando repetere conceditur, sed debitis peccatorum petenti veniam, nunquam juste negatur. *Aug. super ill. Matth. 6. Et dimitte nobis debita.*

8. Gratiæ tuæ deputo et misericordiæ, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti: gratiæ tuæ deputo, et quæcumque non feci mala, quæ enim non facere potui, et omnia mihi dimissa esse fateor, et quæ mea sponte feci mala, et quæ te duce non feci. *Aug. 2. lib. confessio.*

9. Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere, et tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio major iracundiæ, et optabatur in eo, quod timebatur in aliis, ut irasceretur, hoc erat remedium reorum, qui cum haberet supra omnes potestatem, quasi parens postulari malebat, quam quasi judex punire, æquitatis judex, non pœnæ arbiter: qui nunquam veniam confitenti negavit. *Ambr. de obitu Theo.*

10. Discas frequenter ignoscere nec indignationem tenere. Nihil est enim quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo. *Ambr. super Lucam.*

11. Tantæ pietatis est Dominus Jesus, ut ipsi Judæ donaret veniam, si Christi expectasset misericordiam. *Ibidem.*

12. Pulcherrimum affectandæ conversationis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, et uberior gratia quam precatio; semper enim plus tribuit quam rogatur. *Ambr sup. Matth.*

13. Non usque septies, sed usque septuagies septies: id est, quadringentis, et nonaginta vicibus, ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ipse peccare non posset. *Hier. super Matth. lib. 3.*

14. Si peccaverit in nos frater noster, et in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem: quia Dominus præcipit, ut debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii, ut dicit Scriptura. Si autem peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos: si autem peccaverit in Deum, quis rogabit pro eo? et nos econtrario in Dei injuria benigni sumus, et in nostris contumeliis odia exercemus. *Hier. super ill. Matth. 24. Si peccan. in te fra. tuus.*

15. O formidolosa sententia, si parva fratribus non dimittimus, magna nobis á Deo non dimittuntur. *Ibid. super ill. Si non remi. pec.*

16. Apud misericordem judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, quum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur. Sæpe namque magnis hoc doctoribus mirandisque contingit, quod ut alta charitate fervent, modum correctionis exaggerent, et lingua aliquid, quod non debet, dicat, quia mentem dilectio quantum debet inflammat, sed verbum prolatæ contumeliæ tanto citius partitur, quantò et ex qua radice prodeat pensatur. *Greg. in Moral.*

17. Peccatores, qui operum peccata deplorant, debent præsumere de misericordia, quam postulant, non enim pie Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret: si per semetipsum ea districte ferire voluisset. *Greg. in pastoral.*

18. Sciendum est, quod qui dimittit, et non dat, et minime dimittit: omnino misericordiam nullam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod obligato corde ex malitia profertur. *Greg. in Moral.*

19. Si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. *Ibidem.*

20. * Plurimum interest quo animo quisque parcat: sicut enim aliquando est misericordia puniens, ita et crudelitas parcens. *August. ad Maced. epist. 64.*

21. * Cito parcendum injurianti, ne veniæ viam tibi intercludas. *Aug. lib. 4. de Civ. Dei. c. 4.*

inimicis vivunt homines, sed animas, in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilat contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. *Aug. in serm. de 40.*

7. In hac petitione si mentitur, totius orationis nullus est fructus, pecuniam aliquando repetere conceditur, sed debitis peccatorum petenti veniam, nunquam juste negatur. *Aug. super ill. Matth. 6. Et dimitte nobis debita.*

8. Gratiæ tuæ deputo et misericordiæ, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti: gratiæ tuæ deputo, et quæcumque non feci mala, quæ enim non facere potui, et omnia mihi dimissa esse fateor, et quæ mea sponte feci mala, et quæ te duce non feci. *Aug. 2. lib. confessio.*

9. Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere, et tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio major iracundiæ, et optabatur in eo, quod timebatur in aliis, ut irasceretur, hoc erat remedium reorum, qui cum haberet supra omnes potestatem, quasi parens postulari malebat, quam quasi judex punire, æquitatis judex, non pœnæ arbiter: qui nunquam veniam confitenti negavit. *Ambr. de obitu Theo.*

10. Discas frequenter ignoscere nec indignationem tenere. Nihil est enim quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo. *Ambr. super Lucam.*

11. Tantæ pietatis est Dominus Jesus, ut ipsi Judæ donaret veniam, si Christi expectasset misericordiam. *Ibidem.*

12. Pulcherrimum affectandæ conversationis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, et uberior gratia quam precatio; semper enim plus tribuit quam rogatur. *Ambr sup. Matth.*

13. Non usque septies, sed usque septuagies septies: id est, quadringentis, et nonaginta vicibus, ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ipse peccare non posset. *Hier. super Matth. lib. 3.*

14. Si peccaverit in nos frater noster, et in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem: quia Dominus præcipit, ut debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii, ut dicit Scriptura. Si autem peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos: si autem peccaverit in Deum, quis rogabit pro eo? et nos econtrario in Dei injuria benigni sumus, et in nostris contumeliis odia exercemus. *Hier. super ill. Matth. 24. Si peccan. in te fra. tuus.*

15. O formidolosa sententia, si parva fratribus non dimittimus, magna nobis á Deo non dimittuntur. *Ibid. super ill. Si non remi. pec.*

16. Apud misericordem judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, quum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur. Sæpe namque magnis hoc doctoribus mirandisque contingit, quod ut alta charitate fervent, modum correctionis exaggerent, et lingua aliquid, quod non debet, dicat, quia mentem dilectio quantum debet inflammat, sed verbum prolatæ contumeliæ tanto citius partitur, quantò et ex qua radice prodeat pensatur. *Greg. in Moral.*

17. Peccatores, qui operum peccata deplorant, debent præsumere de misericordia, quam postulant, non enim pie Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret: si per semetipsum ea districte ferire voluisset. *Greg. in pastoral.*

18. Sciendum est, quod qui dimittit, et non dat, et minime dimittit: omnino misericordiam nullam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod obligato corde ex malitia profertur. *Greg. in Moral.*

19. Si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. *Ibidem.*

20. * Plurimum interest quo animo quisque parcat: sicut enim aliquando est misericordia puniens, ita et crudelitas parcens. *August. ad Maced. epist. 64.*

21. * Cito parcendum injurianti, ne veniæ viam tibi intercludas. *Aug. lib. 4. de Civ. Dei. c. 4.*

22. * Veniam delicti assequutus, si iterum peccat, grave judicium sibi præparat. *Basil. in sum. moral.*

23. * Sis humilis ad petendam veniam, facilis ad dandam: et sic membra erunt in pace. *Bernar. de verb. Apost. serm. 1.*

24. * Judex veniam dare peccatis non potest, quia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, quia legis suæ dispensator ac judex. *Tertull.*

25. Sunt aliqui sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, quum tamen sæpius improperant. Sunt alii, qui licet sileant: manet tamen alta mente repostum, et rancorem tenent in animo: quarum neutra plena indulgentia est: longe ab his omnibus benignissima divinitatis natura libenter agit, ignoscit plenarie: ita dicunt: non propter fiduciam pecco, sed pœnitentiam. Ubi abundavit delictum, solet et gratia superabundare. *Bern. super Cant.*

26. Tam liberaliter Dominus omnem donavit injuriam, ut jam nec damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. *Ibidem.*

27. Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non abhorreas, non horruisti confitentem latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio: non supplicantem publicanum, non negantem discipulum: non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odorem horum unguentorum currimus. *Ibidem.*

28. Multi aliorum vitia cernunt, sua non aspiciunt: et cum ipsi maximis criminibus obnoxii teneantur, peccata minora fratribus non dimittunt. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

29. Qui captivos redimere, et pauperes pascere vel vestire non prævalet, contra nullum hominem odium in corde reservet, et inimicis suis non solum malum pro malo non reddat, sed etiam diligat: et pro eis orare non desinat, certus de misericordia, vel

de promissione Domini sui: libera conscientia ante tribunal Christi dicere poterit: *Da domine, quia dedi; dimitte quia dimisi. Cæsarius in admonitione secundi.*

30. Homo sine peccato esse non potest: et vis semper tibi dimitti totum, dimitte semper: quantum vis dimitti tibi, tantum dimitte. Quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte: imo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte: homo, intellige, quod remittendo alii, veniam tibi tu ipse dedisti. *Petr. Chry. ser. 67. sup. ill. Domi. nobis.*

31. Dimittenda sunt debita, non pecuniæ solum, sed omnium causarum, culparum, criminum, quidquid homo incurrere poteris, in his tibi, quum incurrerit alter, ignosce: fidens peccatis suis, veniam petit, qui peccanti libenter ignoscit. *Ibid. in ser. 68.*

32. * Venia in ultione melior est: illa namque mitis est ingenii: hæc autem ferini. *Apud. Stop.*

33. Nulla fit negligenti venia, ubi de salute certatur. *Veget. de remi. l. 2.*

34. Magnarum virium est negligere lædentes. *Sen. de morib.*

35. Optimum est semper ignoscere, tanquam si tu ipse quotidie perces. Alteri sæpe ignoscito, tibi nunquam. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Compassio, núm. 17. in tit. Communitas, núm. 1. in tit. Confessio, núm. 29. in tit. Correctio, núm. 70. in tit. Desperatio, núm. 9. in tit. Eleemosyna, núm. 3. in tit. Eucharistia, núm. 12. in tit. Inimicitia, núm. 1. in tit. Injuria, núm. 1. in tit. Ira, núm. 6. in tit. Magnanimitas, núm. 5. in tit. Oratio, núm. 2, 6. in tit. Patientia, núm. 32. in tit. Pœnitentia, núm. 25. in tit. Reconciliatio, núm. 5. in tit. Recidivatio, núm. 5. in tit. Resurrectio, núm. 6.

VERBUM.

1. Simul pluit Dominus super segetes et super spinas; sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et tamen una est pluvia: sic verbum Dei omnes compluit, videat quisque qualem radicem habeat: videat quisque quò trahit pluviam bonam: si eam trahit, ut generat spinas, numquid pluvia Dei accusanda est antequam veniat ad radicem? dulcis est pluvia illa, dulce est verbum Dei, donec veniat ad cor malum. *August. de benedict. Esau. et Jacob.*

2. Custoditio verborum Dei intelligenda est operatione præceptorum: frustra enim custodiuntur memoria, si non custodiuntur et vita; nam verba Dei tenendo agunt quidem, ne obliviscantur: nec agunt vivendo, ne corrigantur. *Aug. super Psalm. In quo corrigit.*

3. Quid vobis plus esse videtur verbum Dei, aut corpus Christi? Si vultis verum respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam corpus Christi: et ideo non minus reus, qui verbum Dei negligenter audiverit, quam ille, qui corpus Christi in terram negligentia sua cadere permisit. *August. in quodam serm.*

4. Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Nec enim potest panem seculi capere, qui pane reficitur Salvatoris. Negligit famem corporis, qui pabulo lectionis intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum cibi cœlestis acquirit. Ipsa enim est omnium refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, quum de divinis scripturis cibum eloquii perennis accipimus. *Ambr. in serm. de 40.*

5. Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? *Ambr. sup. Beati immaculat.*

6. Plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno saliare. *Greg. in ho. 6. su. evan.*

7. Verba Dei tunc verius mens intelligit, quum in eis semetipsam quærit. *Gregor. in moral.*

8. Quærit anima verbum, cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui in-

nitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem: cui maritetur ad fœcunditatem, qua fruatur ad jucunditatem. *Bern. super Cant. serm. 85.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 17. in tit. Inimicitia, núm. 2. in tit. Maria, núm. 5. in tit. Pietas, núm. 10.

VERECUNDIA.

1. Pulchra virtus est verecundia et suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget, ipsum vocis sonum liberet modestia, ne cujusquam offendat aurem, vox fortior denique in ipso canendi genere, prima disciplina verecundia, imo in omni usu loquendi. *Ambr. de Offic. lib. 1. c. 19.*

2. Tacebat in periculis Susanna, et gravius verecundiæ, quam vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem; soli Deo loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui, refugiebat ora intueri virorum. *Ibidem.*

3. Est enim verecundia pudicitiæ comes, cujus sccietate castitas ipsa tutior est. Nonne hæc prætulit publicanum, et commendavit eum, qui nec oculos suos audebat ad cœlum levare? Paulus orationem deferri præcepit cum verecundia et sobrietate. *Ibidem.*

4. Verecundia, cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus et locis apta, tamen adolescentes juvenilesque annos maxime decet, ut artifex in materia commodiore melius operari solet: sic verecundia, in ipso quoque corporis decore plus eminet. Ita tamen, ut etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expeditus. *Ibidem.*

5. Hominem vereris præsentem, Dei Patris et Filii, et Spiritus sancti non vereris præsentiam. *Ambr. super Beati immaculati.*

6. Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor: hic individuus debet esse virginitatis, sine quo non potest esse virginitas: teritur officiis pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia solvitur, dum urbanitas affectatur. *Ambr. de virgi.*

7. Erubescere debemus, et condemnare peccatum, non defendere; quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. *Ambr. de morte Abel et Cain.*

8. Ingenia liberaliter educata facilius verecundia, quam metus superat, et quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. *Hieron. ad Pammach. de morte Pauli.*

9. Sit sermo virginis pudicus, modestus et rarus, nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore. Est etiam in ipso motu, habitu, incessu verecundia. *Ibidem.*

10. Quidquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare. *Ibidem.*

11. Frontem cordis imprudentia atterit culpa frequens: atque quò crebrius admittitur, eò de illa committentis animus minus verecundatur. *Greg. in ho.*

12. Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est; bonum verò erubescere, fatuitatis. Qui erubescit mala pœnitendo, quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui vero erubescit bona facere, á statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit: sicut per Redemptorem dicitur. *Qui me erubescit et meos sermones, etc. Greg. in ho. 10. super Ezech*

13. Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra et quàm splendida gemma morum est verecundia, in vita et vultu adolescentis, quàm vera et minime dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index! Virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus et insigne totius honesti. *Bern. super Cant. serm. 86.*

14. Verecundia soror est continentiæ: nullum æque manifestum judicium columbinæ simplicitatis, et ideo

etiam testis est innocentiæ, lampas pudicitiæ mentis jugiter lucens, ut nihil in ea turpe vel indecorum residere attentetur, quod non illa illico perdat. *Ibid.*

15. Hæc dicentibus erubescenda essent, si á facientibus præsumpta non fuissent, nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam. *Hug. de institut. novit.*

16. Pudoris etiam disciplinam inter defuncta corpora natura discernit. At si quando cadavera necatorum fluctibus evehuntur, virorum supina fluctuant, prona fœminarum. *Soli. lib. de mirab.*

17. * Custos virtutum omnium dedecus fugiens, et laudem maximam consequens, verecundia est. *Cic. de Ora.*

18. Verecundia, parens est omnis honesti consilii, tutela solennium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco omni tempore favorabilem præ se ferens vultum. *Val. Max.*

19. Bonum in adolescente signum est, quum illi ex alto rubor suffunditur: magis in juvenibus apparet quibus et plus caloris est, et tenera frons: veteranos nihilominus et senes tangit. Quidam autem non magis, quàm quum erubuerint, timendi sunt quasi omnem verecundiam effuderint. *Sen. 11. epist.*

20. Artifices scenici hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos, et deprimunt ruborem sibi exprimere non possunt, nec prohibetur hîc, nec adjicitur, nihil adversus hunc sapientia proficit, sui juris est, injussus venit, injussus discedit. *Ibidem.*

21. Nutriendus est pudor, qui quamdiu in animo duraverit, aliquis erit bonæ spei locus. *Sen. epist. 25.*

22. Recta ingenia debilitat verecundia, prava confirmat audacia. *Senec. in Prov.*

23. Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor per verba disculitur. *Ibidem.*

24. Verborum turpium licentia impudentiæ nutrix. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Confessio, núm. 32. in tit. Conversatio, núm. 28. in tit. Correctio, núm. 27.

VERITAS.

1. Veritas dulcis est, et amara quando dulcis est parcit: et quando amara, curat. *August. ad Christ.*

2. Veritas panis est: mentes reficit, nec deficit, mutat vescentem, nec ipsa in vescentem mutatur. *Aug. super Joan.*

3. Veritatis et sapientiæ pulchritudo, nec multitudine audientium constipata excludit venientes, nec peragitur tempore, nec mitigatur locis, nec nocte interrumpitur, nec umbra intercluditur, nec sensibus corporis subjacet. *Aug. lib. de liber. arbit.*

4. Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur. *Ibidem.*

5. Nullus reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est aut amicus: si inimicus insultat, ferendus est: amicus autem, si errat, docendus est; si docet, audiendus. *Aug. l. 2. de Trinit.*

6. Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum quàm Helena Græcorum. *Aug. in epist. ad Hier.*

7. Errat quisquis se veritatem cognoscere putat, qui adhuc nequiter vivit. *Aug. lib. de agone Christian.*

8. Qui veritatem occultat, et qui prodit mendacium, uterque reus est: ille, quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat. *Ibidem.*

9. Liberè enim et sine adulatione veritatem prædicantes, et gesta, pravæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines. *Ambr. in glo. sup. ill. 1. ad Cor. 6. Nos nobiles.*

10. Hæc est conditio veritatis, ut eam semper inimicitiæ persequantur: sicut per adulationem pernitiosæ amicitiæ comparantur: libenter enim quod delectat audimus, et offendit omne, quod nolumus. *Hier. super ill. ad Galat. 4.*

11. Mentiri atque jurare lingua tua prorsus ignoret: tantusque in te sit veritatis amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. *Hieron. in Celant.*

12. Non meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat. *Hier. super Ezech.*

13. Nihil est ad defendendum pbritate tutius, nihil ad dicendum, veritate facilius. *Gregor. in hom.*

14. Ille veritatis defensor esse debet, qui quum rectè sentit, loqui non metuit, nec erubescit. *Ibidem.*

15. Qui necessitate cogente vera Dei dona loquitur, tantò magis humilitati jungitur, quantò et veritati socialur. *Ibidem.*

16. Bonorum mens quò duriora pro veritate tolerat, eò æternitatis præmia certius sperat. *Greg. lib. 10. Moral.*

17. Inquirimus veritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In nobis, nosmetipsos dijudicando: in proximis, eorum malis compatiendo: in sui natura, mundo corde contemplando. *Bernar. de gra. hu.*

18. Cum sint tres gradus seu status veritatis, ad primum ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum per affectum compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo veritas reperitur severa, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus: ad secundum affectus producit, quo aliis miseremur: ad tertium puritas rapit, qua ad invisibilia sublevamur. *Ibidem.*

19. Veritas sola liberat, sola salvat, sola lavat. *Bern. in serm.*

20. Non amat veritas angulus, non ei diversoria placent. In medio stat, communi vitæ disciplina, communibus studiis delectatur. *Ibidem.*

21. Talis est conditio falsitatis, vel erroris, ut etiam nullo sibi adsistente consenescat ac defluat; talis autem ediverso veritatis status, ut etiam multis impugnantibus suscitetur, et crescat. *Chrys. de laudi. Pau. ho. 3.*

22. Non solum proditor est veritatis, qui mendacium pro veritate loquitur, sed qui non liberè pronuntiat veritatem, quam pronunciare oportet; aut non liberè defendit veritatem, quam defendere oportet. *Chrys. super Matth.*

23. Si propter timorem mortis tacere veritatem, impietas est, quomodo non est major impietas propter miserum ventrem et honoris vani spem, tacere veritatem? Videtur meliorem facere gratiam panis et honoris, quam gloriam veritatis. *Ibidem.*

24. Veritas, rerum atque utilitas semper á paucis sapientibus melius invenitur, quàm per multitudinem clamosam discutiatur: multitudo enim onerosa nihil habet honesti. *Cass. in quadam epist.*

25. * Tantam semper potentiam veritas habuit, ut nullis machinis, aut cujusquam hominis ingenio, aut arte subverti potuerit: et licet in causa nullum patronum aut defensorum obtineat, tamen per seipsam defenditur. *Cicer. in Vati.*

26. * Multorum improbitate depressa veritas emergit, et innocentiæ defensio interclusa respirat. *Ibid. pro Cluent.*

27. * Est interdum ita perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit: interdum tamen est adhibenda vis veritati ut eruatur. *Ibidem.*

28. * Puerilia, sommus, imprudentia, violentia, insania, ejus generis sunt á quibus sæpissimè veritas auditur. *Ibidem. in Top.*

29 * Hominis est propriè veri inquisitio atque investigatio. *Ibid. 1. Offic.*

30. Diviles cum omnia habeant, unum illis deest, scilicet qui verum dicat. Si enim in clientelam felicis hominis, potentumque perveneris, aut veritas, aut amicitia perdenda est. *Senec. in quadam epist.*

31. Magna est vis veritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, et contra fictas hominum insidias facilè se per seipsam defendit. *Sen. in epist.*

32. Nimium altercando veritas amittitur. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 2, 4. in tit. Amicitia, núm. 2, 10. in tit. Amor, núm. 2, 4. in tit. Consuetudo, núm. 26. in tit. Correctio, núm. 29. in tit. Doctrina, núm. 61, 62. in tit. Exercitatio, núm. 11. in tit. Miseria, núm. 10. in tit. Periculum, núm. 3. in tit. Prædicatio, núm. 8. in tit. Quærere, núm. 7. in tit. Sapientia, núm. 2. in tit. Scandalum, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm 27.

VICTORIA.

1. Non est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina. *Ambr. de Offic.*

2. Verè tuta pro Christo, et cum Christo pugna, in qua, nec vulneratus, nec postratus, nec conculcatus fraudaberis á victoria, tantum ne fugias: sola causa, qua perdere possis victoriam fuga est, fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes: et beatus, si pugnando moriaris, quia mox coronaberis. *Senec. in epist.*

3. Victoria sine adversario brevis est laus: bis vincit, qui se vincit in victoria, bis interimitur, qui suis armis perit. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 26, 35, 49, 50. in tit. Injuria, núm. 16. in tit. Pœnitentia, núm. 41.

VITIUM.

1. Tibi non tam expellenda sunt vitia, quàm refellenda. Quid utique facilius est, non suscipere, quàm suscepta semel deponere: nec eorum tanta dulcedo est ut ea debeamus præferre virtutibus, cùm nec in omnibus sit delectationis illecebra, et á plerisque etiam ea, que videntur dulcissima, respuantur. *Hier. ad Demetr.*

2. Duo sunt ex omnibus vitia, quæ maximè homines decipiunt sui voluptate, gula scilicet, ac libido, quæ deponere eò difficilius est, quò eis uti dulcius: et hæc vitia tam molesta, tamque delectatione sui periculosa, ita á multis calcari vidimus, ut tota ætate sua virgines permanserint in sua abstinentia, ut de illis taceam, qui post deliciarum longum luxum, et inveteratum usum libidinis, et castitati ac temperantiæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

se dederunt: et utriusque virtutum contraria sibi virtute mutaverunt. Aliorum viliorum est longè diversa ratio, quæ cum nihil jucunditatis, sed multum amaritudinis habeant: quæ cum ad vitandum sint faciliora, rarò tamen á quibus vitentur invenies. *Ibidem.*

3. Quid, oro, invido delectationis præstat invidia? Quid aller ab odio mercedis accipit? Quid iracundo furor suus, confert? Similiter curre per singula, et invenies tot animæ tormenta, quod vitia: quæ utique eò facilius vinci possunt, quò nulla nos aliciunt voluptate. *Ibidem.*

4. Summa tibi scientia, summa notitia sit, vitia virtutesque distinguere: quæ quamquam sibi contraria semper sint, aliqua tamen ex eis tanta junguntur similitudine, ut discerni omnino vix possint. *Ibidem.*

5. Quidam superbiam libertatis loco ducunt, adulationem pro humilitate suscipiunt, malitiam prudentiæ vice amplectuntur, et stultitiæ simplicitatis nomen imponunt: hac fallaci ac pessima similitudine decepti, vitiis pro virtutibus gloriantur. *Ibidem.*

6. Sunt quædam vitia quasi per quamdam cognationem sibi propinqua: sicut dissolutio spiritus, appetitus gulæ, et immunditia luxuriæ, multiloquium, fallacia, atque perjurium. Ex dissolutione spiritus mens ad ingluviem ventris rapitur: et dum cibis venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur. Ex multiloquio fallacia generatur, quia difficile est, ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur: et sæpe mendacium etiam perjurio tegitur, ut ante humana judicia velet-ur. *Greg. super Ezech. hom. 12.*

7. Si forti nos studio contra vitiorum incentiva stringimus, ipsa etiam vitia ad usum virtutis immutamus. Nonnullos namque ita possidet: sed hanc ad defensionem justitiæ in vocem liberæ auctoritatis immutant, nonnullos fortitudo carnis illecebral, sed dum exercendis piis operibus corpus subdunt, unde iniquitatis stimulum passi sunt, inde pietatis lucra merentur. *Gregor. in Moral.*

8. Quamvis per omne vitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virtus infunditur; in hac tamen nequitia, id est, invidia, tota sua viscera serpens concutit, et imprimendæ malitiæ pestem vomit. *Ibidem.*

9. Prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se ingerunt, sed quæ sequuntur, dum mentem, ad omnem insaniam protrahunt, quasi bestiali clamore mentem confundunt. *Ibidem.*

10. Capitalia vitia tanta sibi conjunctione conjunguntur, ut non nisi unum de altero proferatur: prima namque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit quia nimirum dum vani nominis gloriam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit invidia, iram generat; quia quantò interno livoris vulnere animus sauciatur, tantò etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. Ex ira tristitia oritur: quia turbata mens quo inordinatè se concutit, eò adjiciendo confundit, tristitia ad avaritiam derivatur: quia dum confusum cor, bonum lætitiæ in semetipso intus amisit, unde consolari debuerat, foras quærit, et tantò magis exteriora bona adispisci desiderat, quantò gaudium non habet, ad quod intus recurrat. *Ibidem.*

11. Vitium, est affectus naturalis præter ordinem, et supra mensuram ordinem transgrediens, quando movetur ad ea, quæ non debet: mensuram excedens, quando movetur plusquam debet. *Hugo.*

12. Iniqua via est, quæ nos perducit ad vitia: recta verò virtutum, quæ nobis indulgentiam tribuit ad salutem. *Cass. super ill. psalm. Omnem viam iniq.*

13. * Vitia nostra, quæ amamus, defendimus: et malumus excusare illa quàm excutere. *Sen. ep. 117.*

14. * Serpunt vitia, et contractu nocent, et in proximum quemque transiliunt. *Ibid. de tranq. vit.*

15. Multum prodest vitia projecisse, si cum alienis rixandum est. *Sen. 22. epist.*

16. Vitia te mercede solicitant, avaritia pecuniam promittit, luxuria multas ac varias voluptates, ambitio purpuram et plausum, et ex hoc potentiam, et quidquid potentia ponit. *Sen. 59. epist.*

17. In vitia alter alterum trudimus: quomodo ad salutem revocari potest, quem nullus retrahit, et populus impellit? *Sen. 40. epist.*

Vide etiam in tit. Consuetudo, Fraus, núm. 2. in tit. Virtus, núm. 3, 12, et 26.

VIOLENTIA.

1. Nemo invitus benè agit, etiamsi bonum est, quod facit. *Aug. lib. 1. confes.*

2. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati: qua ipsi sibi inveniuntur esse inviti. *Aug. in Enchir. c. 72.*

3. In ecclesia non coactum, sed acquiescentem oportet ad meliora converti. Non est enim qui curare possit invitum. *Christ. in dial. lib. 2.*

4. Plus valet quod violentia cogit, quàm quod suadet, et præcipit verecundia. *Val. Max. lib. 3.*

5. Nulla res tam facilis, quin difficilis sit, si invitus facias. *Sen. in epist.*

6. Da operam, ne quid unquam invitus facias. Non enim qui jussus aliquid facit, miser est, sed qui invitus. Itaque sic animum componamus, ut quidquid res exigit, id velimus, et in primis finem nostri sine tristitia cogitemus. *Sen. 62. epist.*

Vide etiam in tit. Securitas, núm. 2.

VIRGINITAS.

1. Quid prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile conjugium, quàm superba virginitas. *Aug. super Psal. 26.*

2. Quæ est virginitas mentis? integra fides, solida spes, syncera charitas. *Aug. super Psal. 17.*

3. Dominica virgo debet agnoscere, quibus præceptis conveniat insistere, vel à quantis vitiis debeat abstinere; si vult in seculo posita cum Deo esse, et cum eodem post hujus vitæ resolutionem in claritate cœlesti regnare. *Aug. in lib. ad sacras virgines.*

4. Dominica virgo primitus publicos debet vitare conspectus, et platearum frequentiam devitare: atque in domo posita operi lanifico insistere, vel lectioni divinæ. *Ibidem.*

5. Dominica virgo nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis aut lætis, sed crinibus ad terram cum vultu demisso procedat, nec in se viles inducat amores: et si non pereat, aliis causa perditionis existat. *Ibidem.*

6. Dominica virgo ab omni inverecundo sermone vel risu debet se penitus abstinere et cum silentio, et disciplina omnem vitam suam ornare. *Ibidem.*

7. Dominica virgo, ut docet Apostolus de viduis, casta judicari non potest sermone garrula, aut loquacitate verbosa, vel curiositate superflua, imo prostituta et ad luxuriam magis accendi. *Ibidem.*

8. Dominica virgo nec sermonis jactantia, nec divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere, sed in humilitate et paupertate spiritus Christo accepta, debet, quamdiu vixerit, permanere. *Ibidem.*

9. Bona pudicitia conjugalis, sed melior continentia virginalis vel vidualis. *Aug. de S. viduit.*

10. Quanta est virginitatis gratia! quæ meruit á Christo eligi, ut esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo divinitatis: virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam universorum. *Ambr. lib. de Offic.*

11. Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis assimilantur. Major tamen est victoria virginum, quàm angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines verò in carne triumphant. *Ambr. in l. de vid.*

12. Non fallit veritas, non circumscribit justitia, non decipit virtus: quod si non creditis oraculo, saltem credatis exemplo. Memoria vestra dudum, puella nobilis seculo, nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias à parentibus et propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quò enim melius virgo confugeret, quàm ubi sacrificium virginitatis offertur, et caput

omnium Christus quotidie consecratur? Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, quæ ait parentibus: Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis solicitatis animum? Jamdudum promissam habeo, sponsum offertis: meliorem, quàm alias reperiri possit, inveni. Quaslibet exagitate divitias, nobilitatem jactare potentiam prædicate, habeo enim cui nemo se comparare potest: divitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo: si talem habetis, non refuto optiorem, si non reperitis, non providetis mihi parentes, sed invidetis. *Ambr. de vir. lib.* 2.

13. Claude vas tuum, ne unguentum effluat: claude virginitatem, verecundia loquendi, et abstinentia gloriandi. *Ambr. de virg.*

14. Pulchritudinem quis potest majorem æstimare decore virginis, quæ amatur á rege, probatur á judice, dedicatur Domino, consecratur Deo. *Ambr. de virg. lib.* 2.

15. Virginitas in eo facilior est, qui carnis incentiva non novit, et viduitas in eo solicitior, quod præteritas in eo recolit voluptates. *Hier. in epist. ad Eugen.*

16. Flos est virginitas, flos martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo. *Greg. super Ezech.*

17. Virginitas altus mons est, ad quam angelus hortatur: sed qui videt se non posse ascendere, maneat in Segor, id est, in legitimo matrimonio, quia melius est mediocri bono uti, quàm per abrupta libidinum præcipitari. *Glo. sup. ill. Gen. 19. In monte.*

18. Virgo carne, non mente, nullum præmium habet in repromissione. *Isid. de sum. bon. lib.* 2.

19. Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior est gloria, major est cura. Flos enim est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi. *Cypr. in lib. de virg.*

20. Virginitas est soror angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnium bonorum. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Castitas, núm 4. in tit. Conjugium, núm. 7. in tit. Maria, núm. 8, 13, 33.

VIRTUS.

1. In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est, id diligere prudencia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia justitia est. *August. in epist. ad Mac.*

2. Virtus eò pluris æstimanda est, quòd plura contemnit. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, magna felicitatis est, á felicitate non vinci. *August. in quod. serm.*

3. Mens non potest habere regnum virtutum, nisi prius excusserit jugum vitiorum. *Ibidem.*

4. Non virtus est non posse peccare, sed nolle: atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam. *Ambr. sup. Lucam.*

5. Qui delicit sibi, ut virtuti adhæreat, amittit quod suum est, accipit quod æternum est. *Ambr. sup. Beati immaculat.*

6. Nulla sine labore virtus est, quia labor processus est virtutis. *Ibidem.*

7. Bonus circuitus est, si justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet, ut justitia sit in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in usu. *Ambr. de Offic.*

8. Omnes virtutes sibi ita cohærent, ut qui una caruerit, omnibus careat, qui ergo unam habet, omnes habet. *Hieron. in quadam epist.*

9. Philosophus, gloriæ animalis, et popularis auræ mancipium, totam simul sarcinam deposuit, et tu reputas in virtutum culmine positum, si partem ex toto offeras? teipsum vult Dominus. *Ibidem.*

10. Sicut quibusdam visum est, ut de primis quatuor virtutibus loquar: prudentia, temperantia, fortitu-

dine atque justitia, quantò perfectæ sunt singulæ, tantò sibi sunt conjunctæ: disjunctæ autem perfectæ esse nequaquam possunt: quia nec prudentia vera est, quæ justa et temperans, et fortis non est: nec temperantia perfecta, quæ fortis, justa et prudens, non est nec fortitudo integra, quæ prudens, fortis et temperans non est. *Gregor. in moral.*

11. Mensuretur perfectorum fidelium vita per quadrum, et tantum habeat spiritualis atrii latus unum, quantum latera singula: quia unusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis et justus: tantum temperans, quantum prudens, justus et fortis fuerit. *Greg. ho. 9. 2. par. sup. Ezech.*

12. Quid est virtus, nisi medicamentum? et quid est vitium, nisi vulnus? quia ergo nos, ubi de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur. *Gregor. in moral.*

13. Non est ad virtutem ulla talis exhortatio, qualis est peccatorum recordatio. *Hug. de scrip. sac. epist. ad Heb. ser. 23.*

14. Sicut virtus onerosa est vitio: ita virtutis amico vitiosa est amara voluptas. *Prosp. de vit. cont. lib. 2.*

15. Ethicam scripserunt gentium Philosophi, in qua quasi membra quædam virtutum de corpore bonitatis truncata pinxerunt: sed membra viva esse non possunt sine corpore charitatis Dei. *Chrys.*

16. * Virtus nihil aliud est, quam in se perfecta et ad summum perducta natura. *Cicer. 2. de Leg.*

17. * Qui virtutem pretio metiuntur, nullam virtutem sed malitiam putant. *Ibid. 1. de Leg.*

18. * Nulla potest esse virtus nisi gratuita, namquæ voluptate, quasi mercede aliqua ad officium impellitur, ea non virtus, sed fallax imitatio, et simulatio virtutis est. *Ibid. 5. Tusc.*

19. * Nesciunt multi, nesciunt, quantas vires virtus habeat, nomen virtutis tantum usurpant, quid ipsis valeat ignorant. *Ibid. Parad. 11.*

20. * Sola virtus in sua potestate est, omnia præter eam subjecta sunt fortunæ dominationi. *Ibid. ad Heren.*

21. * Virtus in tempestate sæva quieta est, et lucet in tenebris et pulsa loco, manet tamen, atque hæret in patria, splendetque per se semper, nec alienis nunquam sordibus obsolescit. *Ibid. pro Sest.*

22. Errare mihi videtur, qui dixit: Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Non enim ullo honestamento eget, ipsa magnum sui est decus, et corpus suum consecrat. Potest ex casa vir magnus exire, et ex deformi humilique corpusculo formosus animus, ac liber et magnus. *Sen. 67. epist.*

23. Æquè laudabilis virtus est in corpore valido ac libero posita, atque in morbido ac vincto. Ergo ob tuam virtutem non magis laudaberis, si corpus tuum integrum fortuna præstitit, quàm si ex aliqua parte mutilatum: alioquin hoc erit, ex servorum habitu dominum æstimare. Omnia enim ista, quæ dominum casus exercet serva sunt. Pecunia, corpus et honores imbecilla sunt, fluida, mortalia, possessiones incertæ. Si hucusque perveneris, ut magis diligas integrum omnibus membris et illæsum, quam debilem et luscum, paulatim fastidium tuum eo usque procedet, ut è duobus æquè justis et prudentibus, comatum et crispum malis. Sed quis unquam censuram inter filios agit, ut filium sanum, quàm ægrum magis diligat, procerum et excelsum, quàm brevem ac modicum? *Ibidem.*

24. Nulla possessio, nulla vis auri, et argenti, plurisquam virtus æstimanda est. *Sen. in epist.*

25. Unusquisque commendat virtutem, in qua viget et reprehendit vitium, in quo non deliquit. *Ibidem.*

26. Omnia beneficia in luce se collocari volunt, sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est. *Ibidem.*

27. Unum hominis bonum, ipsa virtus est, quæ inter hanc fortunam, et illam superba incedit, cum magno utriusque contemptu. Virtus rectorem ducemque desiderat, sed sine magistro vitia discuntur. *Seneca.*

28. Nulli non virtus et vivo et mortuo retulit gratiam, si illam bona secutus est fide. *Sen. 80 epist.*

29. Quemadmodum minuta lumina claritas Solis obscurat: sic dolores, molestias, injurias, virtus magnitudine sua elidit atque opprimit, nec magis ullam portionem habent incommoda, quum in virtutem inciderint, quàm in mari. *Sen. epist.*

30. Pone ex una parte virum bonum divitiis abundantem, sed in se omnia bene disponentem, utroque modo æque vir bonus erit, etiamsi fortuna dispari utatur. *Ibidem.*

31. Nulli præclusa est virtus, omnibus patet omnes admittit, omnes invitat, non eligit dominum, non censum, nudo homine contenta est. *Ibidem.*

32. Ille bonus artifex est, qui de omni materia facit optimum, quod fieri possit. Phidias statuarum artifex non tantum ex ebore statuas sciebat facere sed meliora ex ære: et si marmor illi adesset, et de illo similiter faceret. Si viliorem materiam obtulisset, ex illa fecisset, quale optimum fieri posset. Sic sapiens, si licebit, virtutem in divitiis explicabit, si minus, in paupertate quamcumque fortunam acceperit, aliquid memorabile ex illa efficit. *Sen. 89. epist.*

33. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Bonum, núm. 1. in tit. Discretio, núm. 2. in tit. Divitiæ, núm. 25. in tit. Fortitudo, núm. 20. in tit. Gloria vana, núm. 16. in tit. Gratitudo, núm. 12. in tit. Homo, núm. 31. in tit. Honor, núm. 8. in tit. Humilitas, núm. 16. in tit. Innocentia, núm. 7. in tit. Mors, núm. 3. in tit. Philosophia, núm 7. in tit. Prosperitas, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm. 2. in tit. Tristitia, núm. 7. in tit. Vitium, núm. 4, 5.

VITA HUMANA PRÆSENS.

1. Longitudinem vitæ hujus sentiri non facit, nisi spes vivendi: nam nihil videtur esse celerius, quàm

quidquid in ea jam preteritum est. Quum ergo dies judicii venerit, tunc sentient peccatores, quoniam non sit longa nimis vita quæ transit. *Aug. super Psalm. 6.*

2. Si toto tempore illo viveres, ex quo Adam de paradiso emissus est, usque in hodiernum diem, certè videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic evolasset: unius autem cujusque vita hominis quanta est? adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem, quid ergo? Nonne hora matutina est, ergo longè sit dies judicii, quando erit retributio justorum et injustorum: tuus certè ultimus dies abesse non potest longè, adhuc te præpara: qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ. *Ibid. Psalm. 50. Adhuc pusil.*

3. Longam cœnam, malam nemo vult habere, nec ferre, longam vitam malam penè omnes volunt habere: utique si grande est quod vivimus, bonum sit ipsum grande. Quid enim vis male? dic mihi. Puto nihil in omnibus actionibus, cogitationibus, cupiditatibus nihil male vis: terram malam non vis, segetem malam non vis, utique sed bonam. Bonam arborem vis, equum bonum, servum bonum, amicum bonum, filium bonum, uxorem bonam: et quid hæc magna? quoniam quidem ipsam vestem malam non vis habere, sed bonam, caligam postremo non vis habere, nisi bonam, aut da mihi aliquid te velle quod malum est: solam animam vis habere malam. Quid te offendisti? Quid de te tu ipse meruisti? Non vis esse malum, nisi te solum. *August. in serm.*

4. Plenitudo est et beatitudo perfecta, ut citò quisque intelligat et bene vivat. Sed si fortè utrumque non potest, melius est bene vivere, quàm cito intelligere. Qui enim bene vivit meretur amplius intelligere: qui male vivit, et quod intelligit perdet. *August. de doctrin. Christia.*

5. Non est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. *Aug. in quod. serm.*

6. Hæc est justitia hominis in hac vita, eleemo-

syna, jejunium, oratio: pœnitentia cruciat, justitia tranquillat, vita æterna glorificat. *Ibidem.*

7. Vita hominum media est inter vitam angelorum et peccatorum. Si vivit homo secundum carnem, pecoribus comparatur, si vivit secundum spiritum, angelis sociatur. *August. super Joan.*

8. Tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione ejus mors remedium putetur esse non pœna, nam ideo brevem illam Deus facit, ut molestiæ ejus, quæ prosperitate vinci vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur, denique sanctus Job dicit: *Militia est vita hominis super terram. Ambr. in serm. de 40.*

9. Nihil fugacius seculo, rebusque seculi, quas dum tenemus, amittimus: et per infantiam, pueritiam, juventutem, ac virilem et ingravescentem, ac maturam ætatem, annosque ultimos senectutis utique septem spatia. Philo vitam describit humanam, mutamur et currimus, nescientes ad mortis terminos pervenimus. *Isid. lib. 1. super Amos.*

10. Qui Dei æternitate perspecta, breve et penè ad puncti instar humanæ vitæ spatium cogitaverit, ante oculos suos habebit semper interitum, et erit humilis atque dejectus. *Hier. ad Ephes. lib. 2.*

11. Secreto Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur, *Via quippe est vita præsens*, qua ad patriam tendimus, et idcirco hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. *Gregor. in moral.*

12. Quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus. Præsentem vitam quasi viam subigendo transimus. *Ibidem.*

13. Mala vitæ præsentis tantò durius animus sentit, quantò pensare bonum, quod sequitur, negligit: nequaquam nos gratia in adversitate deserit: quia quo nos durius ex dispensatione percutit, eò amplius ex pietate custodit. *Ibidem.*

14. Reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia se hic vivere diutius arbitrantur. Justi vero dum brevitatem vitæ suæ considerant, elationis et immunditiæ culpas declinant. *Ibidem.*

15. Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. *Tull. lib. 2 Rheto.*

16. * Nemo est tam demens tamque parum de se cogitans, qui alienam vitam magis quam suam diligat. *Ibid. in cat.*

17. Humanæ vitæ conditionem primus et ultimus dies continet: quia plurimum interest, quibus auspiciis inchoetur, et quo fine claudatur. Ideoque eum demum felicem fuisse judicamus, cui et accipere lucem prospere, et reddere placidè contingit, medii temporis cursus prout fortuna gubernaculum rexit, modò aspero, modò tranquillo motu peragitur spe semper minore, dum et cupide votis extenditur et ferè sine ratione consumitur. *Val. Max. lib. 9 de me dict. c. 12.*

18. Nemo quàm bene vivat, sed quamdiu considerat, cum omnibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu nulli. *Sen. 22. epist.*

19. Vita non est imperfecta, si honesta est. Ubicumque desines, si bene desinas, tota est, sed et fortiter desinendum est. Non est res magna vivere: omnes servi tui et animalia vivunt. *Sen. 78. epist.*

20. Quomodo fabula, sic et vita, non quamdiu, sed quàm bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocumque voles, desine: tantum bonam clausulam impone. *Ibidem.*

21. Dum differtur vita transcurrit, omnia mi Luculli aliena sunt, tempus tantum nostrum est. In hujus rei fugacis et lubricæ possessionem natura nos misit. *Senec. in epist.*

22. Læti dicamus, vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi: crastinum si adjecerit, læti recipiamus. *Sen. 22. epist.*

23. Quidam tunc incipiunt vivere quum desinendum est, imo quidam antè desierunt vivere, quàm inciperent. *Sen. 28. epist.*

24. Pulchrum est consummare vitam antè mortem, et expectare securè reliquam temporis partem. *Sen. 32. epist.*

syna, jejunium, oratio: pœnitentia cruciat, justitia tranquillat, vita æterna glorificat. *Ibidem.*

7. Vita hominum media est inter vitam angelorum et peccatorum. Si vivit homo secundum carnem, pecoribus comparatur, si vivit secundum spiritum, angelis sociatur. *August. super Joan.*

8. Tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione ejus mors remedium putetur esse non pœna, nam ideo brevem illam Deus facit, ut molestiæ ejus, quæ prosperitate vinci vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur, denique sanctus Job dicit: *Militia est vita hominis super terram. Ambr. in serm. de 40.*

9. Nihil fugacius seculo, rebusque seculi, quas dum tenemus, amittimus: et per infantiam, pueritiam, juventutem, ac virilem et ingravescentem, ac maturam ætatem, annosque ultimos senectutis utique septem spatia. Philo vitam describit humanam, mutamur et currimus, nescientes ad mortis terminos pervenimus. *Isid. lib. 1. super Amos.*

10. Qui Dei æternitate perspecta, breve et penè ad puncti instar humanæ vitæ spatium cogitaverit, ante oculos suos habebit semper interitum, et erit humilis atque dejectus. *Hier. ad Ephes. lib. 2.*

11. Secreto Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur, *Via quippe est vita præsens*, qua ad patriam tendimus, et idcirco hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. *Gregor. in moral.*

12. Quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus. Præsentem vitam quasi viam subigendo transimus. *Ibidem.*

13. Mala vitæ præsentis tantò durius animus sentit, quantò pensare bonum, quod sequitur, negligit: nequaquam nos gratia in adversitate deserit: quia quo nos durius ex dispensatione percutit, eò amplius ex pietate custodit. *Ibidem.*

14. Reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia se hic vivere diutius arbitrantur. Justi vero dum brevitatem vitæ suæ considerant, elationis et immunditiæ culpas declinant. *Ibidem.*

15. Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. *Tull. lib. 2 Rheto.*

16. * Nemo est tam demens tamque parum de se cogitans, qui alienam vitam magis quam suam diligat. *Ibid. in cat.*

17. Humanæ vitæ conditionem primus et ultimus dies continet: quia plurimum interest, quibus auspiciis inchoetur, et quo fine claudatur. Ideoque eum demum felicem fuisse judicamus, cui et accipere lucem prospere, et reddere placidè contingit, medii temporis cursus prout fortuna gubernaculum rexit, modò aspero, modò tranquillo motu peragitur spe semper minore, dum et cupide votis extenditur et ferè sine ratione consumitur. *Val. Max. lib. 9 de me dict. c. 12.*

18. Nemo quàm bene vivat, sed quamdiu considerat, cum omnibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu nulli. *Sen. 22. epist.*

19. Vita non est imperfecta, si honesta est. Ubicumque desines, si bene desinas, tota est, sed et fortiter desinendum est. Non est res magna vivere: omnes servi tui et animalia vivunt. *Sen. 78. epist.*

20. Quomodo fabula, sic et vita, non quamdiu, sed quàm bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocumque voles, desine: tantum bonam clausulam impone. *Ibidem.*

21. Dum differtur vita transcurrit, omnia mi Luculli aliena sunt, tempus tantum nostrum est. In hujus rei fugacis et lubricæ possessionem natura nos misit. *Senec. in epist.*

22. Læti dicamus, vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi: crastinum si adjecerit, læti recipiamus. *Sen. 22. epist.*

23. Quidam tunc incipiunt vivere quum desinendum est, imo quidam antè desierunt vivere, quàm inciperent. *Sen. 28. epist.*

24. Pulchrum est consummare vitam antè mortem, et expectare securè reliquam temporis partem. *Sen. 32. epist.*

25. De partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. *Sen. 72. epist.*

26. Omnes infantes in terra nuda vita excipit. Non te ergo pudet fordidius vivere, quàm nasci? *Ibid.*

27. Longa vita bonis optabilis: bonis fruitur bona conscientia. Malis hominibus utilissimum est citò fugere. *Senec. in epist.*

28. Hoc unum discas, vitam contemnere. Nemo illam bene rexit, nisi qui contempserit. Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. *Ibidem.*

29. Sapiens cogitat semper qualis vita, non quanta sit. Non enim vivere bonum est, sed bene vivere. *Ibidem.*

30. Homo vitæ commodatus, non donatus est. Heu quàm multa pœnitenda occurrunt diu vivendo! *Senec. in Prov.*

31. Male vivunt, qui se semper victuros putant: volunt homines ita præceptum esse, ut vivant, non ita vivere ut præceptum est. *Ibidem.*

32. Non vivit, cui nihil est in mente, nisi ut vivat. Ede et bibas, ut bene vivas: non vivas, ut tantùm edas et bibas. *Soc. in suis. exhor.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 16. in tit. Avaritia, núm. 32. in tit. Caro, núm. 39, 42. in tit. Conversatio, núm. 42, 43, 44. in tit. Divitiæ, núm. 20. in tit. Doctrina, núm. 27. in tit. Mors, núm. 51, 58. in tit. Perseverantia, núm. 4. in tit. Sanctitas, núm. 7. in tit. Securitas, núm. 1. in tit. Spes, núm. 2, 8. in tit. Tribulatio, núm. 2, 20.

VOLUNTAS.

1. Mala voluntate non solum quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. *Aug. lib. 3. de Trinit.*

2. Quum se voluntas relicto superiore ad inferiora convertit, efficitur mala: non quia malum est, quò se convertit, sed quia perversa est ipsa conversio. *August. de civ. Dei. lib. 12.*

3. Nemo quærat efficientem causam voluntatis malæ, non est efficiens, sed deficiens: quia nec effectio, sed defectio est. *Ibidem.*

4. Justitia Dei est aliquando, ut sanus sis, aliquando ut ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, et quando ægrotas, amara est voluntas Dei. Non recto corde es. Quare? quia non vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te, et rectum habebis cor. *Aug. super Psalm. 35.*

5. Quia Deus cor quærit: cor inspicit intus, testis est, judex, approbator, adjutor, coronator: sufficit ut offeras voluntatem, quum potes ore confitere ad salutem: quum autem non potes ore, crede ad justitiam: corde laudas, corde benedicis, corde in ara conscientiæ victimas sacras imponis: et respondetur tibi, *pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Ibid. 154.*

6. Nihil omnino tam facile est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi, et hoc sufficit Deo. *August.*

7. Quidquid vis, et non potes, factum Deus computat. *August. super Psalm. 57.*

8. Voluntas aversa ab incommutabili bono, et conversa ad proprium bonum, aut exterius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium convertitur, quum suæ potestatis vult esse. Ad exterius, quum aliorum propria, vel quæcumque ad se non pertinent, cognoscere studet. Ad inferius, quum voluptatem corporis diligit. *Aug. li. de lib. arbitr.*

9. Voluntas cum nihil liberum habeat, nisi se, meritò non judicatur nisi ex se, siquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita languens reum per se statuerunt hominem: sicut nec contraria innocentem, et hoc non ob aliud, nisi quia et hæc necessariò ac præter voluntatem posse provenire probantur. *Aug. de li. arbit. et Bern. de lib. arbit.*

10. Si cui non contingat facultas concumbendi cum

uxore aliena, planum tamen sit, aliquo modo cupere, et si potestas detur, esse futurum, non minus est reus, quàm si in ipso facto deprehenderetur. *Ibid. et ponitur de pœn. lib. 1.*

11. Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris: intus in corde fecisti: furti reus teneris, etsi nihil tulisti. *Ibidem.*

12. Bona voluntas est, qua appetimus rectè honestèque vivere, et ad summam sapientiam pervenire. *August. de ver. relig.*

13. Nihil mirum, si miseri homines non adipiscuntur, quod volunt, id est, vitam beatam. Illud enim cui comes est, et sine quo nemo ea dignus est, recte scilicet vivere non itidem volunt: hæc æterna lex incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit, in bonitate autem miseria, præmium atque supplicium. *August. lib. de lib. arbit.*

14. Sicut homo ab humanis in divina porrigitur, quum voluntati humanæ divina voluntas præponitur. *Aug. super Joan.*

15. Dilige, et quidvis fac, nihil tam facile bonæ voluntati, quàm ipsa sibi: et hoc sufficit Deo. *Aug. de ver. Dom.*

16. Quum vult, non potest, quia quando potuit, noluit: ideo per malum velle perdidit bonum posse. *Ibidem.*

17. Sola voluntate miser quisque efficitur: sed miserior, quum desiderium malæ voluntatis impletur. *Aug. de ver. Ap. Petri et Pauli.*

18. Volens Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere, et liberi arbitrii potestate dotare, ut boni ac mali capax utrumque naturaliter posset, et alterum voluntate deflecteret: licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respuere: nec est quò magis rationalis creatura cæteris præferatur, nisi quod cum omnia alia conditionis tantum ac necessitatis bonum habeant, hæc sola habet etiam voluntatis. *Hier. ad. Demetr.*

19. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, etc.* Apud Deum cui nota sunt omnia, antequam

fiant, voluntas perfecta faciendi, pro opere reputatur facti. *Ibidem.*

20. Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. Voluntas autem bona est sic proximi adversa, sicut nostra pertimescere: sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari: aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra deputare: amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere, inimicum etiam amando tolerare: nulli, quod pati non vis, facere: quod tibi juste impleri desideras denegare: necessitati proximi justa vires occurrere, sed prodesse, et ultra vires velle. *Greg. ho. 5. sup. evang.*

21. Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim desæviet ignis ille, nisi in propriam voluntatem? Nam propria voluntas Deum impugnat, et adversus eum extollitur: ipsa est, quæ paradysum spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi evacuat, et ditione diaboli mundum subjugat. *Bern. ser. 3. de Res. Domini.*

22. Voluntati nec leges imperant, nec principes dominantur: libera est, et maximè, si spiritu ducitur, quia ubi spiritus, ibi libertas. *Bernard. in quad. ep.*

23. Voluntas sola in rationali creatura miseriæ sive beatitudinis capax est. Cætera siquidem, id est, vita, sensus vel appetitus nec miserum per se faciunt, nec beatum: alioquin et arbores ex vita, et pecudes etiam ex reliquis: duobus, vel miseriæ possent esse obnoxiæ, vel idoneæ beatitudini, quod omnino impossibile est: communem habentes vitam quidem cum arboribus, sensum verò et appetitum et æquè vitam cum pecoribus, id quod dicitur, voluntas nos ab utrisque discernit. *Bern. lib. de lib. arbitr.*

24. Voluntas, est motus rationalis et sensui præsidens, et appetitui: habet sanè quocumque se voluerit, rationem semper comitem, et quodammodo pedissequam: non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam, contra ipsam, hoc est, per ejus quasi ministerium contra ejus consilium sive judicium. Est

verò data ratio voluntati, ut instruat illam, non destruat. *Ibidem.*

25. Insanis, vel infantibus, itemque dormientibus nihil quod faciunt, vel bonum, vel malum, imputatur: quia nimirum sicut suæ non sunt compotes rationis, si nec usum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc nec judicium libertatis. Cum igitur voluntas nihil liberum habeat, nisi se, meritò non judicatur nisi ex se. *Ibidem.*

26. Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint. Propria voluntas est, quæ non est communis cum Deo et hominibus: sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est charitas, quæ Deus est. Porrò voluntas propria, quo furore dominum, majestatis impugnat, audiant et timeant servi propiæ voluntatis: primo namque seipsam subtrahit, et subducit dominatui ejus: cui tanquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed numquid contenta erit hac injuria? Addit adhuc et quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit et diripit. *Bern. serm. 3. de Res. Domini.*

27. Dico fiducialiter: nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. Utinam propria voluntas rebus istis esset contenta, nec in ipsum (horribile dictu) desæviret auctorem. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum: quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum, aut insipientem esse: crudelis plane est et omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Qui autem vult Deum esse injustum, vult Deum non esse Deum: et qui desiderat Deum non esse, nonne quantum in se est Deum occidit? *Ibidem.*

28. Voluntas dicta est á volatu, quoniam animus quo vult, nimia velocitate transfertur. *Cass. super Psalm. 13.*

29. Inter has utrasque concupiscentias animæ voluntas in medullitio est quodam viluperabiliore consistens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum doloribus acquiescit: sic quærens à passionibus temperari carnalibus, ut nequaquam velit dolores necessarios sustinere, sine quibus virtutes spiritus nequeunt possideri, absque castigatione carnis castimoniam cupiens obtinere: sine vigiliarum labore cordis acquirere puritatem: cum requie carnis spiritualibus exuberare virtutibus, absque ullius exasperatione convitii pacientiæ gratiam possidere: humilitatem Christi sine honoris mundani exercere jactura: religionis simplicitatem cum seculari ambitione sectari: Christo cum hominum laude ac favore servire: districtionem veritatis sine cujuspiam vel tenui offensione proferre: postremo sic vult futura consequi bona, ut præsentia non amittat. *In collat. 4. Dani. abbatis c. 12.*

30. Ut promptam ad res gerendas voluntatem frangere, non est honestum: ita quum illa nos reliquit, impetu violentia non est opprimenda. *Plutarch. utr. seni. ger. sit resp.*

31. Valentior enim fortuna est voluntas, et in utramque partem ipsa res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi causa est. *Sen. 72. epist.*

Vide etiam in tit. Beneficentia, núm. 2, 35. in tit. Liberalitas, núm. 17, 20. in tit. Miseria, núm. 2. in tit. Obstinatio, núm. 1. in tit. Relinquere, núm. 15.

VOLUPTAS.

1. Minus voluptatibus stimulatur, qui non est ubi frequentia est voluptatum. Minus avaritiæ molestias patitur, qui divitias non videt. *Aug. de singul. cler.*

2. Nihil prodigæ satis est voluptati. Semper famem patitur sui, qui alimentis perpetuis nescit impleri. *Amb. super Luc. lib. 6.*

3. Semper voluptas famem sui habet, et transacta non satiat. *Hier. in epist. ad Dama.*

4. Licet sæpe in medio carnalium Deus protegat

vitam electorum; tamen satis rarum est ut quisque inter seculi voluptates positus, á vitiis maneat illibatus, in quibus etsi non cito implicetur, aliquando tamen attrahitur: nec enim diu potest esse securus, qui periculo fuerit proximus. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

5. Voluptas est cum quadam lubrica suavitate ad illicita fœdæ mentis inclinatio. *Isid. in Synony.*

6. Non est consentaneum, qui metu non frangitur, eum frangi cupiditate, et qui invictum se á labore præstiterit, vinci á voluptate. *Tul. lib. 1 de Offic.*

7. * Malorum esca voluptas, qua homines capiuntur, ut hamo pisces. *Ibid. in ca. Matth.*

8. * In voluptatisregno non potest virtus consistere. *Ibidem.*

9. * Imitatrix est boni voluptas, malorum mater omnium, cujus blanditiis corrumpuntur quæ natura bona sunt. *Idem. 2. leg.*

10. * Impedit consilium voluptas, et rationi inimica est, ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos. *Idem. in Ca. Matth.*

11. * Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate. *Idem. 2. de fin.*

12. * Quò major est voluptas, eò magis mentem à sua sede statumque dimovet. *Idem. 1. Parad.*

13. * Fluit voluptas, et prima quæque evolat, sæpiusque relinquit causas pœnitendi, quàm recordandi. *Idem. 2. de Finib.*

14. * Omnibus in rebus voluptatibus maxime finitimum fastidium est. *Idem. 2. de Orat.*

15. Quid de corporis voluptatibus loquar? quarum appetentia quidem plena est anxietatis: satietas vero pœnitentiæ? quarum motus quid habeat jucunditatis, ignoro. Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis reminiscitur libidinum suarum, intelliget: quæ si beatos explicare possent, nihil causæ, quin pecudes quoque beatæ esse dicantur. *Boët. lib. 3. de consol.*

16. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ? Quidam se

voluptatibus immerguut, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: ob hoc miserrimi sunt, quod eo pervenerunt, ut illis quæ supervacua fuerunt, facta sunt necessaria: serviunt itaque voluptatibus, non fruuntur: et mala sua, quod malorum ultimum est, amant. *Sen. 23. epist.*

17. * Indurandus est animus, et blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vitia Annibalem hyberna solverunt, et indomitum illum nivibus atque alpibus virum exterminaverunt. Fomenta Campaniæ armis vicit, viciis victus est. *Ibidem.*

18. Nobis quoque militandum est, et quidem genere militiæ, quo nunquam otium datur. Debellandæ sunt in primis voluptates, quæ ut vides, sæva quoque ingenia rapuerunt. Si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum est simul labori, cedendum est paupertati. *Ibidem.*

19. Aspice illum cui somnus laxæ domus silentio quæritur, cujus aures ne quis agitet, omnis servorum turba conticuit: huc nempe vagatur atque illuc, somnum inter ægritudines levem captans. Qui non audit, audisse se conqueritur. Quid in causa putas esse? animus illi obstrepit: hic placandus est: hujus seditio compescenda est. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 37. in tit. Bouum, núm. 5. in tit. Caro, núm. 5, 11. in tit. Delitiæ, núm. 12. in tit. Excusatio, núm. 13. in tit. Fortitudo, núm. 2. in tit. Gratia, núm. 13. in tit. Gula, núm. 18. in tit. Labor, núm. 10, 13. in tit. Luxuria, núm. 2. in tit. Solitudo, núm. 1. in tit. Vitium, núm. 5.

VOTUM.

1. Quia jam vovisti, jam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses non pejor, modo autem, quod absit, miserior, si Deo fidem fregeris: quanto beatior,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si persolveris. *August. in epistol. ad Armentarium, et Paulin.*

2. Ea sunt in nostris officiis graliora, quæ cum liceret nobis etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. *Hieron. ad Polentium in epist.*

3. Non te novisse pœniteat, imo gaude, jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Felix necessitas, quæ in meliora compellit. *August. in epistol. ad Arment. et Pau.*

4. In vovendo fuit stultus, qui discretionem non adhibuit, et in reddendo impius. *Hier. tractans ill. Votum.*

5. In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti, non facias: impia est promissio, quæ scelere adimpletur. *Isid. lib. 2. soliloq.*

6. Bonum quidem votum, si tamen ibi nihil admiscatur adversam. Nam licet ubique deceat justitiam custodiri: in illis tamen rebus maximè necessaria est, quæ divinis obtutibus offeruntur: ne putemus ignorare Deum unde accipiat, si fraudatis oblationibus acquiescat. *Cass. l. 1.*

7. Sancti quidem et honesti propositi dilatio, magna ruina est. Unde sapiens quidquid potest manus tua, cum instantia operare. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. *Petrus Chris.*

8. Quidam turpissima vota diis insusurrant, si quis amoverit aurem conticent: et quod scire homines volunt, Deo narrant. Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: Sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. *Sen. 1. epist.*

9. Melius est non vovere, quam vovere illud quod sibi is, cui promittitur, nolit exolvi. *Bernar. in quod. serm.*

10. Absque necessitate remissio voti non dispensatio, sed prævaricatio est: et restrictio contra voluntatem, murmur est, non profectus. *Bernar. de præcepto et dispens.*

11. Juste exigitur ad solvendum, qui non cogitur ad vovendum. *Bern. in epist.*

12. Ego non arbitror minora vota impedire debere majora, nec Deum exigere quodcumque sibi promissum bonum, si pro eo melius aliquid fuerit persolutum: Enimvero alicui forte debenti vobis 12. nummos, numquid si pro eis die constituta marcam solveret argenti, juste irasceremini? *Bern. epist. 87.*

UTILITAS.

1. Utilior est in conflictu lorica ferrea, quam stola linea: licet hæc oneri sit, illa honori. *Bernard. in quod. serm.*

2. Hæc dicta sunt de sermone, de virtute, de pecuniis, de omni dispensatione quæ unicuique commissa est. Unumquemque enim ad communem utilitatem uti oportet his, quæ habet, sive sapientia, sive principatu, sive divitiis, non ad nocumentum conservorum. *Chry. super Math. 24 Beati.*

3. Commodum enim debet esse cum modo tantum: si mensuram æqualitatis excesserit, vim sui nominis non habebit. *Cass. lib. 2. epist.*

4. Mihi autem non minori curæ est, qualis Respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit. *Tull. de amicit.*

5. * Omnes expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus: nam quis est qui vitia fugiat? aut quis potius qui ea non estudiosè persequatur? *Ibid. 3. Offic.*

6. * Nemo est quin putet expetendam esse maxime dignitatem, sed vincit utilitas plerumque. *Ibid. 2. Orat.*

7. * Cum utilitas ad se rapere, honestas contra, revocare ad se videtur, sit, ut distrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem cogitandi curam. *Ibid. 11. Offic.*

8. * Nostræ utilitates nobis omittendæ non sunt, cum iis ipsis egeamus, sed suæ cuique utilitati, quod sine alterius injuria fieri possit, serviendum est. *Ibid. 2. Offic.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 47, 74, 75. in

Fortitudo, núm. 20. in tit. Justitia, núm. 6, 7. in tit. tit. Solitudo, núm. 16.

USURA.

1. Et esca usura est, et vestis usura est: et quodcumque sorti accedit, usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura est. *Ambr. lib. 1. de David.*

2. Similis est pecunia usurarii, morsui aspidis: percussus enim ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, et per suavitatem soporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit, sic qui sub usura accipit, sub tempore quasi beneficium sentit: sed usura per omnes ejus facultates decurrit, et totum convertit in debitum. *Chrys. sup. ill. Matth. 5. Et volenti mutuare.*

* Si necesariis contenti essemus, minime: usurariorum genus pessimum inveniretur.

FINIS.

EXCEPTIONES

SANCTORUM PATRUM, AD ÆDIFICATIONEM MORUM,

ex vetusto codice desumptæ, incerto collectore.

Dei omnipotentis filius, vera sacræ suæ locutionis verba suis loquens discipulis, dixit: Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus. *Matth. 5.*

ISIDORUS.

Primum scientiæ studium est, quærere Deum, deinde honestatem vitæ cum innocentiæ opere.

BEDA.

Regnum Dei est et justitiam ejus quærere, cœlestis patriæ dona desiderare, et quibus justitiæ meritis ad hæc pervenire debeat, indesinenter quærere. Credenti succedunt præmia, recusanti tormenta.

SIXTUS.

Disce, quid oportet fieri, ut bonus fias.

SENECA.

Nihil prodest didicisse benefacere, si cesses.

ISIDORUS.

Ad majoris culpæ cumulum pertinet, scire quemquam, quæ scire debet, et sequi nolle quod sciat.

SENECA.

Considerationes bonorum perquire etiam cum labore.

GREGORIUS.

Per exempla justorum multi proficiunt.

SENECA.

Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas res amat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

GREGORIUS.

Valde peccamus, si aliorum bene gesta non diligimus: sed nihil mercedis habemus, si ea, quæ diligimus, in quantum possumus, non imitamur. Imitari vero dicitur sequi, sequitur qui bonum, quod intelligit, operatur.

CASSIODORUS.

Omnis scientia, quo plus sacræ scripturæ testimoniis confirmatur, facilius creditur.

SYXTUS.

Exordium sume á Domino in agendo quæ agis. Omnium quæ agis, Deum invoca testem. Noli prohibere eum qui potest benefacere, si vales, et ipse benefac. In omni quod bene agis, adjutorem esse deputa Deum.

GREGORIUS.

Sciendum nobis est, quod ubique Christus fundamentum est bonorum operum: si sequatur ædificium.

AUGUSTINUS.

Cujuscumque ædificii si Christus fundamentum non fuerit, destruetur.

GREGORIUS.

Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

AUGUSTINUS.

Discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. Sicut non justificatur quis aliena laude: ita non læditur infamia falsa. Nemo tuus periculo proximus.

HIERONYMUS.

Ab omni nequitia mundum necesse est esse et dolo, qui cupit regnare cum Christo. Si vis habere partem cum Christo: Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia, et nequitia ita fuit alienus, ut nec inimicis quidem vicem reddere rogaret.

GREGORIUS.

Non potest á Domino mereri quod rogat, qui non vult audire quod dixit.

HIERONYMUS.

Si sanctorum cupis habere consortium, á malitiæ et nequitiæ cogitatu, pectus emunda; quia non nisi sanctos, et justos, et simplices, et innocentes, et puros cœlestis aula suscipiet. Æterna vita non nisi per omnem præceptorum divinorum costodiam promereri potest, dicente scriptura. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et qui vitam non habuerit, cœlestis regni non potest esse possessor, in quo non mortui, sed vivi quique semper regnabunt. Tres species sunt, per quas regni cœlestis possessores introducuntur. Prima est pudicitia. Secunda contemptus mundi: quia ab illis levius mundus contemni potest, qui matrimonii nexibus non tenentur. Mundi vero contemptus exposcitur, ut justitia conservetur: quomodo difficile implere possunt, qui secularium bonorum cupiditatibus, et mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Justitia nihil aliud est, quam non peccare. Non peccare autem, legis præcepta est servare. Præceptorum vero observatio, duplici verbo custoditur: ut nihil eorum quæ prohibentur, facias, et quæ jubentur, implere studeas. Hoc est, quod dicit. Recede á malo, et fac bonum. In utroque legis prævaricatio continetur: quoniam qui dicit. Recede á malo, et ipse dicit, fac bonum. Sicut corpus ardet per illicitam voluptatem: ita anima ardebit per debitam pœnam. Si á malo recesseris, et non feceris bonum, transgresor es legis. Non sufficiet Christianose á malis abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

GREGORIUS.

Valde peccamus, si aliorum bene gesta non diligimus: sed nihil mercedis habemus, si ea, quæ diligimus, in quantum possumus, non imitamur. Imitari vero dicitur sequi, sequitur qui bonum, quod intelligit, operatur.

CASSIODORUS.

Omnis scientia, quo plus sacræ scripturæ testimoniis confirmatur, facilius creditur.

SYXTUS.

Exordium sume á Domino in agendo quæ agis. Omnium quæ agis, Deum invoca testem. Noli prohibere eum qui potest benefacere, si vales, et ipse benefac. In omni quod bene agis, adjutorem esse deputa Deum.

GREGORIUS.

Sciendum nobis est, quod ubique Christus fundamentum est bonorum operum: si sequatur ædificium.

AUGUSTINUS.

Cujuscumque ædificii si Christus fundamentum non fuerit, destruetur.

GREGORIUS.

Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

AUGUSTINUS.

Discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. Sicut non justificatur quis aliena laude: ita non læditur infamia falsa. Nemo tuus periculo proximus.

HIERONYMUS.

Ab omni nequitia mundum necesse est esse et dolo, qui cupit regnare cum Christo. Si vis habere partem cum Christo: Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia, et nequitia ita fuit alienus, ut nec inimicis quidem vicem reddere rogaret.

GREGORIUS.

Non potest á Domino mereri quod rogat, qui non vult audire quod dixit.

HIERONYMUS.

Si sanctorum cupis habere consortium, á malitiæ et nequitiæ cogitatu, pectus emunda; quia non nisi sanctos, et justos, et simplices, et innocentes, et puros cœlestis aula suscipiet. Æterna vita non nisi per omnem præceptorum divinorum costodiam promereri potest, dicente scriptura. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et qui vitam non habuerit, cœlestis regni non potest esse possessor, in quo non mortui, sed vivi quique semper regnabunt. Tres species sunt, per quas regni cœlestis possessores introducuntur. Prima est pudicitia. Secunda contemptus mundi: quia ab illis levius mundus contemni potest, qui matrimonii nexibus non tenentur. Mundi vero contemptus exposcitur, ut justitia conservetur: quomodo difficile implere possunt, qui secularium bonorum cupiditatibus, et mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Justitia nihil aliud est, quam non peccare. Non peccare autem, legis præcepta est servare. Præceptorum vero observatio, duplici verbo custoditur: ut nihil eorum quæ prohibentur, facias, et quæ jubentur, implere studeas. Hoc est, quod dicit. Recede á malo, et fac bonum. In utroque legis prævaricatio continetur: quoniam qui dicit. Recede á malo, et ipse dicit, fac bonum. Sicut corpus ardet per illicitam voluptatem: ita anima ardebit per debitam pœnam. Si á malo recesseris, et non feceris bonum, transgresor es legis. Non sufficiet Christianose á malis abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

AUGUSTINUS.

Parvum est tantummodo abstinere á peccatis, nisi addamus et bona.

GREGORIUS.

Bonum opus nobis in voluntate fit: nam ex divino adjutorio erit in perfectione.

BEDA.

Nemo cum recto corde bona quæ valet operatur, de salute tua desperet. Non est opus bonum nisi bono geratur animo.

HIERONYMUS.

Bonum quod facis, misericordiæ causa, non jactantiæ causa facias. Quidquid agis, pro futura age mercede. Nihil studeas propter temporalem laudem, nihil propter opinionem, nihil propter famam, sed propter vitam æternam. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

GREGORIUS.

Qui bona agere videtur, et per hæc non Deo, sed hominibus placere desiderat, intentionis suæ faciem deorsum premit.

SENECA.

Quidquid egeris causa gloriæ, hoc erit merces facti tui.

GREGORIUS.

Ille solummodo Deo servit, qui studio Deo placendi bonum operatur.

AUGUSTINUS.

Studendum est, ut bene vivamus, sed valde cavendum, ne inde laudari velimus. Si humanam laudem quærimus, divinam amittimus. Quisquis ab hominibus laudatur, á Christo culpatur. Sed hic laus quæritur,

illic remuneratio amittitur. Nihil nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientia coronetur.

ISIDORUS.

Nihil prodest omnem scire prudentiam, cui ignorantia Dei deest: et nihil obest scientibus Dominum ignorantia mundi.

GREGORIUS.

Qui ea, quæ Domini sunt, nesciunt, á Domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait: Si quis ignorabitur. Docere enim, non cruciare oportet ignorantes: sicut cæcos non cruciamus, sed manu ducimus.

ISIDORUS.

Utile est multa scire, et rectè vivere.

SYXTUS.

Vivere in nobis non est, rectè autem vivere in nobis est.

HIERONYMUS.

Nulla te ignorantia á peccato excusat. Prudentia sine bonitate male est. Frequenter orandum, et flexo corpore, mens erigenda est ad Dominum. Quoties quisque impugnatur vitio, toties in oratione se subdat: quia frequens oratio, vitiorum impugnationem extinguit.

GREGORIUS.

Quanto graviori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto ardentius orationi insistere debemus.

AUGUSTINUS.

Orare oportet in tribulatione, et laudare Dominum in lætitia, atque in omnibus gratias agere.

Oratio humilis divinum promeretur auxilium.

Oratio vera medelam sanitatis exposcit.

Cordis compunctio excitat orationis affectum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

GREGORIUS.

Qui ad aures Domini viam facere cupit, summopere studendum est, ut voces actibus adjuventur.

BEDA.

Quispiam nihil utilitatis affert, bene orando, se infimis implicari.

GREGORIUS.

Vox omnium Christum clamat, sed factum omnium non clamat. Plerique Dominum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. Hinc et enim Paulus dicit: Qui confitentur, se nosse Dominum, factis autem negant.

BEDA.

Oratio vera, jucunda sit laudatio. Tunc fit, si quod ore canimus, operum executione non impugnamus.

GREGORIUS.

Citius ad precem judex flectitur, si á pravitate sua petitor corrigatur.

Sunt, qui temporalem quietem et prosperitatem á suo Creatore quærunt, non ut eidem creatori devotionibus, id est, bonis animis obediant, sed ut abundantius comessationibus et ebrietatibus vacent, et securius ac licentius suis concupiscentiis, suæque carnis serviant illecebris. Hujusmodi peccatores accipi non merentur, eo quod male petant. Nequaquam enim Propheta diceret: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, si non aliquos Dominum invocare, sed non in veritate cognosceret. Invocant quippe Dominum in veritate, qui in hoc, quod orando petunt, male vivendo non contradicunt. Illi in veritate Dominum invocant, qui eum timere comprobantur.

CASSIODORUS.

Plerumque in rerum opulentia, regnat carnis culpa.

BEDA.

Sunt qui intrantes Ecclesiam multis psalmodiam vel orationem sermonibus prolongant, sed alibi corde, nec ipsi quid dicant, recolunt. Ore quidem orantes, sed mente foris vagantes, omni orationis fructu privantur, putantes à Deo precem exaudiri, quam nec ipsi qui fundunt audiunt. Quod antiqui hostis instinctu fiat, nemo est qui non animadvertere nequeat.

GREGORIUS.

Quantum antiquus hostis superatum se conspicit, tantum insidiari arctius non quiescit. Statim ut quis ad servitutem Dei accedit, arctiores adversum se hostis antiqui excitat tentationes.

HIERONYMUS.

Cum Psalmum dicis, cujus verba loqueris agnosce, et in compunctione magis animi, quam in tremulæ vocis dulcedine delectare. Lachrimas enim psallentis, magis quam voces gratiarum comprobat.

Nunquam sine gemitu orandum est.

BEDA.

Geniculorum inflexio pœnitentiæ et luctus indicium est.

AUGUSTINUS.

Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam misericordiam confitetur.

LAURENTIUS.

Sunt multi qui intrant in Ecclesiam, et strepunt in oratione confussè, atque intemperata voce dispergunt labia sua, et foras egressi, obliti sunt omnia. Si tu ipse dicta tua et preces ignoras, quomodo te exaudit Deus? Dicis inclinavi genua mea, et oravi: Genua tua in terram curvasti, et mens tua foris per diversa discurrit. Corpus quidem in terra, sed co-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gitatio foris. Lingua tua pecunias numerat et usuras. Diabolus malus, invidus, inimicus, quando oramus tunc magis incumbit et obstrepit. Non nos pulsat, cum securi jacemus in lectulis. Venimus ad orationem, et mille nos cogitationum stimulis pulsat. Hujus versutias cogitantes, revertamur ad mulierem Cananæam, quæ sic obsecrat: Miserere mei fili David, filia mea male á dæmonio vexatur. Dic et tu: Miserere mei Domine, quia filia mea male á dæmonio pulsatur.

Malus dæmon est peccatum animæ: Nam dæmon extinguitur, peccatum vero stat, nisi sanctis orationibus absolvatur. Grandis sermo est, Miserere mei Deus. Brevis quidem, sed virtute plenus. Nam si foris quæris, clama et dic: Miserere mei Deus. Clama non voce, sed mente, nam et tacentes exaudit Deus. Nec locus quæritur quantum sensus. Hieremias in carcere confortatur. Daniel inter leones exultat. Tres pueri in fornace tripudiant. Job nudus sub dio triumphat. Paradisum de cruce latro invenit. Quid ergo? Si fueris in publico foro, ora intra te. Noli quærere locum, locus ipse es. Ubi fueris, ora: Si fueris in balneo, ora, et ibi templum est.

HIERONYMUS.

Verum Christi templum anima credentis est: non vacet mens tua variis perturbationibus. Quod si pectori tuo inciderint, dominabuntur tui, et deducent te ad detrimentum maximum.

GREGORIUS.

Studiosæ menti maligni spiritus pravas cogitationes injiciunt, ut si quiescit á bono opere non quiescat malorum operum delectatione.

AUGUSTINUS.

Mens non potest regnum habere virtutem, nisi prius jugum excusserit vitiorum.

HIERONYMUS.

Mens Christo dedita sic cavere debet minora peccata, quomodo majora. Sciens etiam pro omni verbo ocioso in die judicii rationem esse reddendum.

SYXTUS.

Etiam in minimis caute age. Non est minimum in vita hominum negligere minima.

Beatus Gregorius ad secundianum inclusum.

Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computa abdidisse. Antiquus hostis mox ut ociosam mentem invenerit, ad eam sub quibusdam orationibus loquturus venit. Et quidem ei de gestis preteritis ad memoriam reducit audite quidem verba, quæ indecenter resonant, et si quæ dudum turpiter acta sint, eorum speciem cordis oculis opponit. Et quoniam de præsentibus non valet inquinare, de male transactis violat. Et deceptam mentem spe, in delectatione reparat. Unde divinam semper pœnitentia afflixit, ita ut cum psalmista dicat. Computruerunt et deterioratæ sunt cicatrices meæ. Cicatrix quippe figura est vulneris, sed sanati. Cicatrix igitur ad putredinem redit, quando peccati vulnus, quod per pœnitentiam sanatum est, in delectationem sui animum convertit. Sæpe quod nunquam fecimus per hostis callidi insidias, cordis oculis invidemus. Cumque insensibiliter in hoc delectamento subrepit, quamvis jam plangant, quæ fecerit, tædet tamen infelicem animum quædam non fecisse, quæ plangat. Hæc sunt cordis nostri tenebræ quas in hac vita volentes nolentesque sustinemus. Quid contra hæc quærendum, nisi adjutorium in opportunitatibus in tribulatione.

AUGUSTINUS.

Diabolus non cogendo, sed suadendo nocet, suadere enim et solicitare potest cogere omnino non potest. Non est unde plus gaudeat diabolus, nisi quando homo dicit, quod ipse diabolus fecerit ut peccat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

HIERONYMUS.

Arguendi sunt qui cogitationes à diabolo immitti putant, et non ex propria nasci voluntate. Diabolus inventor malarum cogitationum esse potest, autor esse non potest.

GREGORIUS.

Dum in cogitatione voluntas non reprimitur, etiam in actione dominatur.

AUGUSTINUS.

Sed quisquam non potest aliquid facere, aut ad aliquid faciendum membra movere, nisi primum præcesserit justio cogitationis, facta enim de cogitatione procedunt.

GREGORIUS.

Pensemus, si possimus dispensationem supernæ pietatis, plus de conversis peccatoribus, quam de stantibus justis in cœlo. Dominus gaudium esse fatetur: stantibus si cesiderint minatur pœnam. Lapsis vero ut resurgere appetant, promittit misericordiam, illos terret ne præsumant in bonis, justos refovet, ne desperent in malis. Justus es, iram pertimesce, ne corruas. Peccator es, præsume de misericordia ut surgas.

EZECHIEL.

Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit, et iniquitas iniqui non nocebit ei.

HIERONYMUS.

Sancti corruunt si fuerint negligentes. Et peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes peccatorum, fletibus laverint.

GREGORIUS.

Qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex afflictione carnis purgamur. Sciendum quoque nobis est quia pœna præsens si afflicti animum convertit,

finis est culpæ præcedentis. Si autem á timore domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Curandum nobis et summopere in fletibus tota mentis conversione vigilandum est, ne de tormento ad tormenta transeamus.

AUGUSTINUS.

Attende scripturam dicentem, flagellat omnem filium quem recipit. Et tu dicis, forte exceptus eris. Si fueris à passione exceptus flagellorum, eris exceptus è numero filiorum. Qui non habet tentationes, non habet consolationes.

PAULUS.

Conculsit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur.

HIERONYMUS.

Nihil enim perficeret spiritualis virtus, nisi subesset carnalis infirmitas.

CASSIODORUS.

In conspectu divinitatis nemo dubitet misericordiam consequi, quia nullum peccantem reversum despicit, qui peccatores redimere venit.

GREGORIUS.

Apud misericordem namque judicem nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem revertitur, etiam postquam mentitus sit, nam melius est fallere in misericordiam faciendo, quam in severitatem tenendo.

ISIDORUS.

Ab integris celebrari sacra oportet.

PAULUS.

Ineptas et aniles fabulas devita.

HIERONYMUS.

Scurrilitas atque lascivia de præsente non habeant

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

locum. Nunquam verbum in honestum audias. Omne quod non ædificat audientes, in periculum vertitur audientium. Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

SIXTUS.

Lingua iniqua judicium mentis est malæ.

HIERONYMUS.

Officium tuum sit charissime, non solum oculos servare castos, sed et linguam.

SENECA.

Nihil pecant oculi, si animus oculis imperat.

GREGORIUS.

Antequam ad luxum moveatur corpus, ad jocos, vel inania verba movetur lingua. Sicut non justificatur quis aliena laude, ita non læditur infamia falsa.

SIXTUS.

Semper de bonis loqui stude. Quod bonum est, hoc solum te dicere puta. Assuese linguam tuam bona loqui.

HIERONIMUS.

Preciosa lingua Deo est, quæ non nisi in divinis rebus novit verba construere et sermones, unde cœlestia semper eloquia proferuntur.

ISIDORUS.

Reddit sæpè multa falsitas hominem in veritate suspectum. Res dubia facit hominem negligentem.

HIERONYMUS.

Melius est è duobus imperfectis rusticitatem habere sanctam, quam eloquentiam peccatricem. Multoque melius est vera loqui rustice, quam disserte falsa proferre.

ISIDORUS.

Mendaces faciunt ut nec dicentibus credatur.

HIERONYMUS.

Fac aliquid operis, ut diabolus te semper inveniat occupatum.

SIXTUS.

Quod necesse est fieri, voluntariè facito. Quod non oportet fieri, nullo modo facias.

HIERONYMUS.

Nullo modo sacra lectio manibus tuis desit. Tenenti tibi codicem somnus subripiat, et cadentem pagina facta suscipiat. Ama scientiam scripturarum, et carnis vitia non amabis.

SYXTUS.

Qui amat quod non expedit, non amat quod expedit. Et qui habet studium erga ea quæ non sunt bona, latebunt eum quæ sunt bona.

ISIDORUS.

Licet diabolus tentationem justis semper inferre cupiat, tamen si á Deo potestatem non accipiat, nullatenus adipisci potest quod appetit. Unde et omnis voluntas diaboli semper injusta est et permittente Deo, omnis potestas justa. Temporalia sunt quibus inest ortus vel obitus. Perpetua, quibus inest ortus, non terminus. Malus enim est diabolus, qui non quæ Dei sunt, sed quæ sua requisivit.

Nulla autem major iniquitas, quam non in Deo, sed in se quempiam velle gloriari.

Omni tempore servis Dei jejunandum est.

HIERONYMUS.

Jejunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum est fundamentum.

JOEL.

Sanctificare jejunium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

GREGORIUS.

Jejunium quippe sanctificare est, adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere.

AUGUSTINUS.

Tunc Deo erunt accepta jejunia, si operibus bonis fuerit expiata conscientia.

HIERONYMUS.

In comparatione duorum malorum, levius malum est aperte peccare, quam simulare et fingere sanctitatem.

AUGUSTINUS.

Neque enim reputanda est abstinentia, ubi fuerit ventris saturitas subsecuta. Spernitur jejunium quod in vesperum refectione ciborum reficitur.

GREGORIUS.

Non Deo, sed sibi jejunat, si ea quæ sibi subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Sibi comedit et bibit, qui alimenta corporis quæ sunt communia conditoris, sine indigentibus percipit.

HIERONYMUS.

Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum et vigiliarum fulgore restringendæ sunt.

SIXTUS.

Pasce animam tuam verbo Dei, corpus vero simplicibus cibis, quia multi sibi impediunt castitatem.

HIERONYMUS.

Parcus cibus et venter esuriens, triduanis præfertur jejuniis: Modicus ac temperatus cibus et animæ et corpori utilis est.

PROSPER.

Nihil illi proficiunt, qui se á cibis temperant, si vitiis serviunt.

HIERONYMUS.

Melius est quotidie parum, quam satis raro sumere.

GREGORIUS.

Incassum caro atteritur, si á pravis suis voluptatibus animus non refrænatur.

HIERONYMUS.

Tunc apud Deum prava est abstinentia, cum animus non jejunat à vitiis.

AUGUSTINUS.

Confessio malorum initium est bonorum operum, Confessio initium sanitatis est. Ad hoc primus homo requisitus fuerat, ut peccatum quoque transgressionis quod comisserat, confitendo deleret.

CHRYSOSTOMUS.

Non vult peccatoribus inferre vindictam, qui dare quærit confitentibus veniam.

HIERONYMUS.

Sine vera confessione et pœnitentia, nemo salvabitur.

SAPIENTIA.

Justus in principio accusatur est sui.

GREGORIUS.

Quilibet peccator conversus in fletibus, jam justus esse inchoat, cum cœperit accusare quod fecit.

BASILIUS.

Melior est in malefactis pura confessio, quam in bonis operibus superba gloriatio.

HILARIUS.

Vera confessio est peccati sine intermissione tem-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

poris pœnitere. Peccati vera pœnitentia est, ab eo, quod pœnituit destitisse.

GREGORIUS.

Pœnitentiam vere agere est, scilicet iterum plangenda devitare.

ISIDORUS.

Pœnitentia nomen suscepit à pœna. Pœnitentia non verbo est agenda, sed facto.

AUGUSTINUS.

Nihil ei magis congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans, et mentis et corporis.

GREGORIUS.

Magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ, scilicet, si quis in eadem pœnitentia perseveret.

Apud Deum non tam valet temporis mensura, quam doloris: nec abstinentia tantum ciborum, quam mortificatio vitiorum.

CHRYSOSTOMUS.

Pœnitentia refrigerium est animæ.

GREGORIUS.

Misericors Deus sinum suæ pietatis aperit, nosque ad se per pœnitentiam redire quærit. Sed pœnitentiam digne agere non possumus, nisi modum pœnitentia cognoscamus. Pœnitentiam quippe agere est et perpetrata plangere, et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat.

De conversione in ultimis positorum.

Celestinus papa.

Numquam est sera conversio. Vera ad Deum conversio, in ultimis positorum, mente potius æstimanda est quam tempore. Nam in quacumque hora conversus ingemueris, salvus eris.

ISIDORUS.

Non dubitamus circa finem justificari hominem, per pœnitentiæ compunctionem.

In actione pœnitudinis non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Si bona est in extremis conversio, tum melior est quæ ante finem agitur, ut ab hac vita securus transeatur.

Stultus timor est, quo plus timetur humana indignatio quam divina.

HIERONYMUS.

Septies cadit justus et resurgit. Si cadit quomodo justus? Et si justus quomodo cadit? Sed justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.

ISIDORUS.

Unusquisque tanto majoris est criminis, quanto ante quam caderet majoris erat virtutis. Præcedentium namque magnitudo virtutum crescit ad cumulum sequentium delictorum.

AUGUSTINUS.

Deus noster sicut cautos facit qui non ceciderunt, sic desperatos non vult qui ceciderunt.

HIERONYMUS.

Nihil ita offendit Deum, quam desperatio.

LAURENTIUS.

Nemo desperans salute fruitur.

JOANNES APOSTOLUS.

Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Peccatum ad mortem est usque ad tempus mortis protractum.

HILARIUS.

Peccatum quod in hac vita non corrigitur, ejus venia post mortem frustra postulatur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

AUGUSTINUS.

Dominus peccatum sine ultione non deserit. Nequaquam peccato parcitur, quod nullatenus sine vindicta laxatur.

CYPRIANUS.

Non est quidquam in criminibus, quod non pœnitudine deleatur. Secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus.

Nihil ita repugnat Deo quam cor impœnitens, ad iracundiam provocans judicantem.

HIERONYMUS.

Solum crimen quod veniam consequi non potest, solum desperationis vulnus, quod mederi non queat.

AUGUSTINUS.

Peccatum cum desperatione certa mors est.

HIERONYMUS.

Pejus est per meditationem peccare, quam per præcipitationem. Sunt nonnulli qui corde peccatum concipiunt faciendum quod deliberant: id aut timore omittunt, aut impedimento difficultatis adimplere nequeunt, ii profecto in domo, id est, in corde moriuntur. Difficile imo impossibile est, ut præsentibus quis fruatur bonis et futuris, et ventrem hic, et illic mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias, et in cœlo et in terra appareat gloriosus.

SYLVESTER.

Justa inquisitio sollicitos auditores habere desiderat.

SENECA.

Plerique metu cessant peccare, non innocentia.

DE PERSEVERANTIA.

HIERONYMUS.

Non quæruntur in Christianis initia, sed finis.

ISIDORUS.

Non inchoantibus præmium promittitur sed perseverantibus datur.

HIERONYMUS.

Cœpisse multorum est: ad cumulum vero pervenisse paucorum. Non inchoasse tantum, sed perfecisse virtus est. Virtus boni operis est perseverantia.

GREGORIUS.

Tunc placet Deo nostra conversatio, quando bonum quod inchoamus perseverante fine complemus.

Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur.

Magnum coram Deo nostro est, in bonis operibus indesinenter permanere.

ISIDORUS.

Unumquemque Deus de suo fine, non de vita præterita judicat.

CYPRIANUS.

Ex fine suo unusquisque aut justificabitur, aut condemnabitur.

ISIDORUS.

Semper in vita hominis finis quærendus est: quia Deus non respicit quales ante fuerimus, sed quales circa finem extiterimus.

HIERONYMUS.

Unumquemque judicat Deus, sicut invenerit: nec præterita considerat, sed præsentia, si tantum vetera novella conversatione mutentur.

Debemus semper animo præmeditari, quid futuri sumus.

CASSIODORUS.

Si id, quod futurus es, sedula meditatione timaris, cre-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

do, quod aut raro, aut nunquam peccabis.

GREGORIUS.

Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri solicitior, atque timidius debes vivere.

SIXTUS.

Finem vitæ æstima secundum Deum.

HIERONYMUS.

Felix, et omni beatitudine dignus est, quem senectus Christo occupat servientem, et quem extrema dies Salvatori invenit militantem.

GREGORIUS.

Qui istam vitam diligit, somnium vigilans videt. Pro magno diligi non debet, quidquid fine concluditur. Illa ergo appetenda, illa summopere diligenda sunt, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt.

AUGUSTINUS.

Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.

SENECA.

Omnis dies velut ultimus ordinandus est.

DE STADIO.

Stadium dicitur spatium centum viginti quinque passuum. Et est octava pars miliari. Et dicitur stadium à stando. Hercules enim gygas cucurrit 125 passus uno anhelitu. Et quia ibi stetit, stadium á stando appellavit. Et illi qui in hoc agonis cursu et lucta decertabant se á fœminis, et à pane fermentato, et elixis carnibus et tantummodo azymos panes, et assas carnes edebant. Et cum talibus se homines medicaminibus afflixissent, et cuncti simul luctando, sive currendo certassent, unus tantum è pluribus donum á principe statutum accipiebat.

HIERONYMUS.

Stadium est hæc vita mortalis, hic contendimus, ut alibi coronemur.

GREGORIUS.

Tantum commoda retributionis accrescunt, quantum stadium laboris augetur.

HIERONYMUS.

Nulla delinquentium venia, quando sic præcedit misericordia, ut eam sequantur peccata: quia aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter elleemosynas peccata committere.

AUGUSTINUS.

Virgo carne, non mente, nullum præmium habet in repromissione.

CASSIODORUS.

Quid proficit integritas carnis, ubi regnat corruptio mentis? Sola medicina est miseriarum oblivio. Præsumptio semetipsam ad mortem pro anima objicit. Saturitas et abundantia libidinem pariunt. Mulier illecebrosa major est mundo: quia quem mundi magnitudo vincere non potuit, libido compressit.

Omnis malignitas virtus contraria est. Laborem manuum et operationum libidinosa mulier non diligit: ut Terentius ait: A labore procliviores ad libidinem sumus.

Omnis castitas sapientiæ conjungitur.

Avarus quippe stultus est, ut sibi prodesse norit.

Omnis sapiens furorem suum in corde celat.

Sapiens dolorem suum aut benignitati commendat aut oblivioni.

Quatuor sunt ebrietatis genera: Primum vinolentia: Secundum, rerum oblivio: Tertium libido: Quartum insania.

Omnis potentia injuriæ mixta, speciem suæ generositatis mutat.

Qui plus quærit esse, quam licet, minus erit quod est.

Non decet tota nocte dormire consularem virum.

Magistri timore sapientia crescit.

Omnis potentia ornata esse debet.

Potentia esse divitum ornata debet.

Potentia et gloria semper terretur et livore torquetur.

HIERONYMUS.

Melior est subjecta servitus, quam elata libertas.

Terram suam non relinquit, qui carnis suæ voluntatem sequitur.

Quidam sunt prosapia nobiles, opinione viles, malo maculantes crimine, quod fulget ex genere.

Quantum distat inter ignem, vinum, et picturam ejus, tantum distat inter dolores, quos nunc patitur corpus, et illos quos anima passura est.

HILARIUS.

Cum enim dicitis: Eritis similes angelorum, similitudo promittitur, non natura mutatur.

Nemo potest virtutibus proficere, nisi prius surrexerit à vitiis, ut illud:

Declina á malo et fac bonum.

Omnino necesse est, ut omnis, qui vult bona agere, prius studeat malum deserere. Unde Hieremiæ dicitur: Constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et dissipes et ædifices et plantes. Præcipit destruere mala, deinde bona ædificare: quia non est quod ædificentur bona, nisi prius destruantur mala.

PAULUS.

Gaudete cum gaudentibus, et flete cum flentibus. Non præcipit Apostolus gaudere cum iis, qui gaudent de transitoriis et caducis rebus, sed de illius salute, quem videris digna agere opera, quæ mereantur scribi in cœlis. Flere etiam cum flentibus, non præcipit cum iis, qui lugent amissione rerum temporalium sed potius cum iis, qui sua vel proximorum plorant peccata. Sicut Samuêl lugebat Saul, quando Dominus recessit

ab eo. Etiam cum iis lugere præcipit, qui lugent, quod differuntur á regno cœlorum, securi jam de præmio, ut quibusdam dictum est: Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

HIERONYMUS.

Preceptum est nobis flere cum flentibus. Quomodo cum illis flemus, si nullis eorum necessitatibus participamus? Nam cum flente flere, et nihil, (quum possis) flenti conferre, subsannationis, non pietatis indicium est.

AUGUSTINUS.

Mors dicta eo quod sit amara, vel á morsu primi hominis mors est appellata. Nam quum primus humani generis parens lignum vetitum per inobedientiam tetigit, per morsum mortem incurrit: unde et á morsu mors appellatur.

SALOMON.

Tria sunt difficilia mihi, et quartum quod penitus ignoro: Viam aquilæ in cœlo, Viam colubri super petram, Viam navis in medio maris, et vitam viri in adolescentia.

Via aquilæ in cœlo erat illi difficilis, quam nos per Dei revelationem cognoscimus. Nam aquila Christus est: via ipsius in cœlo est, qua cœlos penetravit. Nemo potest dignè considerare, qualiter Christus corpus humanum per potentiam divinitatis ultra omnes cœlos elevavit.

Per colubrum intelligimus serpentem antiquum, per quem primi homines decepti sunt. Petra Christus est, ut ait Psalmista: In petra exaltasti me. Super istam petram voluit exaltari, id est, aliquod suæ pravitatis signum ponere, sed non potuit, quia peccatum non fecit.

Navis est sancta Ecclesia, mare, seculum miserrimum. Quis considerare potest, quomodo Ecclesia inter istius seculi fluctus, id est, inter Judæos et Pa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ganos, et hæreticos, et persecutores recto cursu ad cœlestem tendit patriam?

HIERONYMUS.

Bonum est in amicis oblivisci, si quid forte peccaverunt.

Beatus, cui apertè revelatur divinitas.

Amico quidquam rapere, furtum est.

Ecclesiam fraudare, sacrilegium est.

Alienam cupiunt vitam vicini discutere, non suam.

Absentem non blasphemandum boni judicant.

A novo delicto recedendum est.

Cum dolore abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt.

Caput languidum doctor est agens peccatum.

Cum moribus principum corrumpitur conversatio subjectorum.

Contra naturam superbiæ est, ab æqualibus velle timeri.

APOSTOLUS JOANNES.

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.

HIERONYMUS.

Diligere filiorum est, timere servorum.

PAULUS.

Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa.

BASILIUS.

Prima definitio philosophiæ, est meditatio mortis.

SALOMON.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccavis.

PAULUS.

Soliciti servare unitatem spiritus, id est, societatem

Ecclesiasticam, quam facit Spiritus sanctus in vinculo pacis.

GUIBALDUS.

Decet Regem discere legem.

Audiat Rex quod præcipit lex.

Legem servare, est regnare.

Nolitia literarum, lux est animarum.

Sæpius offendit, qui lucem non attendit.

Qui habet scientiam, ornat sententiam.

Melior est sapientia, quam secularis potentia.

Plus vincit sensus: quam multiplex census.

Et sapiens multum, qui amat Dei cultum.

Vir fidelis coronatur in cœlis.

Bene credit, qui opus bonum implebit.

Qui fidus est seniori, approximat honori.

Qui confidit in Deo, fortis est ut leo.

Melius est in Deo sperare, quam divitias congregare.

Firmissima spes, beatificat res.

Charitas non ficta, abluit peccata.

Qui diligit fratrem, placat Deum patrem.

Regnum cœlorum non est invidorum.

Melius est humiliare, quam exaltare.

Humilis homo triumphat in Domino.

Qui per ardua vadit, sæpissime cadit.

Viri miles renuunt lites.

Qui assidue rixatur, á paucis amatur.

Malos á Deo tolerare, est superare.

Qui in pace fundantur, non eradicantur.

Incendium bellorum corruptio est morum.

Homo pudicus, animæ est amicus.

Ubi erit frequens luxuria, non deerit penuria.

Voluntas mundana, semper erit vana.

Judicis sententiam, oportet sequi clementiam.

Melius est interdum ignoscere, quam vindictam petere.

Qui miseretur, misericordiam consequetur.

Falsus in ore, caret honore.

Qui in falsitate vivit, animam occidit.

Qui est hilaris dator, hunc amat Salvator.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Omnis avarus, nulli est charus.
Bonis tribuere, non est minuere.
Ubi pugnat sancta oratio, ibi vincitur tribulatio.
Incessanter orare, est delicta purgare.
Bene orat, qui corde plorat.
Jejunium forte, liberat á secunda morte.
Qui non potest jejunare, discat eleemosynam dare.
Bene vigilat, qui á bono non cessat.
Melius est interdum dormire, quam diabolo servire.
Dormire non multum, exhilarat vultum.
Qui se fatetur reum, placat Deum.
Ubi vera pœnitentia, ibi Dei clementia.
Valde decipitur, qui nunquam corripitur.
Amabilis increpatio, non est damnatio.
Oleum peccatoris, est laus adulatoris.
Ubi longa ebrietas, ibi brevis pietas.
Vinum multum et forte, non multum distat á morte.
Per crapulam cibi et potus, perit homo totus.
Per moderantiam, pervenitur ad abundantiam.
Mediocritate pura gaudet natura.
Juvenis animosus senex fiet gloriosus.
Qui torpescit dum calet, frigidus nihil valet.
Qui vacat in juventute, turbatur senectute.
Fortes viri, omnibus sunt muri.
Reges et præsides non decet esse desides.
Mundi rectores æquant cum nomine mores.
Viri pontificales sunt sancti coæquales.
Medici animarum exorbitent parum.
Qui viduam defendit, recte ad Christum tendit.
Qui vindicat pupillum, Deus coronat illum.
Pauperum consolator, æternæ vitæ est amator.
Cor incendit oculus, ut stipulam foculus.
Voluptas non visa citius erit elisa.
Qui libenter bona audit, corde Deo plaudit.
Melius est pauperem audire, quam sonitum lyræ.
In cassum misseros audit, qui os et manum claudit.
Lingua placabilis ligno vitæ est comparabilis.
Lingua dolosa semper est odiosa.
Qui loquitur honeste, liber est à peste.

Manus sine opere mendicabit propere.
Manum labores præstant honores.
Qui bonum operatur, à Deo honoratur.
Beati pedes qui visitant infirmorum ædes.
Cum Deo ambulare est animam salvare.
Qui migrat ad æternam sedem, non offendit pedem.
Iniquum est ob beneficium reddere supplicium.
Qui reddit malum pro bono, indignus est Dei dono.
Bono vincere mala, est ad cœlum scala.
Mundi juventus Deo est contemptus.
Qui amat mundum præsentem, sequitur rem fugientem.
Melius est supernum consilium, quam hujus vitæ exilium.
Superna patria, pulchra tenet atria.
Aulæ cœlesti semper sunt gaudia festi.
Tendat filius et frater quo vocat illos pater.
Quid fugis ex illo, qui claudit cuncta pugillo?
O quicumque velis, mentem conjungere cœlis.
Mundi sperne minas, et res pede contere blandas.

AUGUSTINUS.

Duodecim sunt abusiones sæculi.

1. Sapiens sine bonis operibus.
2. Senex sine religione.
3. Adolescens sine obedientia.
4. Dives sine eleemosyna.
5. Fœmina sine pudicitia.
6. Dominus sine virtute.
7. Christianus contentiosus.
8. Pauper superbus.
9. Rex iniquus.
10. Episcopus negligens.
11. Plebs sine disciplina.
12. Populus sine lege.

Tria sunt genera avaritiæ.

1. Aliena concupiscentia.
2. Propria non dare.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. De datis pœnitere.

Septem sunt gradus Sapientiæ.

1. Timor Domini.
2. Pietas.
3. Scientia.
4. Fortitudo.
5. Consilium.
6. Intellectus.
7. Sapientia.

Quinque sunt claves Sapientiæ.

1. Contemptus seculi.
2. Frequens interrogatio.
3. Assiduitas legendi.
4. Memoria retinendi.
5. Honor magistri.

Sperat homo quietem mente constitutus in spirituali paradiso, quo significatur vita beata, ubi fons est sapientiæ divisus in quatuor partes virtutum.

Ubi edat ligni vitæ gratiam, ubi utiles disciplinas morum quasi fructus lignorum capiat.
Est namque paradisus vita beatorum.
Quatuor flumina quatuor virtutes.
Virtus est animi habitus.
Naturæ decus.
Vitæ ratio.
Morum pietas.
Cultus divinitatis.

Honor hominis æternæ beatitudinis meritum. Cujus sunt quatuor principales qui designantur: per quatuor proprii paradisi flumina. Prudentia, Fortitudo, Justitia, Temperantia.

Prudentia, est rerum divinarum humanarumque proprie homini datarum scientia.

Per quam intelligitur quid cavendum sit, vel quid faciendum.
Et hoc est quod in Psalmo legitur:
Diverte à malo et fac bonum.

Fortitudo est animi patientia, et longanimitas, et perseverantia in bonis operibus, et victoria contra viliorum genera.

Justitia est animi nobilitas, unicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac divinitatis cultus, et humanitatis jure, et justa judicia, et æquitas totius vitæ conservatur.

Temperantia est vitæ modus, ne quid nimis homo amet, vel odio habeat, sed omnes hujus vitæ varietates considerata temperet diligentia.
Hæc sunt quatuor flumina.
Ligna ejus, omnes utiles disciplinæ.
Fructus lignorum, mores piorum.

Lignum autem vitæ ipsa bonorum omnium mater sapientia est. Salomone dicente: Lignum vitæ est his qui apprehendunt eam.

Lignum scientiæ boni et mali transgressio est mandati. Noë autem per omnia, omnesque actus ejus significat Christum. Noë autem requies interpretatur, et Dominus dicit: Discite á me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem.

Solus justus invenitur Noë in illa gente, cui septem homines donantur propter justitiam suam: solus Christus justus est atque perfectus, cui septem ecclesiæ, per septemplicem spiritum in una ecclesia condonantur.

Quod vero Noë per aquam et lignum liberatur, lignum et aqua crucem designat et baptisma. Sicut enim ille cum suis per lignum et aquam salvatur: sic familia Christi per baptismum et crucis passionem salvatur. Arcam construxit Noë de lignis non putrescentibus, Ecclesia construitur á Christo ex omnibus in sempiternum victuris.

Hanc regulam sanctitatis in divinis scripturis pro corde et cum timore tenere debemus, ut quod secundum fidem, qua imbuti sumus intelligere valuerimus, de eo gaudeamus. Quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam deferamus, hoc est, ut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si quid sid nesciamus, bonum tamen et verum esse minime dubitemus.

Æqualitatem patris et filii sic intelligo, ut ibi etiam individuam charitatem intelligam. Et sic individua charitas quam Deus misit hominibus, de multis hominum cordibus facit cor unum, et multas hominum animas facit animam unam. Sicut de credentibus, seseque invicem dilligentibus scriptum est in Actibus Apostolorum. Erat illis anima una et cor unum in Domino. Si ergo anima mea et tua cum idem sapimus, nosque diligimus, sit anima una, quanto magis, pater Deus, et filius Deus in fonte dilectionis Deus unus est?

Alia vita peccatorum, et alia vita hominum, alia vita angelorum. Vita peccatorum terrenis voluptatibus æstuat, sola terrena conquirit, in ea prona atque projecta est. Vita angelorum sola cœlestia. Vita hominum media est angelorum et peccatorum. Si vivit homo secundum carnem, peccatoribus comparatur. Si vivit secundum spiritum, angelis sociatur. Multum interest inter adversantem et desiderantem: et multum interest inter desiderantem et fruentem. Vivis ut pecora? adversaris quo angeli perfruuntur. Si non vivis ut pecora, jam non adversaris. Desideras aliquid et non capis. Inchoasti ipso desiderio vitam angelorum. Crescat in te, et perficiatur in te, et capias hoc non à me, sed ab illo qui et me et te.

Easdem literas facit cor et manus, sed non similiter: Cor enim facit eas intelligibiliter, manus autem visibiliter, sed filius facit eadem opera, quæ et pater, et similiter, quæcumque pater facit, per filium facit. Omnia enim per ipsum facta sunt. Audit filius, et sicut audit judicat. Videt patrem operantem, et eadem opera similiterfacit. An totus ille visus est et totus auditus? forte ita. Imo non forte, sed vere ita. Audire et videre simul in verbo est. Nec aliud est videre, aliud audire, sed auditus visus, et visus auditus. Si vis intelligere, noli aspicere aures vel oculos corporis, sed cordis inspice. Dimitte corpus: redi ad cor, in corde habes aures, unde Dominus ait. Qui habet aures audiendi audiat: habes et oculos, unde Apostol. Illumina oculos cordis nostri. Cor tuum et videt et audit, et cætera sensibilia dijudicat. E quo non aspirant corporis sensus, justa et injusta, bona et mala discernit. Diversa sunt, quæ ad cor tuum referuntur et diversa ibi mentibus non inveniantur. In carne tua alibi audis, alibi vides ac tacta percipis de tuo, ubi audis, non vides. Si hæc imago, quanto potentior ille cujus est imago? Ergo et audit filius, et videt filius, et ipsa visio et auditio filius, et hoc est illi, audire quod esse: et hoc est illi videre, quod esse.

Prædestinatio est gratiæ præparatio. Ambrosius prædestinatus filius legit, quantum ad cognitionem, juxta illud: Cor illorum Deus, id est cognoscar: et cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me, id est, cognoscar omnium Deus esse. Sic ergo, qui in carne latebat quid esset, prædestinatus est in virtute surgendi à mortuis esse filius Dei, id est, manifestari. Omnis enim ambiguitas ejus resurrectionis calcum est.

Oratio est purus animi affectus ad Deum, qui quandoque pigritante animo excitatur per vocem.

Obsecratio est per sacra adjuratio, ut per nativitatem, per mortem, fit autem oratio pro bonis habendis.

Obsecratio vero pro necessitate districta.

Justitia Dei dicitur quæ ex Deo est, ex ea vero dicitur Deus justus et homo. Sed Deus dicitur justus, quia quod promisit dedit, qui est justus justificans. Homo vero dicitur justus quia credit, et est justus justificatus. Deus quos diligit, corripit, ne puniat in æternum: ita quidem videtur, sed ad pœna mansuetudinem potius intelligitur pertinere. Sed magna ira Dei est vana fecilitas, quum peccator prosperatur in vita sua ut graviora recipiat in gehenna. Quod cum non cognoscatur ab omnibus, dicitur tamen eruditis aliquibus nunc revelata, et cum venerit Dominus ad supplicium omnibus exerenda.

In potestate malorum est peccare. Ut autem hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate. Sed Domino sapienter omnia disponente, et bene utente etiam malis fit ut eum faciant contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.

FINIS EXCEPTIONUM S. S. PATRUM.

TITULI ADDITI.

AMOR PATRIÆ.

Nobilissimi civis est patriæ suæ augmenta cogitare, sed eorum maximè, quos resplubica (aut princeps) summis honoribus obligavit. *Cass. lib. 3. epist. 10.*

Aversa et perversa corda mortalium felices res humanas putant, cùm tectorum splendor aspicitur, et labes non attenditur animarum; cùm theatrorum moles extruitur, et effodiuntur fundamenta virtutum. *Aug. lib. 3.*

Odit valdè patriam, qui sibi benè putat, cùm peregrinatur. *Aug. sup. psal. 95.*

Nimis dulcis est recordatio patriæ, quæ in hostili terrâ probatur existere, nam quandò hæc amara magis sentitur, tantò fit illa suavior: de loco enim peregrinationis proprii domicilii crescit affectus. *Cassiod. super illud: « Super flumina Babylonis. »*

Utilitatem publicam diuturnâ non convenit ludificatione differri. *Cassiod. lib. 3. epist. 31.*

IDOLOLATRIA.

Quid magis ridiculum, quàm quùm homo est opifex Dei? *Basil. in 3. Esai.*

Idolum aliquandiú retrò non erat. Priusquàm hujus monstri artifices ebulissent, sola templa et vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent. Tamen idololatria agebatur non in isto nomine, sed in isto opere. Nám et odié extrá templum, et sinè idolo agi potest. At ubi artifices statuarum et imaginum et omnis generis simulacro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum, diabolus seculo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis, et nomen de idolis consecutum est et profectum. Exindè jàm caput facta est idololatria ars omnis quæ idolum quoquo modo colit. Neque enim interest an plastes effingat, an cælator exculpat, an phrygio detexat; quià nec de materiâ refert, an gypso, an coloribus an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. Quandò enim et sinè idolo idololatria fiat, utique cùm adest idôlum, nihil interest quale sit, quâ de materiâ, quâ de effigie sit consecratum. *Tertull. de idololatriâ. cap. 3.*

Idololatria est extremum malorum. *Basil.*

Homines et nominis sui et rationis obliti, oculos suos ab alto dejiciunt, soloque defigunt, atque timent opera digitorum suorum; quasi verò quidquàm esse possit artifice suo melius. *Lactant. lib. 2. cap. 1.*

Non ipsa, inquiunt, timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, et quorum nominibus consecrata sunt. Nempè ideò timetis, quod eos in cœlo esse arbitramini. Cur igitur in cœlum oculos non tollitis? Imago supervacua est, quùm præsto est Deus. Imago enim est aut absentis, aut mortui. Sed verentur ne omnis eorum religio inanis sit, et vana, si nihil in præsenti videant, quod adorent: et ideò simulacra constituunt, quæ quià mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt: omni enim sensu carent. Dei autem in æternùm viventis vivum et sensibile debet esse simulacrum. Itaque simulacrum Dei non illud est quod digitis hominis ex aliquâ materiâ fabricatur, sed ipse homo. *Lactant.*

Satius est fame mori, quam idolothytis vesci. *Aug. de bono conjugali.*

Aptandus est omnis sermo ad destructionem idololatriæ. *Hieron. in Damasum.*

Salomon quippè immoderato usu atque assiduitate mulierum ad hoc usque perductus est, ut templum idolis fabricaret: et qui priùs templum construxerat Deo, assiduitate libidinis et perfidiæ subtractus, idolis templa construere non timuit. *Gregor. lib. 12. moral.*

Nemo est quidem, qui sapiat, rationemque secum putet, qui non unum Deum esse intelligat, qui et condiderit omnia, et eâdem quâ condidit, virtute moderetur. Quid enim opus multis est ad mundi regimen sustinendum? nisi fortè arbitremur, si plures sint, minùs habere singulos nervorum atque virium. Quod quidem faciunt hi, qui esse multos volunt, quià necesse est imbecilles esse, si quidem singuli sinè auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum sustinere non possent. Deus autem, qui est æterna mens, ex omni utiquè parte perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, unus sit necesse est. Potestas enim vel virtus absoluta retinet suam propriam firmitatem. Id autem solidum existimandum est, cui nihil decedere, id perfectum, cui nihil possit accidere. Quis dubitet potentissimum regem esse, qui totius orbis habet imperium? neque immeritò, cùm illius sint, quæ ubiquè sunt omnia, cùm ad eum solum omnes undiquè copiæ congregentur. At si plures partiantur orbem, minùs certè opum, minùs virium singuli habebunt, cùm intrà præscriptam portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo, si dii plures sint, minùs valebunt, aliis tantumdem in se habentibus. Virtutis autem perfecta natura non in eo, in quo pars exigua de toto est. Deus verò, si perfectus est, (quià perfectus est) ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes ac potestates infirmiores sint necesse est, quià tantum singulis deerit, quantùm in cæteris fuerit, ità quantò plures, tantò minores erunt. *Lactant. Firmianus. lib. 1. cap. 3.*

INCESTUS.

Incestus est, cùm personâ consanguineâ, vel affini, coitus prohibitus, quadruplici ratione. *Primò,* quià naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis. *Secundò,* quia personas sanguine conjunctas necesse est ad in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum, diabolus seculo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis, et nomen de idolis consecutum est et profectum. Exindè jàm caput facta est idololatria ars omnis quæ idolum quoquo modo colit. Neque enim interest an plastes effingat, an cælator exculpat, an phrygio detexat; quià nec de materiâ refert, an gypso, an coloribus an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. Quandò enim et sinè idolo idololatria fiat, utique cùm adest idôlum, nihil interest quale sit, quâ de materiâ, quâ de effigie sit consecratum. *Tertull. de idololatriâ. cap. 3.*

Idololatria est extremum malorum. *Basil.*

Homines et nominis sui et rationis obliti, oculos suos ab alto dejiciunt, soloque defigunt, atque timent opera digitorum suorum; quasi verò quidquàm esse possit artifice suo melius. *Lactant. lib. 2. cap. 1.*

Non ipsa, inquiunt, timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, et quorum nominibus consecrata sunt. Nempè ideò timetis, quod eos in cœlo esse arbitramini. Cur igitur in cœlum oculos non tollitis? Imago supervacua est, quùm præsto est Deus. Imago enim est aut absentis, aut mortui. Sed verentur ne omnis eorum religio inanis sit, et vana, si nihil in præsenti videant, quod adorent: et ideò simulacra constituunt, quæ quià mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt: omni enim sensu carent. Dei autem in æternùm viventis vivum et sensibile debet esse simulacrum. Itaque simulacrum Dei non illud est quod digitis hominis ex aliquâ materiâ fabricatur, sed ipse homo. *Lactant.*

Satius est fame mori, quam idolothytis vesci. *Aug. de bono conjugali.*

Aptandus est omnis sermo ad destructionem idololatriæ. *Hieron. in Damasum.*

Salomon quippè immoderato usu atque assiduitate mulierum ad hoc usque perductus est, ut templum idolis fabricaret: et qui priùs templum construxerat Deo, assiduitate libidinis et perfidiæ subtractus, idolis templa construere non timuit. *Gregor. lib. 12. moral.*

Nemo est quidem, qui sapiat, rationemque secum putet, qui non unum Deum esse intelligat, qui et condiderit omnia, et eâdem quâ condidit, virtute moderetur. Quid enim opus multis est ad mundi regimen sustinendum? nisi fortè arbitremur, si plures sint, minùs habere singulos nervorum atque virium. Quod quidem faciunt hi, qui esse multos volunt, quià necesse est imbecilles esse, si quidem singuli sinè auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum sustinere non possent. Deus autem, qui est æterna mens, ex omni utiquè parte perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, unus sit necesse est. Potestas enim vel virtus absoluta retinet suam propriam firmitatem. Id autem solidum existimandum est, cui nihil decedere, id perfectum, cui nihil possit accidere. Quis dubitet potentissimum regem esse, qui totius orbis habet imperium? neque immeritò, cùm illius sint, quæ ubiquè sunt omnia, cùm ad eum solum omnes undiquè copiæ congregentur. At si plures partiantur orbem, minùs certè opum, minùs virium singuli habebunt, cùm intrà præscriptam portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo, si dii plures sint, minùs valebunt, aliis tantumdem in se habentibus. Virtutis autem perfecta natura non in eo, in quo pars exigua de toto est. Deus verò, si perfectus est, (quià perfectus est) ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes ac potestates infirmiores sint necesse est, quià tantum singulis deerit, quantùm in cæteris fuerit, ità quantò plures, tantò minores erunt. *Lactant. Firmianus. lib. 1. cap. 3.*

INCESTUS.

Incestus est, cùm personâ consanguineâ, vel affini, coitus prohibitus, quadruplici ratione. *Primò,* quià naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis. *Secundò,* quia personas sanguine conjunctas necesse est ad in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vicem simul conversari. *Tertiò*, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. *Quartò*, quia cùm naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commixtione venereâ, fieret nimius ardor amoris, et maximum libidinis incentivum, quod castitati repugnat. *Thom. q. 154. art. 1.*

Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu. Pejus est enim cum matre, quàm cum alienâ uxore concumbere. *Lib. de adulterinis conjugiis.*

Sunt enim in fornicatione gradus, ut sicut graviùs peccat adulter, quàm fornicator, sic graviùs delinquit, qui nec suâ dimissâ, aliam ducit, eò quòd suam uxorem habens, ad conjugem proximi sui accedit, quam qui non habens uxorem, thorum alterius viduat, vel uxoratus ad solutam accedens; sed hos omnes incestuosi transcendunt: quos vincunt contrà naturam delinquentes. *Aug. de adult. conjug.*

Commixtio sororum et fratrum, quantò sit antiquior, compellente necessitate, tantò posteà facta est damnabilior, religione prohibente. *Aug. lib. 17. de civitate Dei.*

Nec eam quam aliquis ex propriâ consanguinitate conjugem habuit, vel aliquâ illicitâ pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli christianorum licebit, quiâ incestuosus est talis coïtus, abominabilis Deo, cunctis bonis hominibus. Incestuosos verò nullo conjugii nomine deputandos à sanctis patribus statutum esse legimus. *Greg. q. 5.*

POLITICA.

Rex utique erat David, nullis ipse legibus tenebatur, quiâ liberi sunt reges à vinculis, neque ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. Sed quamvis tutus imperio, devotione tamen et fide erat Deo subditus, et legi ejus subjectum se esse agnoscens, peccatum negare non poterat. *Ambros. in apol. David. cap. 10.*

Justum est principem legibus obtemperare suis. Tunc enim sua jura ab omnibus custodienda existimet, quandò et ipse præbet illis reverentiam. *Isidor. lib. 3. de summo bono. cap 52.*

Quantum potestate cæteris antecellis, tantùm etiam factis justis emicare, et antè alios enitere debes. Sit enim tibi persuasissimum, eam abs te postulari honestorum operationem, quæ magnitudini imperii ac potestatis, proportione sanctarum virtutum, respondeat. *Agapet. diaconus ad Justinian.*

Christi milites non pila tractant ferrea, sed dolor, orationes, fletus et lacrymæ sunt arma et munimenta ipsorum. *Ambros.*

Sacerdotis est populum monere, non movere arma, quià gladium mentis, non Martis tenet. *Chrys.*

Fortitudo, quæ bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel á latronibus socios, plena justitiâ est. *Ambros. lib. 1. cap. 27.*

PRINCEPS.

Rex cùm est injustus, tyrannus est. *Aug. de civit. Dei. lib. 2. cap. 10.*

Malus enim si regnat, servus est tot dominorum, quot vitiorum. *Aug. de civit. Dei. cap. 4.*

Rex servit Deo, leges justas præcipiendo, et contrarias abrogando. *Aug. in epist. 32.*

Neque nos christianos quondam imperatores ideò felices dicimus, quià vel diutius imperarunt: vel imperantes filios morte placidâ reliquerunt, vel hostes reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives contrà se insurgentes et cavere et opprimere potuerunt. Hæc enim et alia hujusmodi ærumnosæ vitæ vel munera vel solatia, quidam etiam cultores dæmoniorum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti. Est hoc de misericordiâ scilicet factum est, ne ab eis, qui in eum crediderunt, hæc tanquàm summa bona desiderentur. Sed felices eos dicimus, si justa imperant, si inter linguas se subli-

miter honorantium, et nimis honorabiliter salutantium, et sibi nimis humiliter obsequentium, non extollantur, si se homines esse meminerint, si potestatem suam ad Dei cultum dilatandum, majestatique ejus famulari faciunt, si Deum timent, diligunt et colunt, plus amant regnum illud, ubi non timent habere consortes, si tardius vindicant, facile ignoscunt. Si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis, exercent. Si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatum, sed ad spem correctionis indulgent. Si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, et beneficiorum largitate compensant. Si luxuria in eis tantò castigatior: quantò potest esse liberior: et si hæc omnia faciant non propter favorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ. Si propter peccata sua humilitatis et miserationis sacrificium Deo vero immolare non negligunt, tales christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, posteà re ipsâ futuros, cùm id, quod expectamus, advenerit. *Aug. lib. 5. de civit. Dei. cap. 24.*

Non terrena potestas vult esse victrix gentium, cùm sit captiva vitiorum. *Aug. lib. 15. de civit. Dei. cap. 8.*

Auctoritas belli est penès principem: ministerium exequendi est penès milites. *Aug. contra Faust. cap. 32.*

In hoc serviunt reges Deo, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant: non solùm quæ pertinent ad societatem humanam, sed quæ ad religionem divinam. *Aug. lib. 3. super Chrys.*

Quicumque proprium corpus subegerit, nec ejus passionibus turbari animam suam rector sui congrua vivacitate permiserit, is benè regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur: quod regere se noverit, et arbiter sui juris sit, nec captivus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. *Ambros. super illud psalm. Anima mea in manibus.*

Nomine gigantum potentes hujus seculi significantur, aquæ verò populi sunt. *Greg. moral.*

Regès à rectè agendo vocati sunt: ideòque rectè faciendo regis nomen tenetur, peccando amittitur. Rectè ergò illi reges vocantur, qui làm in semetipsos, quàm in subditos benè regendo modificar e noverunt. *Isid. de summo bono. lib. 3.*

PUNITIO.

Pœna episcopalis judicii in Ecclesiâ nulla major est. *Aug.*

Quid ergò ait, contrà Dominum cogitatis? ipse est qui creavit mundum, et consummationem ejus faciet? Quod si vobis videtur crudelis et rigidus et cruentus, quod in diluvio genus delevit humanum, super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur pluit, Ægyptios submersit in fluctibus, Israelitarum cadavera prostravit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in ætternum puniret. *Hier. in Nahum proph.*

Achab rex impiissimus vineam Nabuthæ cruore possedit: et cum Jezabel non tam conjugio sibi, quam crudelitate conjuncta Heliæ increpatione corripitur. Ad eumdem hæc dicit Dominus, occidisti, et possedisti. Et iterum: in loco quo linxerunt canes sanguinem Nabuthæ, ibi lingent: sanguinem tuum, et Jezabel carnes comedent, ante muros Israel. Quod autem cum audisset Achab, scidit vestimenta sua et posuit saccum super carnem suam, et jejunavit, et dormivit in cilicio. Factus est sermo Domini ad Heliam dicens, quia reveritus est Achab faciem meam, non inducam malum in diebus ejus. Unum scelus et Achab et Jezabel commiserunt: sed tamen conversus Achab ad pœnitentiam, pœna differtur in posteros, et Jezabel in scelere perseverans, præsenti condemnatur judicio. *Hier. ad Rusticum.*

Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit. *Hier.*

Injustus quisque eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius peccatis elevatur, transit quod extollitur,

permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in perventione damnabitur, et quasi per amœna prata ad carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. *Greg. lib. 6. moral.*

Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors semper vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. Mors perimit et non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit. *Greg. lib. 9. moral.*

Pœna præsens, quæ injusti animum á pravis desideriis mutat, ab æternis suppliciis non liberat quos mutat: nam quem præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. *Greg. lib. 15. moral.*

Contra Dominus ad Moysen: Ego sum Deus zelotes, qui visito peccata patrum in filios, usque in tertiam et quartam generationem, licet non in æqualitate judicii, sed magnitudine clementiæ. *Greg. lib. 20.*

Quia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam: quærenda semper est veritas, ut inquiri debeat utrum accusatum noxa contemnet, an á pœna innocentia patefacta subducat. *Greg.*

Justius est enim injustum juste evadere, quam justum injuste puniri: quia reus et si semel evaserit, si semel perierit, jam non potest revocari. *Joan. Chrys. super Matth. Cap. 1.*

Ob oc inflexibilis et obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum: quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita ut si nunquam moreretur, nunquam peccare desineret: imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. *Bern. epist.*

Juste puniuntur, qui licitis abutuntur, justius vero puniuntur, qui aliena rapere conantur: sic Satanas cœlum; sic protoplastus perdidit paradisum. *Hugo. lib. 2. de animâ.*

Occultam culpam sequitur aperta percussio, ut malis exterioribus interna puniantur, et cor publice

corruat, quod latenter peccabat. *Cass. super psal.*

Non ergo illi, quos monemus agere pœnitentiam, quærant sibi comites ad supplicia, nec gaudeant, quia plures inveniant sibi similes: nam propterea non minus ardebunt, quia cum multis ardebunt. *Aug. de pœn.*

SEPULTURA.

Nec aliquid nocet fidelibus, negata eorum corporibus sepultura, nec si exibeatur, aliquid infidelibus prodest. *Aug. de cura agenda pro mortuis.*

Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem abjuvari non possunt: quia quos peccata graviora deprimunt, si in sacris locis se sepeliri faciunt, restat, ut de sua præsumptione judicentur: quia eos sacra loca non liberant, sed de culpa temeritatis accusant. *Aug. de civit. Dei. cap. 12. lib. 1.*

SOMNIUM.

Consuetudinem meam nosti; brevisimo somno utor, et quasi intervigilo, satis mihi vigilare desinisse aliquando dormivisse me sentio, aliquando suspicor. *Hier. lib. illustrium virorum, epist. 87. loquens de se ipso.*

Cum somnia contingunt, aut ventris repletione, aut inanitione, aut illusione simul, aut cogitatione et illusione, aut revelatione aut cogitatione simul et revelatione, cogitationes sanctiores, cœlestiores, virtuosiores sequuntur somnia blandiora et delectabiliora. *Greg. moral. 8. super illud Job. 7. Terrebis me per somnia.*

Iturus in somnum aliquid tecum defer in memoria et cogitatione: in quo placide obdormias, quod etiam somniare juvet. Sic, tibi nox ut dies illuminatur, et nox illuminatio tua: in deliciis tuis placide obdormies, in pace quiesces, facile evigilabis: surgens facilis eris ad redeundum in id, unde non totus discessisti.

Cave, serve Dei, quantum potes, ne totus quandoque dormias, ne sit somnus tuus, non quies lassi, sed sepultura corporis suffocati; non reparatio, sed spiritus extinctio.

Quantum ad debitum continui processus, nihil temporis jam petit de vita nostra, quam quod somno deputatur. *Bern. ad fratres de monte.*

SOPHISTÆ.

Philosophiam nomine habituque profitentur quidam, qui nihil præstant dignum hac professione. *Justin. martyr. in 2. Apol. pro christianis.*

Veteratorie instructa persuadendi arte, seducunt mentes imperitorum. *Item*: Verborum artificio simplices eo probabiliter adducunt, ut aliquo modo inquirant; sed improbabiliter ipsos perdunt, dum adversus summum opificem impiam reddunt et blasphemam ipsorum mentem: ita ut ne verum quidem á falso discernere possint. *Iren. in præf. lib. 1. adv. hæreses.*

Non ostenditur per se impostura, ne nuda deprehendatur: sed amictu verisimili callide ornata, ita ut imperitioribus videatur externa specie se ipsa veritate veriorem exhibere. *Iren.*

Sophistæ verborum magis volunt esse, quam discipuli veritatis. *Iren.*

Quidam se ipsos erigentes calumnias verbis invenire contendunt, contentiosas comparantes quæstiunculas, distinctiuncularum venatores, pussillarum quarumdam artium æmulatores, litigatores et jurgiorum consarcinatores. Ob hanc artem efferentes se sophistæ infelices, canoris quibusdam suis nugis garrientes, cum in nominum delectu et certa dictionum compositione ac connexione tota vita laborant, cicadis apparent loquaciores. *Clem. Alexandr. stromat. lib.* 1.

Inani sapientiæ opinione elati perpetuo litigant, apertè ostendentes, se magis curare ut videantur, quam ut philosophentur. *Clem. Alex.*

Loquacitatem facundiam existimant: impudentiam constantiam deputant: et maledicere singulis officium bonæ conscientiæ judicant. *Tertull. lib. adv. Hermogenem. cap. 1.*

Hæreticorum patriarchæ sunt philosophi. *Cap. 3.* Iis fere mos est, simplicia quæque torquere. *Cap. 19.* Simplicitatem communium verborum torquent in quæstionem. *Cap. 27.*

Nihil hominibus adeo suave est et jucundum, quam de rebus altis et alienis orationem habere, si vel benevolentia quadam vel odio trahantur, á quibus veritas plerumque surripi soleat. *Greg. Nazian. orat. 26.*

Ubi veritas exultat, perturbata et confusa sophistica sedet ad gubernacula. Ubi nulla ratio, ibi nec veritatis investigatio et communicatio. *Cyril.*

Propositum est hominibus improbis, in quorum animis inexplebilis honoris et pecuniæ cupiditas insita est, ut ecclesiis quæ plus habere videntur dignitatis, insidientur, qui per varias ac multiplices vias sinceram Ecclesiæ pietatem oppugnare non cessant. Nam impulsu diaboli, qui vim suam in eorum animis exercet, in furorem acti, ad voluptates, quæ forte se offerunt, præcipites feruntur, atque ab omni pietate aversi timorem divini judicii proterunt. *Theodoret. hist. eccl. lib. 1. cap. 4.*

Vituperare et carpere bonos ac bonum, quomodo quis potest, nisi sophisticé? quis potest nisi malus et sophista? Hic enim ut convicietur, ut calumnietur, aut addit, aut detrahit, aut pervertit, et immutat: quod est sophistarum vel excellentissimum artificium. *Socr. hist. eccl. lib. 6. cap. 10.*

ZELUS.

Si videris ethnicum vitæ temperatæ, et reliquæ morum honestatis studiosum supra te, tuum etiam studium intende, ut fias similis fructuosæ ficui, quæ per caprifici vicinam vires suas colligit, ac diffusionem cohibens, melius suos fructus alit et producit. *Basil. apud ant. serm. de zelo.*

Noli cogitare te malis videri præstantiorem, sed tristare quod sis bonis inferior. *Nazian.*

Nihil prodest habere zelum Dei, et non habere

scientiam Dei. Judæi putantes se zelum Dei habere, sacrilegi extiterunt in filium Dei: quia non secundum scientiam zelati sunt: quia ignorantes Dei justitiam propriam, id est, quæ hominibus justitia videbatur, studebant implere, cum utique ipsos magis justitiæ Dei nempe Christo, obedire conveniret. *Orig. in epist. ad Roman.*

Est zelus ad vitam, et est zelus ad mortem. Ad vitam zelus est divina præcepta servare, et amore nominis ejus custodire mandata, ut fecit Phinees. *Amb. in psal. 118.*

Audi quid sit habere zelum, sed non secundum scientiam. Ignorantes, inquit apostolus, Dei justitiam: et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Si ergo ideo non secundum scientiam zelum Dei habent, qui ignorantes justitiam Dei volunt suam statuere, qua se ex ipsis justificant: ideo gratiam Dei cognoverunt, quia gratis salvari noluerunt. *Aug. in psal. 30.*

Nihil vero tribulationi par: philosophiæ mater est. Anna suam habens æmulam non est eam contumeliis persecuta. Sed quid? ad Deum confugit: et orans nec ejus meminit, neque dicit, Quoniam illa mihi improperat, defende me, tam sapiens erat mulier: erubescamus viri, et quidem scitis quod nihil comparatur. *Chrys. hom. 62. ad pop.*

Fortis zelus qui nunc in mente doctoris agitur, in die extremi judicii inter eum et animam quam á vitiis zelatur testis est: ut et si audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro zelo quem exhibet, de auditoris negligentia reus non sit, etc. *Greg. in Ezech. hom. 12.*

Zelo domus patris Salvator impios ejicit de templo, zelemus et nos, fratres charissimi, domum Dei, et quantum possumus ne quid in eam pravum geratur insistamus. Si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, detractionibus assuetum, ebrietati servientem, luxuria enervatum, iracundia turbidum, si alio cuiquam vitio substratum, studeamus, in quantum facultas suppetit castigare, polluta ac perversa corrigere: et si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, et maxime in ipsa domo orationis ne quid ineptum fiat, ne quid nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus. *Beda. in Joan. cap. 2.*

Cum duo sint beatæ contemplationis excessus: in intellectu unus, et alter in affectu; unus in lumine, alter in fervore; unus in agnitione, alter in devotione: pius sane affectus et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et spiritus vehementi repletus zelo, non plane aliunde quam è cella Christi vinaria reportantur: et cuicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate dicere, Introduxit me rex in cellam vinariam. *Bern. in cant. serm. 49.*

Zelus est fervor animi ad compassionem naturæ, et ultionem culpæ, et devotionem gratiæ proni. Zelus itaque utiliter flagellat servum, salubriter corrigit filium, sollicite atque fideliter servat conjugium: servum ultione, filium compassione, conjugium devotione. *Hugo. in Johelem.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX EORUM

quæ á Patribus et scriptoribus ecclesiasticis in præcipuos anni dies posteritati relicta sunt.

NOTA—B. M. indicat, ad Bibliotecam maximam Patrum, Lugdunensem nimirum Gallorum, esse recurrendum.

In Festum Circumcisionis Domini.

S. Augustini sermones duo in Calendas Januarias.

S. Bernardi sermones tres de Circumc. Domini. Ejusdem Jubilus de Nomine Jesu. Ejusdem in Cantica sermo 15. Sub nomine S. Bernardi auctor Vitis Mysticæ c. 2 et 36.

S. Bernardini Senensis vol. I. Operum serm. 49. per totum articulum primum, secundum, ac tertium. Et vol. II. totus sermo 49. per proœmium et omnes articulos.

Eusebii Gallicani B. M. tom. VI p. 700

Gersonis Prosa in Circumc. Domini. Ejusdem sermo de Circumc. Dom.

Innocentii III. Pont. Max. sermo in Circ. Domini.

S. Isidori Hispalensis de Nativ. Domini. I. 7.

S. Laurentii Justiniani sermo de Circumc. Dom.

Ludolphi á Saxonia Vita Christi. I. 10.

S. Maximi sermo de Calendis Januariis.

Petri Blesensis sermo 7. et 8. B. M. tom. XXIV á pagina 1085.

S. Petri Chrysologi sermo 155.

Simonis de Cassia Gesta Salvatoris. I. 10.

S. Thomæ Aquinatis sermones duo in diem Circumc. Dom.

Quibus addi possunt omnes illi e Patribus majoribus, qui in Lucam scripserunt, ad II. 21.

In Epiphaniam Domini.

Arnoldi Carnotensis, vel quicumque est auctor antiquus, inter opera Cypriani, l. de Operibus Christi cardinalibus, tit. de Stella et Magis.

S. Augustini sermones aliquot de Tempore, á sermone 29 usque ad 36, ubi tamen trigesimus tertius est S. Leonis. Ejusdem sermo alius in Actuario Parisiensi Tomo X. Operum. Ejusdem de Diversis Sermones 64.—67.

S. Bernardi sermones tres de Domini Epiphania: nam quartus, qui ita inscribitur, de illa non agit.

S. Bernardini Senensis sermo de Epiph. Operum vol. III.

S. Chrysostomi Homiliæ duæ in Theophania Domini.

Eusebii Gallicani Homiliæ quatuor. B. M. tom. VI. p. 622. sqq. Ejusdem alia, ibidem pag. 700.

S. Fulgentii. B. M. T. IX p. 108. et Homilia quarta Novarum, ibidem p. 117.

Gersonis sermo in die Epiph.

S. Gregorii Neocæsareensis, seu quisquis auctor est, sermo in Theophania.

Hieronymi operum tomo IX. sermo seu Epistola incerti auctoris de Epiph. Domini.

Innocentii III Pont. Max. sermo in Apparitione D. N. J. C.

S. Isidori Hispalensis de Nativ. Dom. I. 13. sq.

S. Laurentii Justiniani sermo in Epiph. Dom.

Ludolphi á Saxonia Vita Christi. I. 11.

Petri Blesensis serm. 9. B. M. T. XXIV. p. 1087.

S. Petri Chrysologi sermo 156 et sequentes. B. M. T. VII. á pag. 963.

Petri Comestoris serm. 7. B. M. T. XXIV. p. 1395.

B. Petri Damiani sermo in Epiph. Domini.

Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris I 11—15.

S. Thomæ Aquinatis sermones duo in diem Epiph.

Adde Patres omnes majores in Matthæum, de adventu magorum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In festum Hypapantes sive Luminum.

S. Ambrosii operibus insertus est auctoris ignoti in hoc festum sermo.

S. Bernardi sermones 3 de Purific. B. M. V.

S. Bernardini Senensis sermo 10 de B. V. operum vol. III.

S. Chrysostomi homilia de occursu et Simeone, á Ducæo rejecta, etsi eam ipse é græco interpretatus est.

Eusebii Gallicani. B. M. T. VI. p. 707.

Gersonis sermo in hunc diem.

S. Gregorii Nysseni oratio de occursu Dom. Deipara Virgine, et Simeone.

Innocentii III Pont. Max. sermo de Purific. B. M. V.

S. Laurentii Justiniani sermo in festo Purific.

Ludolphi á Saxonia vita Christi l. 12.

Petri Blesensis serm. 11 et 12. B. M. T. XXIV. á pag. 1089.

Petri Cellensis. B. M. T. XXIII. p. 652. sq.

Petri Comestoris sermo 9 B. M. T. XXIV p. 1397 sqq.

Richardi Victorini tract. Quomodo Christus ponatur in signum populorum.

Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris I 16, et II 21.

S. Thomæ Aquinatis sermones duo in festum Purific. B. M.

Adde Patres majores in Lucam, c. II. de hujus diei mysterio.

In festum S. Matthiæ.

S. Augustini de verbis Domini sermo 8, 9, et 10. Ejusdem de diversis sermo 21.

S. Laurentii Justiniani sermo de S. Matthia apost.

Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris IX. 27. sq.

S. Thomæ Aquinatis sermo de S. Matthia.

Addi possunt omnes illi é majoribus patribus, quorum extant Commentarii in Matthæum, ad Evangelium hujus festi.

In festum S. Josephi.

S. Bernardini Senensis sermo de S. Joseph, operum vol. III.

Ludolphi á Saxonia vita Christi I 3 et 8, et 13.

S. Petri Chrysologi sermo 145 et 146. B. M. T. VII p. 956 sq.

Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris II 16 sqq.

Addi possunt et patres majores in Matthæum, ad I 19 et sequentia, et ad II 13 ac reliqua ejus capitis.

In festum Virginis á Gabriele salutatæ.

B. Alberti M. Mariale, seu quæstiones CCXXX super *Missus est*, operum tom. XX.

S. Athanasii opuscula plura de Incarnatione et salutari adventu Christi.

S. Augustini de sanctis sermones duo: quorum alterum S. Fulgensio nonnulli assignant. Inter ejusdem opera, incerti cujusdam, libri duo de Incarnatione.

S. Bernardi sermones 4 super *Missus est*. Ejusdem sermones 3 de Annunc. B. V. M. Ejusdem sermo de aquæ ductu, qui ad hoc festum potius, quam ad Nativ. vel Assumpt. pertinet. Ejusdem sermo de Domo sapientiæ, al. 52 inter Diversos. Accedit alterius sub Bernardi nomine sermo, cujus initium est: *Miraculum fuit, quod Virgo peperit: mentis clamor, Virginis amor, virtutum zelus, vitiorum fuit occasus.*

S. Bernardini Senensis vol. I. Operum sermo 52 totus, per omnes suos articulos; vol. II sermo 51 art. 3, vol. III sermones de B. V. quintus, sextus et nonus; et in append. ejusdem vol. III sermo de Annuntiatione Virginis gloriosæ.

S. Chrysostomi Homilia in Annunc. Deiparæ inter rejectas à Ducæo, etsi ejus interprete.

S. Damasceni de Ortodoxa fide III 2.

Engelberti Abbatis admontensis de gratiis et virtutib. B. M. V. (in thesauro anecdot. Pezii t. I. parte I. á Pag. 526) parte I. c. 15 sq. et parte II. c. 8 et deinceps.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Gersonis sermo de Annunc. Virg.

S. Isidori Hispalensis de Nativ. Dom. I. 11.

S. Laurentii Justiniani sermo in Annunc. B. M. V.

S. Petri Chrysologi sermo 140 cum quatuor sequentibus. B. M. T. VII. á pag. 953.

B. Petri Damiani sermo de Annunc. B. V. M.

Richardi á S. Victore comparatio Christi ad florem, et Mariæ ad virgam.

Simonis de Cassia Gesta Salvatoris I, 2, et II. 1=11.

S. Thomæ Aquinatis sermones duo in Annunc. B. M.

Thomæ Kempensis in Soliloquio Animæ c. 23.

Et quotquot é patribus majoribus scripsere in Lucam, ad I. 26.

De SS. Apostolis Philippo et Jacobo.

S. Laurentii Justiniani sermo de his Apostolis.

Videri possunt et patres majores, qui in hujus festi Evangelium commentati sunt.

In festum Inventionis et Exaltationis S. Crucis, qui duo dies multis in templis solemni ritu honorantur.

S. Anselmi Cantuariensis tract. de dignitate et virtute S. Crucis. Sed qui *de Mensuratione Crucis* inscribitur, Anselmi non est.

S. Augustini fragmentum in festo S. Crucis, quod reperitur in auctario Parisiensium eorum tomo X operum Augustini.

S. Bernardini Senensis, operum vol. III, sermo 56 per ultimos quatuor articulos, seu de XII fructibus Ligni Vitæ.

S. Chrysostomi homilia in venerab. Crucem et de transgressione Adami, inter rejectas á Ducæo. Alia ejusdem de adoratione S. Crucis; rursusque alia de confessione S. Crucis; ambæ á Ducæo repudiatæ.

S. Ephræm Syri sermo in pretiosam et vivificam Crucem.

S. Germani Patriarchæ CP. Oratio de exalt. S. Crucis. Ejusdem oratio in jejuniorum Dominicam.

S. Isidori Hispalensis de vocat. gentium sive l. II. de Nat. et Pass. Dom. c. 25.

S. Laurentii Justiniani de triumphali Christi agone c. 17. Ejusdem sermo in fest. Exalt. S. Crucis.

B. Petri Damiani sermo de Invent. S. Crucis; et de ejus Exalt. sermones duo.

Simonis de Cassia Speculum Crucis.

Theophilacti Oratio in Adorationem venerandæ Crucis medio jejuniorum tempore.

S. Thomæ Aquinatis sermo de Invent. S. Crucis; et alter de ejus Exalt.

Thomæ Kempensis Oratio de laude S. Crucis, quæ extat inter sermones ad novitios parte III post sermonem primum.

Conjunctas habes de S. Cruce homilias multas in operibus Jacobi Gretseri tomo II.

In festum S. Joannis Baptistæ.

S. Augustini in libro Quinquaginta homiliarum homilia 44. Ejusdem sermones duo de Tempore in hoc festum. Ejusdem sermo 40 de diversis.

S. Bernardi sermo de lucerna ardente et lucente.

S. Chrysostomi homilia in Concept. Baptistæ, homilia in Præcursorem Domini, et homil. 2 in Decollat. S. Joann. inter rejectas á Ducæo.

S. Fulgentii homilia 53, 54, et 56, novarum. B. M. T. IX. á pag. 144.

Innocentii III. Pont. Max. sermones tres de S. Joanne Bapt.

S. Laurentii Justiniani sermo in Nativ. S. Joannis Bapt.

Ludolphi á Saxonia vita Christi I 4, 6, 17 sqq. et 66.

S. Maximi Homiliæ tres. B. M. T. VI p. 32 sqq.

Petri Blesensis sermo 27. B. M. T. XXIV p. 1105.

S. Petri Chrysologi sermo 86 et sex sequentes. B. M. T. VII á pag. 903.

B. Petri Damiani sermones tres de Nativ. S. Joannis Bapt.

Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris totus liber tertius.

S. Thomæ Aquinatis sermo in festum S. Joannis. Bapt. Ejusdem alius de Decollat. Bapt.

Quibus adde Patres majores in Lucam et Matthæum, ubi ille Joannis ortum, hic ejus elogia et mortem refert.

In festum SS. Petri et Pauli:

S. Bernardi sarmones duo de convers. S. Pauli, et tres de SS. Apostolis.

S. Chrysostomi Homilia in S. Petrum et Eliam Prophetam. Ejusdem homiliæ septem de laudibus S. Pauli. Homilia in Petrum et Paulum, inter rejectas á Ducæo.

Gersonis sermo de SS. Petro et Paulo.

S. Gregorii Nysseni, *Num quis est*, cet. Operum Gretseri T. XIV p. 352. sqq.

Innocentii III Pont. Max. sermones duo in festo convers. S. Pauli; totidem de Apostolis Petro et Paulo inscripti, quorum tamen priore solus Petrus laudatur. Ejusdem sermo in festo B. Petri ad Vincula.

S. Laurentii Justiniani sermo in convers. S. Pauli. Ejusdem sermo de SS. Apost. Petro et Paulo.

S. Leonis M. sermones duo. B. M. T. VII p. 1031 sqq.

Ludolphi á Saxonia Vita Christi II 1.

Petri Blesensis tract. de convers. S. Pauli. Ejusdem sermo 28 et 29. B. M. T. XXIV á pag. 1106.

S. Petri Chrysologi sermo 107. B. M. T. VII p. 929.

B. Petri Damiani sermo de S. Petro. Ejusdem de SS. Petro et Paul.

S. Thomæ Aquinatis sermo in convers. S. Pauli; in Cathedra S. Petri; in festum Apostolorum Petri et Pauli; in commemoratione S. Pauli; denique in festum S. Petri ad Vincula.

In festum S. Jacobi majori.

S. Fulgentii sermo de filiis Zebedæi. B. M. t. IX p. 128.

S. Laurentii Justiniani sermo de s. Jacobo Apostolo.

S. Thomæ Aquinatis sermo in festum s. Jacobi.

Omnesque Patres majores in Evangelium scribentes, de petitione filiorum Zebedæi.

In festum S. Laurentii.

S. Augustini sermo 32 de sanctis, ejusdem de diversis sermo 37, 38, 111, et 123.

S. Fulgentii homilia 60 novarum. B. M. t. IX p. 148.

Innocentii III Pont. Max. sermones duo de s. Laurentio.

S. Laurentii Justiniani sermo de eodem.

S. Leonis M. B. M. t. VII p. 1054.

S. Maximi homiliæ tres. B. M. t. VI á pag. 36.

S. Petri Chrysologi sermo 135. B. M. t. VII p. 950.

S. Thomæ Aquinatis sermo de s. Laurentio.

In festum Divinæ Matris in cœlum assumptæ:

S. Anselmi Cantuariensis homilia in illud: *Introivit Jesus in castellum.*

Arnoldi Carnotensis sermo de laudibus B. V. M.

S. Bernardi sermones quinque de Assumpt. B. V. M. Ejusdem sermo de signo Magno. Ejusdem sermo Panegyricus seu Epæneticus de B. cujus initium est *Mentem et oculos*: alii aliter inscribunt.

S. Bernardini senensis operum vol. I sermo 61; et vol. II sermonis 51 artic. 3 caput 4; et vol. III sermo undecimus de B. V.

Eadmeri liber de Excellentia gloriosissimæ V. M. inter opera S. Anselmi cantuariensis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Engelberti Abbatis admontensis de gratiis et virtutib. B. M. V. parte IV c. 15 et deinceps. (Anecdot. pezii. t. I.)

S. Ildephonsi, vel quicumque sub eo nomine latet, sermones plures, nimirum 3, 4, 5, 6, 7, 8 et 11. B. M. t. XII à pag. 575.

Innocentii III Pont. Max. sermones duo de Assumpt. V. M.

S. Laurentii Justiniani sermo de eadem.

Ludolphi á Saxonia Vita Christi II 86.

B. Petri Damiani sermo de Assumpt. B. V. M.

Richardi Armacani sermo de laudibus B. M. V.

Richardi á s. Laurentio sermones duo, sub ipsum finem operis de laudibus B. V.

S. Thomæ Aquinatis sermo in hoc festum.

Thomæ Kempensis sermo de Excellentia meritorum et privilegiis B. M. V. qui est sextus in tertia parte ad novitios. Ejusdem de disciplina claustralium, c. 14.

De S. Bartholomæo Apostolo.

S. Gregorii Turonensis de gloria MM. seu miracul. I 34.

S. Laurentii Justiniani sermo de s. Bartholomæo.

B. Petri Damiani de s. Bartolomæo sermones duo.

S. Thomæ Aquinatis sermo de eodem.

In festum SS. Angelorum:

S. Augustini in Enchiridio ad laurentium c. 58 sq.

S. Bernardi sermones duo in festum s. Michaelis.

S. Bernardini senensis operum vol. I sermo 60.

S. Damasceni de Orthodoxa Fide II 3.

Gersonis sermo de Angelis.

Thomæ Kempensis in Valle Liliorum c. 27.

In festum B. V. natæ.

Albini Flacci homilia in Nativ. B. V.

S. Bernardini senensis operum vol. II serm. 51 artic. 2; et vol. III inter sermones de B. V. primus ac tertius.

Christiani Druthmari ad hodiernum Evangelium. B. M. t. XV á pag. 88.

S. Damasceni de Orthodoxa Fide IV 15.

Eusebii Gallicani. B. M. t. VI p. 798.

Germani P. C. Encomium.

Gersonis de Nativ. V. M. sermones.

S. Hieronymi operum t. IX. non tamen ipsius, tractat. de ortu seu Nativ. S. Mariæ, et incerti Epistola sub nomine s. Chromatii et Heliodori ad Hieronymum, et Hieronymi ad eosdem, de Nativ. B. V. M.

S. Ildephonsi, vel quisquis autor est, sermones tres, ordine nonus, decimus, et ultimus. B. M. t. XII p. 586 et 590.

Innocentii III Rom. Pont. sermo in hoc festum.

S. Laurentii Justiniani sermo in Nativit. gloriosissimæ V. M.

Ludolphi á Saxonia Vita Christi I 2.

Petri Blesensis sermo 38. B. M. t. XXIV pag. 1116 sqq.

B. Petri Damiani sermones tres de Nativ. S. M. V.

Richardi á s. Laurentio, sermo l. XII de laudibus B. V. ad finem partis VI. Ejusdem alii duo ad finem operis.

Thomæ Kempensis sermo de servitio B. V. et recordatione nominis ejus: qui est inter sermones ad novitios partis III sermo quartus.

De S. Matthæo.

S. Laurentii Justiniani sermo de s. Matthæo.

Ludolphi á Saxonia Vita Christi I 31.

B. Petri Damiani sermones tres de Matthæo.

Simonis de Cassia Gesta Salvatoris IX 17.

S. Thomæ Aquinatis sermo de s. Matthæo.

Quibus addi possunt Patres majores in priores tres Evangelistas, ubi de Matthæo vocato narrant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De S. Michaele Archangelo.

Gersonis sermo de s. Michaele.
S. Laurentii Justiniani sermo de eodem.
S. Maximi. B. M. t. VI p. 40.
S. Thomæ sermones duo de s. Michaele.

De SS. Apostolis Simone et Juda.

S. Laurentii Justiniani sermo de his Apostolis.
S. Thomæ Aquinatis sermo de iisdem.
Addi possunt et Patres majores in Joannem, ad hæc ipsa verba.

In festum Sanctorum omnium.

Albini seu Alcuini Flacci homilia in festo omnium Sanctorum.
S. Augustinis sermo, in Auctario Parisiensium, operum t. X.
S. Bernardi sermo in festum OO. SS. Ejusdem sermo in illud, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*; al. 64 inter Diversos. Ejusdem sermo de IV Generibus hominum cœlum obtinentium; al. 99 e Diversis. *Pseudepigraphon* sub nomine Bernardi, de modo bene vivendi, c. 16.
S. Bernardini senensis vol. I operum sermo 62 cum tribus sequentibus; et vol. IV sermo ultimus seraphini; eodemque vol. IV in Extraordinariis sermo 1.
Gersonis sermones 4 de OO. SS. Ejusdem alius de iisdem.
Innocentii III P. M. sermones duo in festum OO. SS.
S. Laurentii Justiniani sermo de OO. SS.
Leonis Imperatoris oratio. Operum Gretseri t. XV p. 340.
Ludolphi á Saxonia vita Christi I 33. ubi de VIII Beatitudinibus.
B. Petri Damiani sermo de OO. SS.

Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris X 4—13.
S. Thomæ Aquinatis sermo in festum OO. SS.
Thomæ Kempensis de disciplina claustralium c. 15.
Adde Patres majores in Matthæum et Lucam, ubi de Beatitudinibus.

De S. Andrea Apostolo.

S. Bernardini sermo in vigilia s. Andreæ, et duo in ejus festo.
S. Gregorii Turonensis de gloria MM. seu miracul. I 31. B. M. t. XI p. 838.
S. Laurentii Justiniani sermo de s. Andrea.
S. Petri Chrysologi sermo 133. B. M. t. VII p. 949.
B. Petri Damiani de s. Andrea sermones duo.
S. Thomæ Aquinatis sermo de s. Andrea.

In festum Virginis sine labe conceptæ:

S. Bernardini senensis vol. II operum serm. 51 art. 1. Ejusdem liber de Concept. B. V.
Christiani Druthmari, ut in festo B. V. natæ.
S. Damasceni de Orthodoxa Fide IV 15.
Euthymii, ut in festo B. V. natæ.
Gersonis de Concept. B. V. M. sermones duo.
Joannis Cardinalis de Turrecremata de Conceptione B. V. partes XIII.
Leonis Imperatoris oratio 6, inde, *Ave Arca*. Operum Gretseri t. XV p. 314.
Paschasii Ratberti, ut in festo natalis B. V. sic et Patrum majorum in Matthæum scribentium, ad *Genealogiam* Christi.
Petri Comestoris sermo de Concept. B. V.
Richardi á Mediavilla liber de Concept. B. V.
Zachariæ Chrysopol. ut in natal. B. V.

De S. Thoma Apostolo.

S. Chrysostomi homilia in s. Thomam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Laurentii Justiniani sermo de s. Thoma Apost.
Ludolphi á Saxonia Vita Christi II 78.
Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris I. XIV ea pars, quæ ad D. Thomam pertinet.
S. Thomæ Aquinatis sermo de s. Thoma Apostolo.
Addi possunt et Patres majores in Joannem, ad Evangelium hujus diei.

In festum Natalis Dominici.

Albini Flacci homilia de silentio, in quo missum est verbum.
S. Anselmi Cantuariensis liber de Fide seu Incarnatione Verbi.
Arnoldi Carnotensis, seu quisquis alius sub nomine Cypriani latet, de Cardinalibus Christi operibus, lit. de Nativ. Christi.
S. Augustini Enchiridion ad Laurentium c. 34—41. Ejusdem de Eccles. Dogmat. c. 2. sq. Rursus de doctrina christiana I 11 sqq. De Fide et symbolo c. 4. sermo de diversis 52—63. sermo de tempore 5—28, tractatus primi duo in Joannem. Denique sermo 38 de verbis Domini.
S. Basilii M. Homilia in initium Evangelii secundum Joannem. Ejusdem homilia in Christi Nativitatem seu de humana ejus generatione.
S. Bernardi sermones sex in vigiliam Nativitatis, et quatuor in ipsum festum: unus item in Natalem ss. Innocentum, ubi de quatuor festis continuis agit, Christi nati, ss. Stephani ac Joannis, et Innocentum. Ejusdem sermo de apparitione Christi, al. 54 e diversis.
S. Bernardini senensis sermo in Nativ. Dom. Operum vol. III.
S. Chrysostomi in Christi natalem homilia. Ejusdem homilia in principium Evangelii Joannis, alia in Salvatoris Nativit. alia in illud, *Exiit edictum à Cæsare.*
S. Cyrilli Alexandrini scholia de Incarnatione Unigeniti; et de eadem homilia.

S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesis II. B. M. t. IV p. 502.
S. Damasceni de Fide Ortodoxa III 17.
S. Dionysii Areopagitæ, ut quidem inscribitur, epistola 4, *Quomodo Christus verus homo ac Deus.*
S. Fulgentii responsio ad object. tertia Arianorum: *In utraque Christi nativitate.* B. M. t. IX. p. 36. Ejusdem ad trasimundum Regem I 18 et II 7. ibidem p. 47 et 51. libro de Fide ad Petrum Diaconum c. 2. ibidem p. 74. sermo de duplici Nativitate Christi ibid. p. 106. sermo de laudibus Mariæ ex partu Salvatoris. p. sq. homilia 1 novarum. ibid. p. 114. Ejusdem l. de Incarnat. inde, *Sollicite cogitandum est.* B. M. t. XXVII à pag. 353.
Gersonis in die Nativ. Dom. sermones.
S. Gregorii Nazianzeni oratio in Christi Nativ.
S. Gregorii Nysseni oratio in diem natalem D. N. J. C.
Guilielmi Abbatis s. Theodorici, olim sub nomine s. Bernardi, de amore Dei II 12.
S. Hieronymi operum t. IX, non tamen ipso auctore, sermo seu epistola de Nativitate Domini.
Innocentii III Pont. Max. sermones tres in hoc festum.
S. Isidori Hispalens. de Nativ. Dom. I 6, 17, et 18.
S. Laurentii Justiniani sermo in festo Nativ. Dom.
S. Leonis M. sermones 10. B. M. t. VII á pag. 992.
Ludolphi á Saxonia Vita Christi I 9.
Manuelis Calecæ de principiis fidei c. 5 et 7. B. M. t. XXVI á pag. 367.
S. Maximi homiliæ. B. M. t. IV á pag. 4.
S. Petri Chrysologi sermo 147 cum duobus sqq. B. M. t. VII á pag. 958.
B. Petri Damiani sermo de vigil. Natal. Dom. et duo in ipsum festum.
Richardi á s. Victore liber de Incarnat. Verbi.
S. Thomæ Aquinatis sermo in vigil. Nativ. Dom. et sermones duo in festum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Thomæ Kempensis conciones seu meditationes decem primæ.

S. Zenonis sermones tres. B. M. t. III à pag. 386.

Addi possunt illa é Patrum majorum in Evangelia commentariis, quæ ad hodiernum mysterium referuntur.

De S. Stephano Protomartyre.

S. Augustini de diversis, sermo 32 et 33, una cum libello Pauli, qui ante illos insertus legitur. Ex iisdem sermonibus de diversis quinquagesimus primus, et nonagesimus secundus cum septem sequentibus. Homiliæ aliquot de sanctis, quarum tamen duæ etiam S. Fulgentio tribuuntur. De civitate Dei XII 8.

S. Chrysostomi homilia in Stephanum proto martyrem.

S. Fulgentii. B. M. t. IX p. 107 homilia 2 et 3 novarum, ibidem á pag. 115.

S. Gregorii Nysseni oratio de s. Stephano.

S. Laurentii Justiniani sermo in hoc festum.

Nicolai Claravallensis, sermo, olim D. Bernardo ascriptus, cujus initium: *Adhuc Filium Virginis habemus in manibus.*

B. Petri Damiani sermo de s. Steph.

S. Thomæ Aquinatis sermo de s. Steph.

Denique é Patribus majoribus in acta Apostolorum scribentibus, quidquid ad historiam D. Stephani pertinet.

De S. Joanne Apostolo et Evangelista.

S. Chrysostomi homilia de Joanne Theologo.

S. Cyrilli Alexandrini homilia.

S. Gregorii Turonensis de Glor. MM. seu Miracul. I 30. B. M. t. XI p. 838.

S. Laurentii Justiniani sermo in hoc festum.

B. Petri Damiani sermones duo de s. Joanne Evang. et Apost.

S. Thomæ Aquinatis sermones duo in hunc diem; et alius de s. Joanne ante portam latinam.

Adjunge Patrum majorum in Joannis Evangelium libros, ad caput ejus primum, et ultimum.

Continuatio ejusdem Indicis in dies mobiles.

In Dominicam I Adventus è Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis hæc habemus.

S. Augustini sermo I de tempore. Ejusdem epistola 80.

S. Bernardi sermones septem in Adventum Dom.

S. Bernardini senensis operum vol. IV inter extraordinarios sermo 23, qui est de Judicio extremo.

S. Cyrilli Alexandrini homilia de exitu et secundo adventu.

S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesis 15. B. M. t. IV p. 518.

S. Ephræm sermo de patientia, consummatione seculi, et secundo Adventu Domini. Ejusdem sermones tres de Judicio extremo. Lamentatio de die judicii. Paræneticus de secundo adventu Domini.

Innocentii III Pont. Max. in Domin. I adventus sermones duo.

S. Isidori Hispalensis de Nativ. et Pass. Dom. I 61.

S. Maximi in adventu D. sermones duo.

Petri Blesensis sermo 3. B. M. t. XXIV p. 1080 sqq.

S. Thomæ Aquinatis sermones 4 in hanc Domin.

Thomæ Kempensis sermo de Dei judicio, qui est ad Novitios partis II septimus.

Adde Patres majores in Matthæum et Lucam, ad Evangelium Dominicæ præsentis, et ultimæ post Pentecosten.

In Dominicam I Quadragesimæ:

Arnoldi Carnotensis, vel quicumque auctor est libri de operibus Christi cardinalibus; inter opera Cypriani, tit. de Jejunio et tentationibus Christi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Augustini tractatus decimus de diversis, qui de utilitate jejunii inscribitur. Ejusdem sermo 68 de diversis; et plures de tempore, nimirum sermones 55 58, 62, et 64 — 66.

S. Basilii M. homiliæ duæ de jejunio. Ejusdem homilia de Pœnitentia.

S. Bernardi sermones duo in capite jejunii totidem de jejunio.

S. Bernardini Senensis operum vol. I sermo 9 sq. vol. II sermo 9 sq. vol. III in appendice sermo 5 quadragesimalis; vol. IV sermo 5.

Gersonis sermo in Dom. I Quadr.

In s. Hieronymi operibus tomo IX epistola sive sermo de Quadragesima, ignoti auctoris.

Innocentii III Rom. Pont. sermones duo in diem cinerum, unus in Dom. I Quadrag.

S. Leonis M. sermones 12. B. M. t. VII á pag. 1011.

Ludolphi à Saxonia Vita Christi I 22.

Lyrani Postillæ Quadragesimales, initio.

S. Petri Chrysologi sermo 8, et 11 sqq. 41 sqq. et 166. B. M. t. VII à pag. 851.

S. Thomæ Aquinatis in hanc Dominicam sermones duo.

Thomæ Kempensis Concio seu Meditatio 13 cum sequentibus duabus.

Adjici possunt commentarii Patrum majorum in Matthæum et Lucam, ubi de Christi servatoris jejunio agunt.

In festum Dolorum B. V. M. quod etsi ad primam aut secundam classem evectum non sit, adeo tamen frequenter et impense à Marianis clientibus celebratur, ut gratum me facturum sperem, si veterum fontes indicavero, unde haurire liceat. Hæc ergo sunt illorum subsidia:

S. Ambrosii l. II in Lucam, ad ejus c. II, sed breviter.

B. Amadei Lausanensis Episcopi homilia 5. B. M. t. XX à pag. 1270.

In S. Anselmi operibus, incerti auctoris dialogus de passione Domini.

S. Antonini IV part. Theolog. tit. XV capite 41 fuse.

S. Bernardi sermo 29 in cantica, et sermo de XII Stellis.

S. Bernardini senensis operum vol. I sermo 55, sive in tractatu de Passione D. N. J. C. parte 2 art. 1. c. 3. Ejusdem vol. III sermo 2 de B. V.

S. Bonaventuræ cursus de compassione B. V. et l. Mediationum c. 77 — 84.

Engelberti Abbatis Admontensis de gratiis et virtutibus B. M. V. parte I c. 30 — 37. (In eodem Thesauro Anecdotorum t. I p. I p. 548 sqq.)

S. Ephræm Syri lamentationes deiparæ.

Georgii Metropolitæ sermo de doloribus B. V. M. ad Crucem.

Gersonis Expositio Passionis Dom. quæ extat operum t. III.

Innocentii III Planctus *Stabat Mater*: huic enim Pontifici eum asserunt viri doctissimi, suffragante eruditissimo prospero lambertino, qui deinde in Sede Romana nomen adoptavit Benedicti XIV, de festis Domini et B. V, II 4.

S. Laurentii Justiniani l. de triumphali Christi Agone c. 18 et 23.

Ludolphi à Saxonia Vita Christi II 63.

Rabani Mauri l. de Passione Dom. n. 6. sq. (Anecdotorum pezii t. IV parte II p. 12 sq.)

Simonis à Cassia de Gestis Salvatoris II 27, et ex libro III ea, quæ sunt hujus mysterii propria.

Thomæ Kempensis in parte III sermonum ad Novitios secundus et quartus.

Denique è Patribus majoribus in Joannem scribentibus elogia Mariæ ad filii Crucem fortiter stantis.

In diem sanctum Parasceves.

In s. Anselmi Cantuariensis operibus, dialogus de Passione Domini, alienum opus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Athanasii tract. de *Pass.* D. N. J. C. Ejusdem de eadem fragmentum, et sermo in Parasceven.

S. Augustini de temp. sermo 122; et 76 de diversis, homilia 36 ex quinquaginta.

S. Basilii seleuciensis oratio 32. B. M. t. VIII p. 471.

S. Bernardi sermo in feriam IV hebdomadis sanctæ. Ejusdem sermo seu meditatio de vita et pass. Domini: legitur etiam inter opera s. Anselmi, videtur tamen potius esse Bernardi. Auctor alius, longe Bernardo inferior, vitis Mysticæ, potissimum c. 3. 4, 5, 7—15, 33, 34, 35, 37=41, 46.

S. Bernardini senensis operum vol. I sermo 55 totus, nimirum tract. de pass. D. N. J. C. vol. II sermo 56. vol. III in Appendice sermo in Parasceven sive Dom. II Quadrages. Rursus ad finem voluminis III in Quadragesimali sermo 41=45. Denique vol. IV sermo 45.

Candidi Presbyteri expositio passionis D. N. J.C. tota. (Thesaur. Anecdot. Pezii t. I parte I.)

S. Chrysostomi homilia in Parasceve.

S. Ephræm Syri sermo de Pass. Dom.

S. Fulgentii l. III ad Regem Trasimundum.

Gersonis Expositio in Passionem Domini.

Innocentii III Pont. Max. sermo in Parascev.

S. Isidori Hispalensis de Nativit. et Pass. Dom. I 23 sqq.

S. Laurentii Justiniani prologus in librum de Triumphali Agone Christi, et c. 6 ac 20. Ejusdem sermo de Passione Domini.

S. Leonis M. sermones 19. B. M. t. VII à pag. 1023.

Ludolphi à Saxonia Vita Christi II 58—66.

Lyrani Passio. D. N. J. C. in postillis Quadragesimalibus.

S. Maximi homiliæ. B. M. t. VI á pag. 18.

Thomæ Kempensis concio seu meditatio 22 et quinque sequentes. Ejusdem in valle Liliorum c. 12; et de Disciplina Claustralium c. 13.

Quibus addere possumus commentarios Patrum majorum in quatuor Evangelia, ubi de Christo patiente ac moriente agunt.

In festum Paschatis.

Arnoldi Carnotensis, seu alterius cujuscumque, l. de Cardinalibus Christi operibus, inter opera s. Cypriani. tit. de Resurrectione Christi.

S. Athanasii in Pascha orationes.

S. Augustini homilia 16 in libro I. homiliarum. Ejusdem de tempore sermones 139—147, et 162 qq. ac de diversis sermo 1, 78, 82, 86—89, et 120 sqq.

S. Bernardi sermones tres; de discipulis euntibus Emmauntem.

S. Bernardini senensis vol. I operum sermo 57 et 58; vol. II sermo 58, vol. IV sermo 47.

S. Chrysostomi homiliæ de Resurrectione Christi.

S. Cyrilli Alexandrini homiliæ heortasticæ.

S. Dionysii Alexandrini epistola de Ressurrectione Domini.

In s. Epiphanii operibus, orationes duæ antiqui auctoris in Resurrectionem Domini.

S. Fulgentii de die secundo Paschæ. B. M. t. IX p. 134; et de tertio ibidem rursus homilia proxima, novarum trigesima octava. ibid. p. 135.

Gersonis de Christi Resurrect. et paschale sermones.

S. Gregorii Nazianzeni orationes duæ in Pascha.

S. Gregorii Nysseni orationes 5 de Pasch. et Resurrect. Dom.

S. Isidori Hispalensis de Nativ. et Pass. Dom. I 53 sqq.

S. Laurentii Justiniani sermo de Resurr. Dom.

S. Leonis M. sermones duo. B. M. t. VII à pag. 1042.

Ludolphi à Saxonia Vita Christi II 69.

S. Maximi homiliæ 3. B. M. t. VI à pag. 24.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Petri Chrysologi sermo 73 cum novem seqq. excepto solo 78. B. M. t. VII à pag. 903.

B. Petri Damiani sermo de Resurrect. Dom.

Richardi á s. Victore sermo in die Paschæ.

S. Thomæ Aquinatis sermones tres in festum Paschatis inter conciones dominicarum; et unus inter conciones in festa.

Thomæ Kempensis concio seu meditatio 30 cum duabus sqq.

S. Zenonis sermo de Resurrectione. B. M. t. III à pag. 411; et alii aliquot. Ibidem p. 393 sqq.

Adjungendi Patres majores in quatuor Evangelia, de Christo redivivo.

In festum Domini ascendentis in cœlum.

S. Athanasii oratio in Ascens. Christi.

S. Augustini de diversis sermo 12, 13, et 90. Ejusdem sermones aliquot de tempore, et duo in Parisiensi auctario tomi X.

S. Bernardi sermones 5.

S. Bernardini senensis operum vol. I sermo 59; et vol. III sermones duo.

S. Chrysostomi homilia de Ascensione Christi.

Eusebii Cæsareensis l. de Ascens. Domini. Ejusdem initium libri secundi de Resurrectione. B. M. t. IV p. 16 sq.

S. Fulgentii homilia 48 et 49 Novarum. B. M. t. IX p. 141. sq.

Gersonis sermo in diem Ascens. Ejusdem meditationes de Ascens. Domini.

S. Gregorii Nysseni oratio de Ascens. Dom.

Innocentii III Rom. Pont. sermo in hoc festo.

S. Isidori Hispalensis de Nativ. et Pass. Dom. I 56 sq.

S. Laurentii Justiniani sermo de Ascens. Dom.

S. Leonis M. sermones duo. B. M. t. VII à pag. 1044.

Ludolphi à Saxonia Vita Christi II 82.

Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris libri XIV finis.

S. Thomæ Aquinatis sermo in festum Ascens.

Thomæ Kempensis concio seu Meditatio 33.

In festum Pentecostes.

S. Anselmi l. de Processione Spiritus Sancti.

Arnoldi Carnotensis, l. de Cardinal. Christi operib. tit. de spiritu sancto.

S. Athanasii Epistolæ duæ ad serapionem de spiritu sancto.

S. Augustini l. de fide et symbolo c. 9. Ejusdem de tempore sermones aliquot.

S. Basilii Magni homilia de spir. Sancto. Ejusdem contra Eunomium liber tertius, et quintus; ac liber de spiritu Sancto ad Amphilochium Iconii Episcopum.

S. Bernardi sermones tres. Ejusdem sermo de VII Donis spiritus Sancti, in illud, *Sapientia vincit malitiam*. Ejusdem in cantica sermo 17 et 18. Sub ejus nomine sermo cujusdam de VII gratiis seu donis spiritus Sancti, cujus initium: *Prima gratia est timor Domini*.

S. Bernardini senensis operum vol. III sermones sex in dominicam Pentecostes et dies sequentes.

S. Chrysostomi homiliæ duæ de Pentecostes.

S. Cyrilli Hierosolymitani catechesis de spiritu Sancto. B. M. t. IX p. 486. Ejusdem Catechesis 16 et 17. ibidem á pag. 522.

S. Damasceni de fide orthodoxal. 10.

S. Fulgentii l. de fide ad donatum c. 8. B. M. t. IX p. 71.

Gersonis de Spir. S. et in Pentec. sermones plures.

S. Gregorii Nazianzeni oratio de spir. Sancto, quæ est quinta de Theologia. Ejusdem oratio in s. Pentecosten.

S. Gregorii Nysseni oratio in Pentec.

Innocentii III B. M. sermones tres in Pentec.

S. Laurentii Justiniani sermo in Pentec.

S. Leonis M. sermones 3. B. M. t. VII à pag. 1046.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ludolphi á Saxonia Vita Christi II 84.

B. Petri Damiani sermo de spir. S. et ejus gratia. Ejusdem tract. de fide Cathol. ad Ambrosium, post medium.

Richardi Victorini tract. Quomodo spiritus S. est amor Patris et filii. Ejusdem sermo de missione spiritus S.

Simonis á Cassia Gesta Salvatoris XII 3, 4, et 13.

S. Thomæ Aquinatis sermones duo in Pentecosten, inter conciones dominicarum; et sermo in vigil. alterque in diem Pentec. inter conciones festorum.

Thomæ Kempensis concio seu meditatio 34 cum sequente.

Adde Patres majores in Evangelium Joannis, et acta Apostolorum, ubi de spiritu S.

In festum sanctissimæ Triados.

S. Athanasii Dialogi quinque de Trinitate: quos tamen s. Maximi martyris esse censet Petavius.

S. Augustini de Trinitate libri XV. Ejusdem de civitate Dei XI 10 et 24. De Dogm. Eccl. c. 4 et 5. De verbis Domini sermo 63. De verbis Apostoli, sermo 1. De Temp. sermo 189 — 195. Epistola 222, quæ est ad consentium, de Trinitate.

S. Basilii M. in eos, qui calumniantur, nos colere tres Deos.

S. Bernardi sermo de Trinitate Dei, et trinitate hominis; al. sermo 45 è diversis. Ejusdem de Petri Abailardi erroribus c. 2.

S. Chrysostomi homilia de SS. Trinitate.

S. Cyrilli Alexandrini Thesaurus; et dialogi ad Hermiam.

S. Damasceni de fide Orthodoxa I 8 sq.

S. Fulgentii l. de fide ad Donatum c. 3. t. IX p. 69. Ejusdem de fide ad Petrum Diaconum c. 1. ibidem p. 73. de Trinitate ad felicem notarium c. 2. sqq. ibidem á pag. 159. Contra fastidiosum Arianum c. 6. ibidem p. 167. Denique l. de Incarnatione, inde, *Scire debet omnis catholicus*, B. M. t. XXVII á p. 352.

Gennadii P. C. oratio de uno in Natura et trino in personis Deo.

Gersonis sermones duo de SS. Trinit.

S. Gregorii Nysseni de Trinitate contra Judæos.

S. Hilarii Pictaviensis libri XII de Trinitate.

S. Isidori Hispalensis de Nativ. et Pass. Dom. I 4.

S. Justini liber de fide et Trinitate. B. M. t. II parte II á pag. 107.

Paulini Aquilejensis sacrosillabus, seu libellus de SS. Trinit.

Richardi Victorini libri sex de Trinitate.

S. Thomæ Aquinatis sermones duo, inter conciones festorum, non Dominicarum.

In festum Theophoriæ, sive SS. Corporis Christi.

B. Alberti magni sermones 32 de SS. Eucharistia, operum t. XII; et t. XXI liber de Sacrificio Missæ, aliusque de Sacramento Eucharistiæ.

S. Anastasii Sinaitæ de s. Synaxi. Operum Gretseri t. XIV à pag. 452.

Arnoldi Carnotensis, seu quisquis est auctor libri de Cardinal. Christi operibus, inter vol. D. Cypriani, tit. de Cœna Domini et institutione Sacramenti.

S. Augustini de verbis Domini sermo 46.

S. Bernardi sermo in Cœna Domini. Sub ejus nomine sermo incerti de Excellentia SS. Sacramenti et dignitate sacerdotum. Item *pseudepigraphon* de instructione sacerdotis, seu de præcipuis Mysteriis Religionis, c. 12, quod est caput ultimum partis II.

S. Bernardini Senensis operum vol. I sermo 53 et 54; vol. II sermo 54 et 55; et vol. IV sermo 43 et 44.

S. Brunonis sermo de Cœna Domini.

Turandi Troarnensis abbatis tract. de Corp. et Sang. Dom. quem habes in Appendice operum Lanfranci Cantuariensis.

Gersonis de Cœna Dom. et Eucharistia sermones.

In Hieronymi operibus t. IX homilia vetusti auctoris de Corp. et Sang. Christi.

Hugonis Lingoniensis tract. de Corp. et Sang. Dom. qui extat in Appendice operum Lanfranci Cantuariensis.

S. Isidori Hispalensis de vocat. gentium seu l. II de Nativ. et Pass. Dom. c. 26.

S. Ivonis Carnotens. Episc. ad Haymericum Epistola seu libellus de Corpore Dom.

S. Laurentii Justiniani de casto connubio verbi et animæ c. 24. ejusdem sermo de SS. Corpore Christi.

Ludolphi à Saxonia vita Christi II 56.

S. Petri Damiani sermo in Cœna Dom.

Simonis à Cassia de Gestis Salvatoris I 20, et XI 17.

Patres quoquo majores, in quatuor Evangelia et priorem ad Corinthios epistolam scribentes, ubi de Pane cœlesti et institutione SS. Eucharistiæ agitur.

De Apostolis generatim, sive, ut in sacris ritibus loquimur, de communi Apostolorum.

S. Augustini de Sanctis sermo 42 et 43.

S. Brunonis l. de novis c. 2, 3, 4, 6, 7, 8.

S. Fulgentii sermo de Apostolis. B. M. t. IX p. 112.

Innocentii III Pont. Max. sermones duo de Apostolis, et unus de Evangelistis.

Ludolphi á Saxonia vita Christi I 51 sqq.

S. Petri Chrysologi sermo 170. B. M. t. VII p. 974.

Simonis á Cassia de Gestis Salvatoris IX 18, et X 14.

Adde Patres majores in Evangelistas tres priores, ad Matthæi X á v. 1, et XIX á v. 27: Marci III à v. 13: Luc. VI à v. 13, IX á v. 1, et X à v. 1.

De communi unius vel plurium Martyrum.

S. Augustini de diversis sermo 42, 100, 112, 117. et 119. de Sanctis sermo 44—50; et unus de Martiribus in Parisiensi Auctario tomi X. Ex ejusdem tomi Appendice sermo de SS. Casto et Aemilio martyribus.

S. Basilii M. homilia in S. Barlaam martirem; alia in S. Gordium militem et martyrem; alia in S. Julittam martyrem; alia demum in SS. XL MM.

S. Chrysostomi homilia de SS. martyribus totius orbis. Ejusdem de SS. MM. homiliæ duæ.

S. Cypriani de exhortatione martyrii liber ad fortunatum. Sub ejus nomine liber de laude martyrii ad Moysen et maximum, ceterosque confessores.

S. Ephræm Syri sermones duo de SS. MM. Ejusdem encomium XL MM.

S. Eulogii Cordubensis martyris exhortatio ad martyrium.

S. Eulogii Toletani l. I memorialis Sanctorum. B. M. t. XV p. 245.

S. Fulgentii sermo de martyribus. B. M. t. IX p. 113.

S. Gregorii Nazianzeni oratio in laudem martyrum.

S. Gregorii Nysseni orat. in XL MM. operum Gretseri t. XIV p. 292.

Innocentii III Rom. Pont. sermones bini de uno martyre, bini de pluribus.

B. Petri Damiani sermo 3, 13, 17, 18, et de s. Anthimo, de s. Bonifacio, de SS. Laurentino et Pergentino, tres de s. Apollinare, de s. Christophoro, de s. Ruffino, de SS. Donato et Hilariano, de s. Cassiano, et de s. Fidele.

Adde Patres majores in Evangelia de uno pluribusve martyribus legi solita.

De communi confessorum.

S. Augustini de verbis Domini sermo 39; et de Sanctis sermo de uno confessore.

S. Fulgentii sermo de confessoribus. B. M. t. IX p. 105.

Ludolphi à Saxonia vita Christi II 47.

Petri Blesensis sermo 50. B. M. t. XXIV p. 1127 sq.

S. Petri Chrysologi sermo 24. B. M. t. VII p. 863.

B. Petri Damiani de s. Severo sermones duo; unus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

de s. Euchadio; unus in vigilia s. Benedicti, alter in ejus festo: de s. Alexio, de s. Victore, de s. Barbatiano, singuli.

Simonis à Cassia de Gestis Salvatoris VI 30.

De communi sanctarum virginum, aut non virginum.

B. Petri Damiani sermones duo de SS. Flora et Lucilla; unus de s. Columba virg. et mart. ac duo in natali SS. Virginum.

S. Zenonis sermo de pudicitia. B. M. t. III p. 399.

In festum Dedicationes Templi.

S. Augustini de tempore sermones ultimi; et alii duo in Auctario Parisiensi. Ejusdem epistola 64. de temulentia in festis martyrum.

S. Bernardi de eadem sermones sex.

Innocentii III P. M. sermones tres de dedic. Eccl. et consecr. Altaris.

Ludolphi à Saxonia vita Christi II 23.

Petri Blesensis sermo 52. B. M. t. XXIV p. 1130 sq.

S. Petri Chrysologi sermo 54. B. M. t. VII p. 886.

B. Petri Damiani de Dedic. sermones 4.

Simonis de Cassia Gesta Salvatoris IX 48.

Thomæ Kempensis in tertia parte sermonum ad novitios sermo 9, 10, et 11.

S. Zenonis sermo in hoc festum. B. M. t. III p. 396. sq.

Adde Patres majores in Lucam, ubi de Zachæo.

FINIS.

INDEX TITULORUM.

* Denotat titulorum esse ex additis.

A.	Pag.
Abstinentia.	9
Abusio	13
Acceptio personarum.	14
Acedia	16
Adjutorium.	18
Adventus Domini	21
Adulatio.	22
Advocati	28
Ambitio.	31
Amicitia.	36
Amissio rerum.	48
Amor	50
*Amor Patriæ	873
Angelus.	57
Anima.	61
Animal brutum.	66
Antichristus	66
Apostoli.	71
Ascentio.	76
Avaritia.	79
Auditor	89
B.	
Baptismus	91
Beatitudo, sive beatus.	93
Bellum	95
Beneficia, seu beneficium	103
Blasphemia.	109
Bonum, bonitas	109
C.	
Charitas.	110
Caro sive corpus	114
Castitas, continentia.	119
Christianus	122
Christus.	123
Clericus.	128
Cogitatio	131
Compassio.	134
Communitas, sive congregatio.	136
Concupiscentia.	138
Confessio	139
Confidentia	142
Conjugium.	143
Conscientia	149
Consideratio sui.	153
Consilium	159
Consolatio	163
Consuetudo.	166
Contemplatio	170
Contemptus.	175
Contritio.	178
Conversatio.	179
Conversio	187
Convitium	192
Cor, sive mens.	195
Correctio	197
Creatio, sive Creator.	211
Crudelitas.	212
Crux.	213
Cupiditas	215
Curiositas	220
D.	
Damnum, sive Damnatio	226
Debitum.	227

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Decima 227
Delitiæ. 228
Desiderium 230
Desperatio. . . . 231
Detraccio. 232
Deus. 236
Devotio 241
Diabolus. 243
Dilectio 245
Discere 249
Disciplina. 254
Discordia. 255
Discretio 257
Divitiæ 255
Doctrina, sive Doctor. 264
Dolor. 272

E.

Ebrietas. 273
Ecclesia. 276
Electio 282
Eleemosyna. . . . 285
Eloquentia 292
Error 295
Eucharistia. . . . 297
Exactio 301
Exercitatio 302
Excommunicatio. . 303
Excusatio, sive Defensio 304
Exemplum. 307

F.

Fabula. 312
Fama 314
Favor 316
Fides sive Fidelitas . 317
Fortitudo 322
Fraternitas. . . . 326
Fraus et Dolus. . . 327

G.

Gaudium 328
Gloria bona. . . . 331
Gloria mala, sive vana. 332
Gloria æterna. . . 336
Gratia 344
Gratitudo, sive gratiarum actio. . . . 346
Gula. 349

H.

Hæresis. 356
Homicidium. . . . 357
Homo 357
Honor 364
Honestas 367
Hospitalitas. . . . 368
Humilitas 369
Hypocrisis. . . . 375

I. J.

*Idololatriæ . . . 873
Ignorantia. . . . 382
Incarnatio. . . . 383
*Incestus 875
Infernus. 387
Infirmitas 390
Inimicitia 391
Ingenium et Ars. . 393
Ingratitudo 394
Injuria 396
Innocentia. . . . 399
Instabilitas. . . . 400
Intentio. 402
Invidia. 403
Ira. 407
Jactantia 414
Jejunium 415
Judex sive Judicium. 420
Juramentum . . . 426
Justus et Justitia . . 427
Juventus 431

L.

Labor 433
Lachrimæ 434
Lascivia. 436
Laus 438
Lex. 443
Liberalitas. . . . 444
Libertas 449
Libido 451
Loquacitas. . . . 452
Luxuria 456

M.

Magister. 460
Magnanimitas. . . 461
Malitia 463
Mandatum. . . . 466
Mansuetudo. . . . 467
Maria 469
Martirium 480
Medicina 481
Mendacium. . . . 483
Mercatio. 486
Meritum. 487
Militia 490
Mirabile, sive Miraculum 494
Miseria. 498
Misericordia . . . 501
Modestia 507
Monachus 508
Mors. 513
Mulier 525
Mundus. 531
Munus 534
Murmur. 536

N.

Nativitas 536
Natura. 540
Negligentia . . . 540
Nobilitas 541
Nocumentum . . . 544

O.

Obedientia. . . . 545
Obstinatio 548
Otiositas 549
Odium 552
Opus 554
Oratio 555
Ordo 563
Ornatus 564

P.

Parentes 567
Patientia 571
Passio 576
Patria 582
Paupertas 584
Pax. 589
Peccatum 593
Pœna, sive Punitio . 599
Pœnitentia . . . 603
Perfectio 611
Periculum. . . . 614
Perseverantia. . . 615
Petitio 616
Philosophus. . . . 617
Pietas 620
*Politica 876
Potestas 622
Prædestinatio sive providentia divina. . 626
Prædicatio. . . . 628
Prælatus 635
Præsumptio . . . 640
*Princeps 877
Prodigio 652
Profectus 652
Promissio 653
Proximus 654
Prosperitas . . . 655
Providentia sive prudentia 660

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Decima 227
Delitiæ. 228
Desiderium 230
Desperatio. . . . 231
Detraccio. 232
Deus. 236
Devotio 241
Diabolus. 243
Dilectio 245
Discere 249
Disciplina. 254
Discordia. 255
Discretio 257
Divitiæ 255
Doctrina, sive Doctor. 264
Dolor. 272

E.

Ebrietas. 273
Ecclesia. 276
Electio 282
Eleemosyna. . . . 285
Eloquentia 292
Error 295
Eucharistia. . . . 297
Exactio 301
Exercitatio 302
Excommunicatio. . 303
Excusatio, sive Defensio 304
Exemplum. 307

F.

Fabula. 312
Fama 314
Favor 316
Fides sive Fidelitas . 317
Fortitudo 322
Fraternitas. . . . 326
Fraus et Dolus. . . 327

G.

Gaudium 328
Gloria bona. . . . 331
Gloria mala, sive vana. 332
Gloria æterna. . . 336
Gratia 344
Gratitudo, sive gratiarum actio. . . . 346
Gula. 349

H.

Hæresis. 356
Homicidium. . . . 357
Homo 357
Honor 364
Honestas 367
Hospitalitas. . . . 368
Humilitas 369
Hypocrisis. . . . 375

I. J.

*Idololatriæ . . . 873
Ignorantia. . . . 382
Incarnatio. . . . 383
*Incestus 875
Infernus. 387
Infirmitas 390
Inimicitia 391
Ingenium et Ars. . 393
Ingratitudo 394
Injuria 396
Innocentia. . . . 399
Instabilitas. . . . 400
Intentio. 402
Invidia. 403
Ira. 407
Jactantia 414
Jejunium 415
Judex sive Judicium. 420
Juramentum . . . 426
Justus et Justitia . . 427
Juventus 431

L.

Labor 433
Lachrimæ 434
Lascivia. 436
Laus 438
Lex. 443
Liberalitas. . . . 444
Libertas 449
Libido 451
Loquacitas. . . . 452
Luxuria 456

M.

Magister. 460
Magnanimitas. . . 461
Malitia 463
Mandatum. . . . 466
Mansuetudo. . . . 467
Maria 469
Martirium 480
Medicina 481
Mendacium. . . . 483
Mercatio. 486
Meritum. 487
Militia 490
Mirabile, sive Miraculum 494
Miseria. 498
Misericordia . . . 501
Modestia 507
Monachus 508
Mors. 513
Mulier 525
Mundus. 531
Munus 534
Murmur. 536

N.

Nativitas 536
Natura. 540
Negligentia . . . 540
Nobilitas 541
Nocumentum . . . 544

O.

Obedientia. . . . 545
Obstinatio 548
Otiositas 549
Odium 552
Opus 554
Oratio 555
Ordo 563
Ornatus 564

P.

Parentes 567
Patientia 571
Passio 576
Patria 582
Paupertas 584
Pax. 589
Peccatum 593
Pœna, sive Punitio . 599
Pœnitentia . . . 603
Perfectio 611
Periculum. . . . 614
Perseverantia. . . 615
Petitio 616
Philosophus. . . . 617
Pietas 620
*Politica 876
Potestas 622
Prædestinatio sive providentia divina. . 626
Prædicatio. . . . 628
Prælatus 635
Præsumptio . . . 640
*Princeps 877
Prodigio 652
Profectus 652
Promissio 653
Proximus 654
Prosperitas . . . 655
Providentia sive prudentia 660

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Punitio 879
Pusillanimitas. . . 663
Q.
Quærere Deum . . 664
R.
Rapina. 665
Reconciliatio . . . 667
Regimen, sive regere. 669
Religio. 673
Relinquere. 684
Remuneratio . . . 690
Recidivatio. . . . 692
Restitutio 693
Resurrectio . . . 693
Reverentia. . . . 697
S.
Sacerdos 699
Sacramentum. . . 706
Salus 707
Sanctitas vel sanctus. 708
Sanitas. 712
Sapientia vel scientia. 712
Satisfactio 719
Scandalum. . . . 719
Scriptura Sacra . . 720
Secularis 729
Securitas 730
Senectus 732
*Sepultura. . . . 881
Servitus 732
Servitium 739
Simplicitas. . . . 740
Simonia. 742
Sobrietas 745
Societas 746
Solemnitas. . . . 748
Solicitudo, sive occupatio 749
Solitudo et tumultus. 752
*Somnium. . . . 881
*Sophistæ 882
Sortilegium et divinatio. 755
Spes. 757
Spiritus Sanctus . . 759
Studium 763
Stultitia. 769
Subjectio 770
Suffragium . . . 770
Superbia 772
Superfluitas . . . 779
Suspicio. 779
T.
Taciturnitas . . . 780
Temperantia . . . 782
Tentatio 783
Tempus sive temporale 789
Testimonium . . . 791
Timor 792
Tribulatio 797
Trinitas. 802
Tristitia 804
V.
Venia. 805
Verbum 809
Verecundia . . . 811
Veritas. 814
Victoria 817
Vitium. 817
Violentia 820
Virginitas 820
Virtus 823
Vita humana præsens. 826
Voluntas 830
Voluptas 835
Votum 837
Utilitas. 839
Usura 840
Z.
*Zelus 883

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS